CHRONICA,
SIVE
HISTORIAE
POLONICAE COMPENDIOSA, AC PER CERTA LIbrorum capita ad facilem memoriam recens facta descriptio:

AVTHORE MAGNIFICO VIRO IOANNE HERBVRTO de Fulstin, Regni Polonici Senatore.

Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio ad annos decem.

BASILEAE, EX OFFICINA Oporiniana, Anno 1571.



SIGISMVNDVS AVGVSTVS, DEI GRATIA REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, POMERANIAE, SAMAGITIAE AC MASOVIAE, ETC. DOMINVS ET HAERES.
ANNO DOMINI M.D.LIIII. AETATIS XXXV.

SERENISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO, DOMINO SIgiſmundo Auguſto, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogiciæ, Kijouiæ, Voliniæ, Podlaſiæ, Liuoniæ, &c.
Domino & hæredi,

IOANNES HERBVRTVS de Fulſtin humilima ſua officia commendat, & omnem felicitatem à Deo Opt. Max. precatur.

NATVRA duce hoc comparatum eſt, Sereniſsime Rex, ut pręſtãtiſsima quæque ingenia ad ardua ſemper & difficilia nitantur, nõ alio magis præmio ducta, quàm ſpe nunquam intermorituræ gloriæ. Hinc itaque eſt, quòd laborum ab eiuſmodi ingenijs ratio propè nulla, facultatum minima, uitæ ad extremũ perquàm exigua habetur: reſq; ea in perfacili cogni-

tione quum ſit, explicatione longa non indigere uidetur. Si etenim ueterum Regũ, Principum, Monarcharum, altiore memoria res geſtas quis retexat: reipſa comperiet profectò, ceu ſcopum quẽdam, quò actiones illorum deſcriberent, hanc perennis famæ gloriæq́; propoſitã eis fuiſſe coronam. Quid enim Herculem illũ, quid Cyrum, Philippum, & Alexandrum Macedonas, Epaminũdam, Themiſtoclem, Scipiones, Hannibalem, Iulium Cæſarem, ac infinitos propè alios, quorũ celeberrima geſta nulla unquam tẽporum depaſcet uetuſtas, commemorem, quum in cõfeſſo ſit, æterni nominis ergò ad poſteritatẽ longa ſerie tranſmittendi, tot tantosq́; illos pertuliſſe labores? Neq; uerò ſubijſſe tam uarios caſus, ac tot diſcrimina rerum ſatis erat: niſi etiam perquàm uigili ſtudio ſatagerẽt, ut aliquis diuino ingenio illorum præclara geſta ſcriptis ſuis, ceu illuſtri quodam monumento, æternitati conſecraret. Vnde apud Spartiatas lege cautum erat, ut ante bellorum con-

flictus,

flictus, ſinguli Muſis immolarẽt. quod cur fieret, quum Imperator illorum Eudæmonidas interrogaretur, reſpondit: Vt præclarè geſtis præclara encomia contingant. Pari exemplo Themiſtocles, quũ ex eo quæreretur, quod ἀκρόαμα aut cuius uocem libentiſsimè audiret? Eius, inquit, à quo ſua uirtus optimè prædicaretur. Hac eadẽ ratione ductus Alexander Magnus ille Macedo, Achillem non aliam ob rem fortunatum (quamuis ille omnibus naturæ fortunæq́; dotibus affatim prolixeq́; abundârit) prædicat, niſi quòd Homerũ præconem uirtutis ſuæ inuenerit: & uerè. Nam niſi Ilias extitiſſet (Cicerone id atteſtante) ille idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen quoque obruiſſet. Sed quorſum tãdem hæc noſtra apud ſereniſsimam Maieſtatẽ ueſtram inſtituta eſt oratio? Eò ſcilicet, ut omnes intelligant, in Regno Maieſtatis ueſtræ Reges, ac uiros fortes, fama rebusq́, geſtis nullis nationibus ſecundos extitiſſe (quod quidem rebus ipſis, non phaleratis aliquibus

 dictis,

dictis, liquidò cōstat) qui hac eadem gloria rerumq́; gestarum ęterna memoria ducti, ardua quæq́; tentarint, ac labore improbo indefessoq́; perfecerint. Ac nostri quidē eò feliciores illis, quos modò commemoraui, extiterūt, quòd non tam de ista gloria, quæ exspectatur ab hominibus, soliciti fuerunt: quàm amore Ecclesiæ & Reipublicæ ducti, ad Dei potius gloriā sua præclarè facta referre studuerunt. Quantum autem illi laborum pro Repub. sustinuerint, & quid pro Ecclesia Christi Catholica fecerint, ex hoc etiam nostro nostratis Historiæ Compendio, semper non difficulter sanè quisq́; cognoscet. Non itaq; rebus strenuè ac fortiter gestis nostri illis ueteribus cesserunt: uerùm scriptores tantūmodo & sacri uates, qui res illorum pace belloque præclarè gestas canerent ac scriberent, desiderabantur. Quum enim gētilicio errore Maiores nostri detinerentur, nullæ apud eos literæ, nulla politior ingenij cultura reperiebatur: pòst uerò gratia Dei depulsis dæmonum tenebris,

tenebris, ut cætera ad uitam bene beateq́; degendam, ita & literarum beneficiū, longo tamen temporum interuallo, nobis est tributū. Quare primus (quod ego sciam) Vincentius quidam Cadlubcus rudi ac impolito stylo res Polonorum annotauit uerius, quàm descripsit: post eū uerò sequuti sunt Ioannes Dlugossus & Miechouiensis, diligentia ac fide in perscribenda Historia singulari: cæterùm non eo ordine, ac uerborum sententiarumq́; grauitate usi, ut ad externorū optimis literis exculta ingenia, purgatasq́; & teretes aures, scripta illorum penetrare possent. Bernardus autē Vapouius, post omnes illos superiores, politiore quidem eloquio, & ueritatis indagandę ac posteritati prodendæ summo studio usus est: uerùm hunc aut immatura mors, aut negotia Reipub. à cœpto opere quū reuocassent, fragmenta tantummodò Historiæ nobis reliquerunt, partum uerò maturum inuiderunt. Vltimus deniq; temporum serie, uerùm eruditione, eloquio, rerum tra-

Historiographi Polonorū.

Martini Cromeri encomium.

ctandarum enodandarumq; artificio princeps, nostra ætate à Deo datus est nobis Martinus Cromerus: qui non contentus his, quos modò recensui, Historiæ nostræ Auctoribus: uerùm penitiores omnium ueterum Scriptorũ recessus perscrutatus, & originem gentis nostræ genuinam, & rerum gestarum euidẽtissimam rationem ob oculos posuit. Dignus certè, ut eam animorum nostrorum gratitudinem referat, quæ debetur ijs, qui thesauros nullo auro comparabiles, ex obstrusis quibusuis indagabilibusq; locis, in lucem proferentes dono alicui offerunt. Qui namq; uniones, quod genus uel pretiosissimorũ lapidum, cum gloria rerum à Maioribus Maiestatis uestræ, Serenissime Rex, atq; gentis Polonæ gestarum, comparandi sunt? Quas quidem res gestas, quum diligentissimè perquisiuisset Cromerus, ex longoq; situ squalidas quodammodò eruisset: uerborum ornatissimorum delectu, ac sententiarũ grauitate singulari, ita eas perpoliuit, ut per totius

tius

tius orbis terminos exspatiatæ, æterni nominis famam Patriæ nostræ charissimæ compararint. Sed cur tandem nos, Historia Cromeri ceu limpidissimo quodã fonte non contenti, hoc Compendij nescio quid exarauimus? Hoc instituti nostri erat, Serenissime Rex, ut ea quæ perpetua rerũ narratione à Cromero multis (ita enim opus erat) continuata sunt, à nobis per certa rerũ capita uerbis quàm paucissimis (hoc enim Compendium postulat) distinguerentur: quò ita res nostrorum gestæ, & facilius inueniri, & commodius memoriæ mandari, atq; ita (si quando usus exposcet) commodo & usui esse possint. Illud uerò maximè curatum hic est à nobis sedulò, ut ea quæ uel ad animos ad pietatem formandos moresq; instituendos, uel ad fortitudinem atq; animi magnitudinem commendandam, tam ex Regum, quàm Procerum priuatorũ rebus gestis, pertinere uidebantur, in medium proferrentur. Eius namq; generis exempla, apud Maiores nostros,

Causa huius scripti.

 tam

tam illustria & luculenta sunt, ut neq; Graecis illis, neque etiam Romanis ullo modo cedere uideantur. Ea uerò quum ab ipso Lecho, gentis nostrae primo auctore, diligenti indagatione orsus essem, usq; ad Maiestatis uestrae Regni felicis gubernacula prosecutus sum, relinquens paratam atq; luculentam materiam melioribus & cultioribus ingenijs, ut ea posteritati mandent, quae à Maiestate uestra pro communi Reipub. bono gesta sunt. Atq; haec quidem eius generis mihi fuisse uidentur, ut nisi per Maiestatem uestram felicem finem sortita fuissent, omni dubio procul Rempub. nostram funditùs euertissent. Quis enim ignorat, qui motus ac Tragoediarum propè exitus, sequuturi erãt, nisi Legum abusu antiquatarum in integrũ restitutio (quam nos Executionem appellamus) tum ut Polonus cum Lituano nullo discrimine essent, pro unoq; & indiuiso corpore haberentur (Vnionem nos dicimus) opera ac studio laboreq; indefesso Maiestatis uestrae

utrumq;

utrumq; perfectum esset? Quae quidem ardua & magna duo Reip. negotia, à Maioribus Maiestatis uestrae tentata quidem saepe sunt, suum tamen finem sortiri nullo potuerunt modo. Sed longior ego nunc in explicandis rebus à Maiestate uestra gestis, esse nolo: ne quispiam, auribus Maiestatis uestrae aliquid me dare, existimet. hoc tantummodo ab ipsa maiorem in modum oro & quaeso, ut hoc laboris nostri quicquid est grato animo accipere, atque me operas pensaq; Reipub. qualia possum tradentem, benignitate sua Regia complecti uelit. Nõ dubito autem, & apud Maiestatẽ uestram Dominum clementissimum, & apud nostros etiam homines humanitatis studiosissimos gratiam me esse hoc etiam nomine initurum, quòd & Legibus digerendis transferendisq; labores non paruos impenderim, & Maiestatis uestrę, nostrorũq; Maiorum praeconio, pro uirili mea parte non defuerim. Sed iam maiestatem uestram Regiam ad gloriam Dei quàm diutissimè

ualere,

ualere,atq; Reipub. nostræ Polonæ patriæ nobis dulcissimæ quàm felicissimè præesse cupio & opto. Datum Præmisliæ mense Augusto, anno à Christo incarnato
1571.

COMPENDIOSAE POLONORVM HISTORIÆ Liber primus.

DE ORIGINE NOMINIS Polonorum. Caput I.

POLONORVM gentem uiciniores eiusdem linguæ populi uocant Polacos, siue Polonos: indeq́, qui Latinè loquūtur, Polonos eos appellant: Lachos uerò Lechos'ue à uicinis uocatos, Lechitas solent dicere Latini. Polaci itaque, siue Poloni dicti sunt à Pole, quod & planiciem & uenationem Slauis significat: (nam & planam ferè apertamq́ regionem ij tenent, & apprimè studio uenandi tenentur) nomen uerò Lachorum, siue Lechorum, ille eis dedit, qui primus eorum conditor atq́ dux (ut iam dicemus) fuit. *Poloni.* *Lechitæ.*

DE IMPERIO LECHI. Caput II.

Diuturno cunctæ Slauicæ nationis consensu celebratur, Lechum & Cechum Polonis atq́ Boemis (qui etiam Cechi lingua Slauica uocantur) Principes præfuisse: ideoq́ alterum Polonis, alterum Boemis nomen dedisse, dubitandum non est. Bernardus quidem Vapouius etiam certum tempus edidit, quo Polonis Lechus præfuit: nempe circa annum Christi 550. à quo quidem sumendum est initium rerum Polonicarū, propterea quòd de uetustioribus gentis nostræ temporibus exploratum habemus nihil. Lechus itaque primus gentis Poloniæ auctor, hanc regionem latissimam, quę *Lechus & Cechus.* An. 550.

Regnum Poloniæ cõplectitur, ad colendum & habitandum multitudini suorum distribuit: arces & castella opportunis locis muniuit: ipse in una ex his domicilium fecit, quã sexto à Varta flumine milliario, uersus Septemtrionem, in patentissima planicie, ex rude & non dolata materia extruxit: eiq; oppidum adiunxit, & Gnesno seu Gnesnæ ipsi nomẽ imposuit. A nido autem, quẽ Gniazdo Polonicè uocamus, paulùlum deflexit ipse hoc uocabulum: siue quòd eo loco, quo nidus auibus, arx illa sibi futura esset: siue quòd aquilarũ ibi nidum reperisset. Nam inde existimantur Poloni Principes habere suum Insigne albam Aquilam, erectam, expasis alis. Sic igitur fundato suo principatu, Lechus Ius dabat populo, nõ ex præscripto legum (nam nullæ erant) sed ex æquo & bono: usus q; est moderato (quod credere par est) imperio, magis Pater, quàm Dominus, factus illorum, qui fidẽ ductumq; illius secuti essent. Nec enim facilè liber feroxq; populus asperum & iniquum tyrannum aut initiò secutus esset, aut postea pertulisset. Reditus tunc & agros peculiares nullos habebat Princeps: sed ei cuncti seminabant & metebant, deq; omnium rerum prouentu ac fructibus ipsi uectigal pendebant. Nam numus illo seculo incognitus erat apud Polonos: sed quo indigebant, permutatione rerum comparabant sibi. Quandiu uerò Lechus regnauerit, quid præclari bello paceque gesserit, quos'ue liberos post se reliquerit, nihil comperti habemus. Vapouius inter alia scribit, 150. fermè annis posteritatem eius regnasse in Polonia, ad annum ferè à Christo nato 700.

Gnesna. *Lechi quale imperium.* *Reditus Principis.* *Lechi posteritas.*

DE

DE DVODECIM PALATINIS. Caput III.

QVum autem stirps Lechi defecisset, ab unius imperio ad paucorum dominatum traducta fuit Respub. Nam duodecim Palatini, diuisa in totidem regiones Polonia, in Principes eliguntur, quò quisque suæ regioni præesset: & Voieuodæ, hoc est, Duces belli & copiarum, uernacula lingua sunt dicti. Et rectè quidem illi atq; è Repub. initiò initum Magistratum gesſere: legesq; paucissimas & simplicissimas, non in libris neque in tabulis, sed in animis hominum atque in usu, perinde atque Lycurgus apud Lacedæmonios quondam, exarauère: sed pòst aliquanto ad ambitionem uersi sunt, dum ex suo quisque nutu omnia geri uult, & rem priuatam potẽtiamq; suam augere studet. inde tandem contentiones, simultates & factiones è studijs partium sunt exortæ, quæ Rempub. funditùs euertere cœperãt. Pertæsi igitur malorum Poloni, quæ sub duodecim Palatinorum imperio ipsis incubuerant, ad unius principatum respexère. Quandiu uerò horum Voieuodorum durauerit imperium, nihil nobis exploratum est: sed manet nihilominus, in hanc usque diem, is apud Polonos Magistratus, aliquantum restricta potestate & iurisdictione ipsorum: habentq; ij principem secundum Episcopos in senatu Regio locum. Cæterùm duodecim tunc Palatini & Voieuodę fuerunt, uel nouo populi placito, uel usitato etiam sub principibus instituto: finibus uerò Poloniæ non ijsdem perpetuò manentibus, sed accisis aliquãdo prolatisq; rursus, ne regionum quidem eadem distinctio, nec idem Palatinorum numerus mansit.

Palatini. *Quale Imperium eorũ, &c.* *quàm diuturnum.* *Numerus eorum.*

DE PRINCIPATV CRACI.
Caput IIII.

PAlatinis igitur ab Imperio amotis, post longam in conuentu Gnesnensi consultationem una omnium sententia ad Cracum Principatus defertur. quod factum esse circa annum Domini 700. Vapouius uult: ideoq́; quando Lechi posteritas ad eum quoq; annum ferè (ut in cap. 2. diximus) manserit, nō diuturnus fuisset ille Palatinorum Dominatus. Siue autem unus Cracus fuit de Voieuodis illis, siue non fuisset: uerisimilius est fuisse ipsum Polonum, quàm externum. Habebat enim & domicilium apud Vistulam, 13 miliario à fontibus eius fluminis: eratq́; cùm amicitijs, copijs & facultatibus potēs, tum prudentia, animi magnitudine, & iustitiæ atq; integritatis opinione, apud omnes ita gratiosus, ut solus dilabentem Rempub. rectè sustinere & recreare posse uideretur. Reluctabatur ille quidem diu & multum Reipub. curā & administrationē suscipere, præsertim quòd & licentia hominum intestinisq́; dissidijs perturbata, & externis bellis nō leuiter quassata fuit: precibus tamen & contentione multitudinis, amoreq́; patriæ uictus, assensit. Neq; uerò fefellit Polonos hoc ipsorū de Craco iudicium, prudētiæ & uirtuti ipsius datum. Nam hostes Regni, alios fœderibus sibi adiūxit, alios armis repressit: pacatis uerò foris rebus, domi licētiam & audaciam perditorum coercuit: iudices priuatarum controuersiarum, per loca constituit: urbem in noua Vistulæ ripa, in loco domicilij sui, condidit, ac de nomine suo Cracouiā appellauit, eiq́; arcē in colle Vauello felicibus auspicijs superædificauit, quam & Regni caput, Gnesna relicta, fecit: quę quidem urbs inter totius Septentrionis urbes facilè principatum tenet. Celebris fama erat huius Polonorum

Cracus Princeps, An. 700. *Polonus fuit, & Qualis.* *Cracouia, sedes Regni.* *Craci nomen celebre, &*

lonorum Principis: qua permoti Boemi, consanguinei Polonorum, ipsi quoque sibi eum Principem adsciuisse dicuntur. Sic autem quum per multum tempus bene ac feliciter regnasset, obijt tandem, & è conspectu Cracouiæ, ultra Vistulam, in monte Lassotino, aggesto instar montis tumulo (quemadmodum ipse mandauerat) sepultus est: extatq́; in hunc usque diem is tumulus, haud procul à delubro, quod D. Benedicti nomine uocatur.

Mors, & Tumulus.

DE FRATRICIDA LECHO SECVNDO.
Caput V.

CVrato Craci funere, filius eius natu iunior Lechus maiorem (cui Craco nomen erat) occultè interimit, Principatumq́; scelerate appetitum suscipit: uerùm patefacto pòst scelere, Principatu deiectus, & in exilium actus est: aut certè dijs & hominibus exosus, nullis relictis liberis, dolore & conscientia patrati fratricidij contabuit domi.

Lechi fratricidij Pœna.

DE VIRGINE VENDA, PRINCIPE.
Caput VI.

ITa uerò gratam sui memoriam Cracus Princeps apud Polonos reliquerat, ut utroque filio eius orbati, ad Vendam filiam, quæ unica superstes erat, Principatum deferrent. Sperabant enim, habituros se esse præstantem aliquem de externis Principē, uenustissimæ & prudentissimæ uirginis Vendæ coniugio inuitatū. Nec sanè fefellisset Polonos opinio, nisi per Vendam stetisset. Nam Ritigerus, illustris & potens ea tempestate in Teutonibus finitimis Princeps, per Oratores suos coniugē eam sibi petiuit: uerùm illa, excelsi & minimè muliebris animi uirago, negauit se alicui esse nupturam:

Venda uirgo Princeps. *Ritigerus, expetens Vendæ coniugiū, repellitur,*

Principem, quàm Principis uxorem, esse malle. Orare iterum atque iterum Ritigerus, mináque adijcere: sed postea quam frustra se omnia tentare uidet, coacto exercitu armis negatum coniugium persequi statuit: nec segnius Venda cum expeditis suorum copijs aduenienti hosti ad fines Regni sui occurrit. Miscere rursus cœpit Ritigerus preces atque minas, illa uerò exprobrare importunam libidinem armato. Oratores denique reuersi, eximiam puellæ pulchritudinem & sapientiam, animumque ad bellum quàm ad nuptias paratiorem, renunciant suo Principi. Orant itaque, ne se exercitumque suum, propter intempestiuum amorem & cupiditatem suam, turpiter conijciat in periculum: etiamsi exploratam haberet ui- ctoriam, inglorium tamen esse uiro cum fœmina certamen: ni desinat, relicturos se eum, domumque, signis conuersis, reuersuros. Ille omnibus tentatis, ubi obstinatos suorum animos, & à prælij dimicatione alienos esse uidet, mortem sibi consciuit (cùm propter amoris impatientiam, tum quòd à muliere sine ullo prælio uictus esse uideretur:) Theuthones uerò, ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ decesserunt. Lętata hoc successu Venda, ouans Cracouiam inuehitur: mactatisque quàm plurimis uictimis, ad extremum ipsa dijs patrijs solenni ritu se deuouet, ac de ponte in profluentem Vistulæ (ne quis aduersus casus eius felicitatem contaminaret) sese proijcit. Sic peccabatur ibi, ubi uerus ignorabatur Deus. Inuentum est postea Vendę ipsius cadauer: quod uno ab urbe milliario, editiore loco è conspectu urbis, supra amnem Dlubniam, proceres sepeliuerunt, aggesto itidem ut patri tumulo: indéque subiacens pagus, Mogilæ (hoc est, Tumuli) nomen adhuc retinet.

Bellumque mouet frustra.

Ritigeri interitus.

Theuthonum cum Venda fœdus.

Vendæ triumphus, atque

Tumulus.

DE

DE DVODECIM PALATINIS ITERVM, & de aurifice Præmislo, Lescone primo.

Caput VII.

POst Vendæ obitum, quum nemo Regiæ stirpis superesset, cōmutata est rursus Reipub. forma, à duodecimque iterum Palatinis Polonia cuncta, militiæ domique, aliquandiu administrata: donec rursus ad unum delatus est Principatus, ex mirabili quodam euentu atque stratagemate. Nam quum Poloni à Pannonibus & Morauis aliquoties profligati, animum à defensione finium suorum desponderent, homo quidam plebeius & aurifex, Præmislus nomine, coadunata aliquanta manu uoluntariorum militum, arte & dolo hostem fudit. Galeas enim & clypeos è tenerioribus arborum corticibus, & è quauis alia materia magno numero fabricari curauit, eaque partim felle, partim lithargyrio extrinsecus illita, noctu è conspectu hostilium castrorum, in extrema sylua, in truncis arborum, & in arbustis, terræque infixis ramis, ita appendit, ut ad exorientem Solem obuersa, armati exercitus speciem eminus inspectantibus exhiberent. quod conspicati Pannones, contemptu uicti sæpe fugatique à se hostis, pauci tumultuariè correptis armis, quasi ad certam prædam procurrerunt: nostri uerò interea, galeis atque clypeis submotis combustisue, fugam simulauerunt. Siue ergo pręcipitato illo tumultuario exercitu in insidias atque conciso, & mox indutis armis ipsorum, reliquos imparatos cæciderunt: siue, dum credunt fugisse Polonos, in securos illos, & crapula somnoque sopitos, Poloni repentè irruerūt: Pręmisli certè industria singulari illo stratagemate singulariter tunc enituit, opemque tulit patriæ: hostis uerò cæsus, & castris omni rerum copia refertis exutus, inglorius Polonia excessit.

Palatini duodecim.

In bello cum Pannonibus & Morauis, Præmisli stratagema.

ceſsit. Ob tam præclarum ergo facinus atq; meritum in Rempublicam, Præmislus omnium acclamationibus Princeps renunciatur, & blandum Leſci nomen apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriam gratioſum, oblatum accepit. Vocatur à quibuſdam, loco Leſci, Leſticus, ſed minus uſitatè. Videtur autem Principatus ipſius incidiſſe in annum Chriſti 750. aut 760. poſt quem ſuſceptum, in pace moderatum eum in ſuos geſsit: neq; auſus eſt quiſquam, eo uiuente, fines Poloniæ infeſtare. Quandiu uerò regnauerit, ubi & qua morte abſumptus ſit, non conſtat: liberos quidem poſt ſe nullos reliquiſſe fertur.

Præmislus Princeps electus, Leſcus uocatur.

An. 750. aut 760.

Principatus eius qualis, & Quàm diuturnus.

DE CVRSORE LESCO SECVNDO. Caput VIII.

PRæmislo itaq; uita defuncto, exoritur noua de Principatu cõtentio: quumq; nullus appareret ambiendi modus atq; finis, placuit rem fortunę committere. Indictus eſt itaq; ad certam diem maculoſorum equorum curſus: qui primus ad metam perueniſſet, eius dominus Princeps ut eſſet. erigitur meta ad Prãdinicum amnem: effunditur ad ſpectaculum ingẽs hominum multitudo. Ibi Leſcus quiſpiam, competitorum unus, quum ſtadiũ uafro conſilio (ſtrauerat enim clàm in ſabulo ferreos acutos ſtylos, quibus currentium equorum pedes læderentur) impediuiſſet, primus ad metam, obliquo & minimè impedito tramite, peruenit. Munierat autem & equi ſui calces ferreis ſoleis, ut ſi fortè cum impetu currens, in eos incidiſſet, non offenderet in ſtylis: quum omnes omnium aliorum equi de more illius temporis, ſoleas nullas haberent. Illius itaq; rei prorſus ignaris omnibus, & miraculo attonitis, iamq; Victorem & Principem

Principis electio fortunæ commiſſa.

Leſci dolus.

pem (quaſi diuinitùs ſibi oblatum) Leſcum acclamantibus, techna deprehenditur: protrahitur Leſcus in medium, conuincitur, damnatur, cõcerpitur. Notarunt autem commentum illud impediti curriculi, duo quidam iuuenes tenues & obſcuri: quum, nemine etiãdum præſente, pedeſtri curſu in ſtadio illo fortè certarent, ioco Principatum inter ſe pacti. Offendentes nanq; in ſtylis, ſubſiſtunt: inueſtigant rem curioſius: notant tramitem ſtylis uacuum. Eorum itaq; alter, equitibus illis, qui de Principatu certabant, à carceribus procurrentibus, procurrerat & ipſe pedeſter noto iam ſibi tramite, ſpectatoribus effuſo riſu eum proſequentibus: omnium uerò equis, poſteaquam ad ſtylos uentum erat, ceſpitãtibus, iuuenis ille pedeſter primus poſt doli fabricatorem peruenerat ad metam. quem propterea, fabricatore fraudis necato, Principem omnis populus ſalutat: & (ne quid ad auctoritatem & maieſtatem illi deſit) Leſcum, commutato nomine, appellat. Is ergo Leſcus, Princeps factus tam inſperato rei euentu, dedit operam ſedulò, ne tanto munere indignus iudicaretur: nec modo finitimorum uim & incurſiones repreſsit, ſed quibuſdam etiam populis ultrò bellum intulit: quantum uerò dabatur otij à bellis & à ſerijs Reipub. negotijs, in exercenda uirtute & diſciplina militari illud ferè conſumpſit. Fuit autem in hoſpites ſplendidus & munificus: in ſuos, cùm uirtute aliqua præſtantes, tum egeſtate preſſos, liberalis: adeuntibus quoq; facilis & comis, acerq; uindex iniurijs preſſorum. In uictu cultuq; corporis, ſingularis erat parſimoniæ: rudibus & craſsis pannis, aulęorum loco, paſsim utebatur: niſi ſi quando in publico dare aliquid ſplendori & maieſtati Principatus, propter externos homines maximè, cogebatur, quin ibi quoq; craſſos illos ſuos pannos,

Deprehenditur: & qui dolum detegit, fit

Princeps, Leſcus uocatus.

Leſci II. Principatus qualis,

Eiusq; uirtutes.

nos, quibus ante adeptum Principatum usus esset, ob oculos sibi poni iubebat: quibus admoneretur fortunæ suæ pristinæ, & unde ad tantum honoris fastigium esset euectus. Ab ebrietate uerò Lescus ita abhorrebat, ut pe- cudi quàm homini similiorem esse ebrium hominem iu- dicaret. His moribus & hac moderatione animi quãdiu quibusq; rerum successibus regnauerit, & quomodo ui- ta defunctus sit, itidem atq; alia illius temporis, incertũ est: non desunt, qui hunc ipsum Lescum interfectum esse scribãt in prælio, quod ipse uicinis suis Vngaris ac Sla- uis ferens auxilium, contra Carolum Magnum Impera- torem gesit: idq; actum est circiter annum Christi 805.

Quandiu Principatum tenuerit.

An. 805.

DE LESCO TERTIO. Caput IX.

LEsco igitur è rebus humanis sublato unicus eiusdẽ nominis filius successit, non degener à paternis uir- tutibus. Nam ita se gessit in Principatu bello paceq;, ut patrem non adæquare modò, sed superare etiam uidere- tur. quin & cum finitimis, qui (nouitate & humilitate ge- neris eius despecta) nouos ciebant motus, bella gessit: eosq; uel perdomuit, uel reuocauit ad officium. Quòd si uerum est illud, quod de patre ipsius, in prælio interfe- cto, diximus: hic filius interfecti fortasse (ut quidã com- memorant) legationem de pace ad Carolum miserat. Su- scepit autem Lescus hic ex legitima uxore Popelũ, eun- demq; in spem Principatus liberaliter educatum, succes- sorem sibi uiuens designauit.

Lesci III Principatus qualis.

Filius Lesci, successor.

DE POPELO PRIMO. Caput X.

LEsco itaque uita pariter atque Principatu defuncto, destinatum à patre Principatum Popelus suscepit, patris

Popelus degener.

patris auiq; dissimilis, ignauus atq; timidus. Qui quum nihil præclari in Principatu gessisset, Regiam tãtùm & domicilium suum Cracouia Gnesnam primùm retulit, indeq; non multo pòst Crusuiciam. Iuuenili adhuc æta- te, quum aliquot annis regnasset, in morbum incidit, ac paulo pòst obijt. Fertur autem subinde solitus esse mu- rium deuorationem sibi suisq; imprecari: quo quidem malo filius eius absumptus est.

Regia translata Gnesnã & Crusuiciam.

Popeli mors, & murium imprecatio.

DE POPELO SECVNDO, PARRICIDA misero. Caput XI.

PEracto solẽni ritu Popeli funere, filius eius eiusdem nominis, etiam tum impuber, Principatui inaugura- tur, omnibus subiectionem ipsi, interposito iureiuran- do, promittentibus. Quum pubertatem attigit (quæ ma- ximè lubrica & procliuis ad licentiam uoluptatesq; ętas est) suo arbitratu uiuere: Patruorum monita, quibus e- ius tutela (utpote adhuc impuberis & pupilli) demanda- ta fuit, aspernari: cum æqualibus consilia capere: conui- uia compotationesq; largiores cum ijsdem frequẽtare: Rempublicam, iudicia, & querimonias hominum negli- gere: ad res agendas ineptus, ingenio nullo, ac inde om- nibus erat despicabilis, ita ut Chostek uulgò per cõtem- ptum appellaretur. Patrui cum alijs proceribus, dissolu- tam illam principis uitam refrenare cupientes, uxorem illi dant elegãti forma puellam, Theuthonici cuiusdam Principis filiam. sed ne sic quidem de flagitijs & nequi- tia sua remisit quidquam: imò uerò noua crudelitatis & auaritiæ scelera, uxoris consuetudine sibi adiunxit. Fuit enim hæc ita auara & ambitiosa mulier, ut degustata se- mel dominatus atque lucri dulcedine, despecta uiri in- ertia, muliebri astu Imperium omne ad se transtulerit.

Popeli II. principatus qualis.

Chostek.

Vxor eius qualis.

Vnus obstabat scrupulus, Patruorum uiri sui gratia & auctoritas apud multitudinem, integritate uitæ morumq; grauitate & prudentia comparata. Itaque eos quàm maximè potest suspectos & inuisos, criminibus confictis, apud suum maritum reddit: eosq; tollendos è medio, suadet. Porrò dum facilè ægrum atque timidum uiri animum in deteriorem partem impulit: talis, nefandæ mulieris instinctu, necandorum illorum ratio initur. Grauem & periculosum morbum Princeps simulat: Patruos, neci destinatos, accersi eius nomine uxor iubet. Conueniunt sine mora: morbi magnitudinem Princeps gemitu assimulat: finem adesse uitæ suæ, diuinitùs indicatum, asseuerat: uxorem, paruosq; filios, ipsorum fidei ac tutelæ etiam atque etiam commendat: itáque in eiulatibus, planctibus & lamentis, absumpto die, quum iam ad occasum Sol tenderet, Princeps Patruos quasi moribundus iam dimissurus, nomine quenque blando compellat: ac in signum amoris circumferri medicatum poculũ, paratum ad eam rem, iubet: prægustare se simulat, cæterùm spumam tantùm, à medio extantem, halitu difflat. Illi quum omnes bibissent ordine, fingit somno se premi, & uelle quiescere. Vbi discesserunt, reuerenter salutato Principe, cõceptum præcordijs uenenum uitalia membra occupat: nec mora, de statu mentis remoti & furentes, maximo cum cruciatu cadunt, & exanimantur. Sed non sinit inulta esse diu diuinum numen scelera. Nam ex cadaueribus putrefactis, quæ mulier, insepulta disijci mandauerat, enati mures inusitatæ magnitudinis, impium parricidam, cum scelerata uxore atque liberis fugientem, quoquò uersus per aquam flammamq; persequuntur: nec claustra prosunt, aut abigentium satellitum ulla præsidia. Ad extre-

Parricidiũ.

Eiusq; ultio miserabilis à muribus.

extremum diffugientibus omnibus, absumptis prius filijs, deinde uxore, postremus ipse infelix miserabiliter lenta morte ab eisdem consumitur in arce Crusuicia. Ita non cassæ ceciderunt patris eius imprecationes, qui subinde solitus esset (ut diximus) murium deuorationem sibi suisq; imprecari.

DE INTERREGNO, ET PIASTI electione mirabili. Cap. XII.

EXtincto (ut dictum est) Popelo cum uxore & liberis, conuenit magna Procerum multitudo Crusuiciam, ad creandũ nouum Principem. Agitata re aliquandiu, (eò quòd uaria essent hominum studia, & ambitiosi quidam magnas post se traherent factiones) infecto tandem negotio disceditur. Dum autem nemo parêret alteri, nemo cederet: miserè tum, in summa omnium licẽtia, Polonia diuexabatur. Indicta quidem sunt iterum comitia: sed frustra ibi cõsultatur, ubi nõ modò nõ remittuntur, sed intenduntur etiam partium studia: nisi insperata salus afflictæ Poloniæ diuinitùs oblata fuisset. Erat Crusuiciẹ oppidanus, Piastus nomine, Cossisconis filius, statura infra mediocrem, crassis atq; robustis artubus, mediam ætatẽ supergressus, agello modico colendo & mellificio uitam sustentãs, homo simplex & iustus, ac beneficus in egenos, atq; hospitalis, pro modo facultatũ suarum: ex uxore, à suis moribus non aliena, cui Repichæ nomen erat, unicum filium susceperat, eiq; (uiuente adhuc Popelo) primam comam gentili ritu tonsurus, & nomen impositurus, amicos ad eam cerimoniam atque conuiuium, porco mactato, & uase aquæ mulsæ infuso, inuitauerat. Priusquam stata dies adesset, forte obtulerũt ei sese ignoti duo homines, habitu peregrino: quos ille

Post electionem Principis, factionibus plenam.

ille (quum Regia excluderentur) comiter inuitatos, hilarè domum ſuam introduxit: inſtruxit menſam: appoſuit affatim ex his quæ ad futurum conuiuium apparauerat. Ibi res mira et ſtupenda accidit. Accreuit caro porcina, redundauit ex uaſe mulſa, ita ut non ciues modò, uerumetiam Principem ipſum cum omni comitatu deſtinato conuiuio acceperit. Eiſdem igitur hoſpitibus ſub tempus comitiorum reuenientibus, & iubentibus, Piaſtus ex tenui penu cellaq; ſua conuentum illum omnem penuria laborantem, augeſcente rerum earum quæ promebantur copia, refecit. quo miraculo animaduerſo uulgatoq;, una uoce omnes, Piaſtum non humanis ſuffragijs, ſed diuino iudicio Principē ſibi dari, conclamant. Recuſat ille: tandem hoſpitibus illis ſuis auctoribus aſſenſus, ita ut erat ueſte & peronibus ex tiliç cortice textis indutus, in Regiā à Primoribus deducitur. Hoſpites illi, perfuncti officio ſuo, diſparuerunt. Exiſtimantur autem ij fuiſſe angeli Dei, beneficentiā & hoſpitalitatē etiā in alieno à uera religione remunerantis.

Piaſtus mirabiliter eligitur, propter hoſpitalitatis ſtudium.

DE EIVSDEM PIASTI PRINCIPATU. Caput XIII.

Piaſtus in Principatu beneficentior factus,

Optimus ſit Princeps.

PIaſtus Principatui inauguratus, non mutauit cum ſtatu uitæ animum: quin auctus copijs, multum ad priſtinam ſuam beneficentiam atq; benignitatem adiecit, uxore non modò non dehortante, uerùm adiuuante etiā. Conquieuerunt ſub eius Principatu inteſtina odia, cædes & latrocinia, reuerentia magis boni & uigilantis Principis, quàm armis et ſeueritate: præſertim quòd eum Dijs curæ eſſe, & ipſorū non obſcuro iudicio in illa Reipub. ſpecula collocatum, certò ſibi perſuaderent. Nihil
„ enim æquè ualet ad religandos atq; deuinciendos ani-
mos

mos hominum, & ad moderandas ſtabiliendasq; Reſ- „
pub. quàm Religio: quæ pietate atq; integritate Princi- „
pis maximè excitatur & continetur. His præſidijs Pia- „
ſtus & bonis charus, & malis reuerendus, & finitimis uenerabilis, longam etiam Principum Regumq; Poloniæ poſteritatē per multa ſecula, uſq; ad Cazimirum ſecundum, qui Magni cognomen adeptus eſt, propagauit. Porrò abominatus Cruſuiciam, nefario ſcelere diroq; interitu Popeli cōtaminatam, Gneſnam in priſci Lechi Regiam domicilium ſuum tranſtulit: quumq; per multos annos ſapienter clementerq; regnaſſet, ſenex admodum, annū agens centeſimum & uiceſimū, mortuus eſt.

Poſteritas Piaſti.

Regia Gneſnam tranſlata.

CXX annos natus moritur.

DE ZEMOVITO. Caput XIIII.

Zemouiti uirtutes,

SVcceſsit Piaſto unicus filius Zemouitus, uir impiger, & ad rē militarē factus, æſtus iuxtà ac frigoris, laborisq; & inediæ patiēs, ſomni parciſsimus, uictu cultuq; corporis non multum à gregarijs militibus differens, alieni abſtinens, de ſuo munificus, facilitate & liberalitate militum procerumq; ſtudia tenere ſolitus. Nec mirum ſanè, ſi non difficile fuit, his eum artibus atq; ſtudijs ſummam ſibi apud ſuos charitatem comparaſſe: qui uiuentem adhuc & ſenio confectum patrem, in bellis & grauiſsimis quibuſq; negotijs, magno omnium fauore & beneuolentia, iuuare ſtuduerat. Quamobrē poſt mortem patris, militari diſciplina conſtituta, omnia à Principatu alienata recuperauit: ac plura etiam de Morauis cepit, & Regno adiecit: tū & à Pruſsis, quæ ſuperiore tempore de Polonis ceperant, bello repetiuit. His autem feliciter actis, rebus humanis, Gneſnæ moriēs, exemptus eſt, altero & triceſimo Principatus ſui anno.

Charusq; apud omnes principatus, &

Res feliciter geſta, atq;

Mors.

DE LESCO QVARTO.
Caput XV.

Lescus IIII princeps.

MAgno tam boni tamq; bene de Repub. merentis Principis desiderio ducti proceres, filium eius unicum, cui Lesco nomen erat, in Principatu ipsi surrogant adolescentulum. Hic quum adoleuisset, quietis potius & otij, quam bellicæ gloriæ fuit amantior, contentus eo quem à patre per manus acceperat, Principatu: quo iustè, continenter & clementer, magna suorum beneuolentia, perfuncto, tandem uita defunctus est.

Accepto principatu côtentus.

Moritur.

DE ZEMOMISLO.
Caput XVI.

Zemomisli uirtutes, &

SVccesit Lesco patri Zemomislus, probus & ipse, lenis, beneficus, hospitalis, & quietis amans (quas uirtutes quasi hæreditarias à Maioribus suis habebat) sed non alia re nobilior, quàm filio. Nam quum aliquot annos, nullos ex uxore susciperet liberos: nascitur tandem ei filius, sed cæcus. quæ res ipsi, breui gaudio delibuto, maioris mœstitiæ causa fuit. Septimum annum puer attigerat: quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi solebat. adsunt ad celebritatem frequentes Proceres: epulantur cum Principe mœsto, & sortem suam, orbitatis non ita multum dissimilem, deplorante, Principis & ipsi uicem dolentes: quum ecce insperata cunctis affulsit lætitia. Puer enim, absque ulla medicorum aut cuiusquam omnino ope, subitò lucem aspexit. Conuiuæ miraculo attoniti, effuso gaudio sibi & Reipub. tantum bonum diuinitùs oblatum certatim gratulantur. Puero Miecislao, quasi qui gladio sibi gloriam pariturus sit, nomen est inditum: sed is postea à matre & pedisequis blandius, ut fit, Miesco uocatus est. Zemomislus,

Filius, cæcus quidem post aliquot annos natus,

Sed mirabiliter illuminatus.

Miecislaus is uocatus,

momislus, peracto conuiuio, diuinos & ariolos de filij successibus, & quid hoc portenderet, quòd is cæcus natus, tanto interuallo uidere cœpisset, sciscitatur. Respondent illi: Poloniam eius Principatu illustratum iri. Accuratè igitur puer, & ut Principe dignum est, iussu patris educatus, ipsi Zemomislo patri, Gnesnæ mortuo & sepulto, successit.

Futurorũ bonorum bonũ omen fuit.

Miecislai educatio.

Zemomisli mors.

LIBER II.

DE MIECISLAO, PRIMO Principe Christiano.
Cap. I.

SVscepto itaque post mortem patris Principatu, & iustè quidem administrato, uxores septem barbarico more Miecislaus duxit: quas tamen postea, quum de religionis Christianæ ueritate & castitate aliquid audisset, dimisit: Dambroucamq; Christianam, Boleslai primi Boemorum Ducis filiam uirginem, de consilij sententia nouo matrimonio sibi iunxit. Quæ posteaquam splendido comitatu Gnesnam aduecta est, Miecislaus Princeps Baptismo (ut conuenerat) ritu Christianorum initiatur, anno Christi 965. deinde Boemos, qui nouam nuptam deduxerunt, honorificè habitos & splendidè donatos remisit: mox totũ sese ad propagandam per omnem Principatũ suum Religionem, hortante & adiuuante uxore, cõuertit. Basilicas etenim nouem, diuersis locis, ædificat, easq; supellectili omnis generis pretiosa ornat, censibus & possessionibus locupletat: & in diœceses distributas, duas quidem ex his

Miecislaus, Barbaricis uxoribus dimissis,

Dambroucã accepit, &

Baptismo suscepto, An. 965.

Hospitibusq; honorificè habitis,

Christianam Religionem ampliat.

Archiepiscopæ, & Episcopæ, nouem. Archiepiscopis, nempe Gnesnensem & Cracouiensem: reliquas uerò, hoc est, Posnaniensem, Smorogouiensem (quæ postea Bicinensis, ac demum Vuratislauiensis dicta est) Crusuiciensem, Plocensem, Culmēsem, Lubussensem, & Camenecensem, singulis Episcopis attribuit: eisq; *Decimæ.* decimas omnis generis frugum, de suis iuxtà ac nobilitatis plebisq; agris, edicto perpetuo adscribit. His autem rebus perficiēdis Aegidius Cardinalis, Episcopus Tusculanus, Ioannis tertij decimi Pont. Max. (qui per illud ipsum tempus Leoni octauo successerat) Legatus, præfuit: qui primus *Archiepiscopis & Episcopis,* Archiepiscopos & Episcopos Italici, ac quosdam Gallici & Germanici generis, fecit: quum nostri rudes adhuc essent ac nouicij. Additi sunt & *Inferioribúsque sacerdotibus,* inferiores sacerdotes, qui partim socij & consiliarij, partim administri essent Episcoporum: quorum opera, studio atq; diligentia, religio Christiana ce*Cooperatur Deus,*leriter magna cepit incrementa in Polonia: præsertim quum alij muneribus & honoribus à pio Principe, di*Pio Principe uigilanter adiuuante.*tionem suam omnem eius rei gratia circumeunte, allicerentur, alij minis adigerentur. Dum uerò totus est in his Miecislaus, *Boleslaus Miecislao natus:* nascitur ei filius è Dambrouca uxore: cui apud sacrū Fontem, aui materni Boleslai nomē imponitur: adulto deinde, pater uiuēs adhuc uxorē accepit Iu*Et eius uxor.*ditham, Geisæ siue Iessæ Vngarorum Principis, affinis sui, filiam, ex priore uxore susceptam. Nam ea mortua, *Miecislai soror Adleida Vngaris persuadet Christianismum.* sororē ei suam Adleidam Miecislaus in matrimoniū collocarat: à qua persuasus Geisa, & ipse cum Vngaris suis Christianam religionem, quinto post Polonos anno, suscepit. Pijs autem & quietis consilijs ferè Principatum *Principatus Miecislai qualis.* suum Miecislaus, annis triginta quinq; administrauit: præter, quòd cum Volodimiro, Russorū Duce, ditiones suas inuadente, necessariū bellum gessit. Cæterùm

quò

quò augustiorē Principatum posteris suis relinqueret Miecislaus: hortante senatu, Lampertū Cracouiensem Episcopū, uirum doctum & eloquētem, Oratorē mittit ad Benedictū eius nominis septimū Pont. Max. ut Re*Regium diadema expetitur.*giū diadema sibi mitteret, Regemq; Polonorū se & posteros suos esse iuberet: uerùm ea res propter certas & iustas causas in aliud tempus dilata fuit. Hoc Principe *Mos Polonorum, sub initium pronunciandi Euangelij.* mos inoleuit apud Polonos, ut homines equestris ordinis, in templis, dum sacerdos apud altare pronūciat, ex quo Euāgelista recitaturus sit Euangeliū, gladium mediotenus stringerēt (quasi profitentes, mortē sibi prius oppetendam, quàm à suscepto semel Euāgelio & Religionis professione discedendum:) Choro autē respondente, Gloria tibi Domine: rursus reconderent. Fuerāt etiā hoc tēpore in solitudine, apud Dunaieciū fluuium, duo monachi, sanctimonia uitæ celebres: quorū Bene*Monachi duo sancti.*dictus ab Vngaris, quòd Christum profiteretur, cæsus: Suiradus, post uitam durissimè exactam, in monasterio Montis ferrei in Vngaria, quò ambo commigrarant, sanctè decessit.

DE BOLESLAO PRIMO.

Caput II.

SVscepit tandem paternū Principatū Boleslaus, summa Polonorū omnium uolūtate: quippe quos non *Boleslai uirtutes, &* indoles tantū eius egregia, nec uulgaris animi magnitudo, summo Principe digna, spe optima implerēt: sed rara etiā (quæ elucebat in eo) modestia, uerecūdia, comitas, suauitas morū grauitate temperata, & reliquæ adolescentiā magnopere cōmendantes uirtutes, spem & opinionē de illo conceptā minimè fefellerūt. Hic eñ Prin*Res gestæ.*ceps Polonorum nomen, Regia dignitate, externorum Principum necessitudinibus, & clarissimis rebus gestis

uehe-

uehementer illustrauit: militarẽ disciplinã auxit: Regni fines longè lateq; propagauit: Religionem stabiliuit, & augustiorẽ reddidit: deinde feros & agrestes homines ad ciuiliorem aliquanto uitæ cultum redegit.

DE SANCTO ADALBERTO, PONTIFICE & MARTYRE. Cap. III.

S. Adalbertus Pragens. Episcopus, ERat sub id tempus apud Boemos Pragensis Episcopus Voiccechus (qui Adalbertus ab externis appellatus est) uir nobilis, & sanctimonia uitæ pietatisq; studio clarus. Is quũ nihil apud Boemos, in retinendo impio cultu pertinaces, crebris admonitionibus acribusq; obiurgationibus proficeret: Romã primùm, ac deinde (impetrato à Pont. Max. commeatu: tentatis tamen primò, an resipiscerẽt, Boemis) in Vngariã profectus erat: ibiq; annum & amplius cõmoratus, Geisa Principe cum uxore fauentibus, Vngaros Religione Christiana per interpretẽ accuratius imbuit: postremò in Poloniã ire perrexit. ubi à Primoribus & cætera multitudine honorificè exceptus, eandẽ Polonis quam Vngaris nauauit operam: ubi etiam mortuo illis diebus Roberto primo Gnesnensi Archiepiscopo, magnis Principis precibus exoratus, in Archiepiscopatu succesit. Sed non multo interiecto tẽpore, uisu nocturno diuinitùs admonitus, peregrinationem (ægrè dimittentibus eum Principibus) in Prussiam persequitur: Gaudentio fratre, siue Rasino, relicto pro se Archiepiscopo. Ibi dum Religionẽ Christianam, magna cum difficultate & patientia, dissẽminat, à gente barbara & immani, ueneranda mysteria sacrosancti Missæ sacrificij peragens, prope oppidum quod Fisshausum Germani postea dixère, ad littus Oceani à barbaris confossus interficitur, die 23 Aprilis, anno Christi 997.

Vngaros, & Polonos Fidem docet, Archiepiscopus Gnesnensis factus: Et à Pruthenis deinde, Dum Missam faceret, occisus.

DE

DE BOLESLAO PER MIRACVLORVM occasionem ad sepulchrum Martyris Rege primùm creato. Caput IIII.

POrrò interfectum S. Martyris corpus postea Boleslaus Dux redemit, & minimo quidem: eò quòd appenso in statera corpori, diuina uirtute id efficiente, pondus sanè perexiguum inesset. Tantum enim argenti, siue (ut alij uolunt) auri, barbari pacti erant, quantum corporis ponderi responderet. Deductum autem solenni pompa, primùm in Tremesnensi monasterio collocauit, pòst ad Gnesnensem basilicam transtulit: nec mora, cœpit locus & monumentum inclyti martyris Christi plurimis, & salutiferis humano generi, clarere miraculis. Qua fama permotus Otto Rufus, tertius eius nominis Romanorum Imperator, ab Italica expeditione reuertens, cum permagno & splendido comitatu, pacatus in Poloniam ad sepulchrũ noui martyris uenit: quem Boleslaus, ut paternum amicum, plus quàm regali magnificẽtia & liberalitate excepit: ac cùm alijs amplissimis donis, tum abaco & instrumento mensæ omni aureo & argenteo, quod triduo nouum semper promebatur, aulæisq; & uestibus pretiosis, donauit. Volens autem tam splendido hospiti & amico parem referre gratiam, Regem eum appellat, sociumq; & amicum Romani imperij, à tributo & omni iurisdictione Imperatorum immunem: ac diadema suum, Gaudentio Archiepiscopo solennes cerimonias peragente, ipsi imponit: eumq; honorẽ sempiternum ipsi & posteris ipsius, in Polonia regnaturis, esse iubet. his adiungit hospitale munus: unum de clauis, quibus Christus Dominus cruci affixus esse dicitur, & lanceam diui Mauricij: quæ omnia in basilica Cracouiensi, ubi sedes est Episcopi, adhuc uisuntur. Vicissim

Corpus S. Adalberti redemptũ, & Tremesnum atq; Gnesnã deductum, Miraculis Ottonem Imper. in Poloniam aduocat: eiq; Boleslao magnificè & liberaliter se gerente, Regium honorem atq; dignitatem conciliat. Clauus Christi. Lancea S. Mauricij.

 autem

Brachium S. Adalberti. autem brachiũ S. Adalberti à nouo Rege accepit: quod Romæ in Insula, ad diui Bartholomęi ædem, ab eo postea depositum esse fertur. Acta sunt hæc anno à Christo nato 1001.

DE BOEMICO ET RVSSICO BELLIS, & monte S. Crucis, & quinq; Eremitis martyribus. Cap. V.

Boleslai res gestæ feliciter contra Ducẽ Boemorum atq; Russorum. CAeterùm Boleslaus, Poloniæ Rex nouus, Duci Boemorum Boleslao, propter crebras eius in Poloniam incursiones, bellum intulit: eiusq; oppida & arces partim ui expugnauit, partim in deditionem accepit: Morauos tributarios Regno suo fecit: Iaroslaum *An.1008.* Ducem Russorum anno Christi 1008. fudit: Kijouiam, insignem ea tempestate urbem, per deditionem accepit, intactamq;, thesauro dũtaxat Principis in donatiuum militũ & in sumptus belli ablato, Stopelco Duci exuli, Iaroslai fratri, restituit. Discedentem iam inde Boleslaum Iaroslaus iterum cum ualido exercitu, apud Nouogrodum comparato, ad Bogum amnem consequitur: ubi commisso graui prælio, urgentibus nostris, Regeq; & imperatoris & militis officium faciente, pulsi sunt Russi, tanta suorum cæde, ut Bogus sanguine cæsorum rubuisse dicatur. Victor autem in Regnum reuersus, uota *Gratiarum actio pro uictoria.* Deo persoluit: templa complura, sed Gnesnæ inprimis, dotauit ornauitq;: Proceres & milites eos, quorum uir- *Beneficentia.* tus maximè præclaro aliquo facto perspecta erat, pro *Chrobri.* meritis collaudatos honoribus & præmijs affecit: Chrobri (hoc est, Acris) appellationem, propter excellentem uirtutem, & animi magnitudinem, à Rusßis tributam accepit: monasterium Secechouiense in Sendomiriensi tra *Monasteriũ Secechowiense, &* ctu condidit, conferente patrimonij sui partem Sececho.

cho, Palatino Cracouiensi & Magistro Militiæ, ex gente Topororum: à quo monasterium id nomen accepit. Construxerat etiam idem Rex ijsdem monachis aliud *Calui Montis.* monasterium paulò ante Rusßicum bellum, in monte Lysecio (quem Latinè caluum dixeris) orante & hortante Emerico, Regis Vngariæ filio, uiro sancto & casto, qui lubens cum Boleslao pio, itidem propinquo suo, uitam degebat in Polonia. Atq; is portionem Crucis Chri *S. Crucis portio.* sti, quam Constantinopolitanus Imperator patri eius Stephano magni muneris loco miserat, quaq; ipse pro amuleto utebatur, in eo loco reposuit: ubi in hunc usque diem salutaria hominibus eduntur miracula. Hoc etiam tempore, atq; adeò ante ipsum Rusßicum bellum, sex ui- *Fratres Poloni sex, ex quibus* ri religione & sanctimonia uitæ insignes, duram & incultam uitam degebãt, in illa solitudine Maioris Poloniæ, ubi nunc est Cazimiria oppidum: ex quibus quinque, *5. Martyres.* Matthęus, Benedictus, Ioannes, Cristinus, & Isaac, à consceleratis quibusdam crudeliter excarnificati, pridie Idus Nouembris interfecti sunt: sextus autem Barnabas, qui tunc absfuerat, aliquanto pòst sua morte uitam finiuit. Causa sceleris fuit aurum, quod latrones quidam à Boleslao ipsis donatum cognouerant, sed repudiatum & per Barnabam remissum nesciebant. Ferunt tuguria eorum, ab ijsdem latronibus post cæsos iam martyres incensa, non arsisse: ipsos uerò latrones, quum exitum syluæ non inuenirent, Regis iussu comprehensos, & ad martyrum tumulum alligatos propterea, ut acerbißimũ famis supplicium expenderent, cadentibus ultrò uinculis diuinitùs solutos esse, quum pœnitentia patrati sceleris ducti, ad Dei clemẽtiam, & ad eorum quos dudum necauerant, patrocinium confugissent. Singularis sanè, qui pios homines afficit singulariter, situs est illorum

tuguriolorum, in quibus illi sancti monachi, sub initium Christianæ religionis in Polonia, habitabant: quatuor collocatis tuguriolis forma quadrangulari, quintum (ubi rem sacram in templo facere, & populum aduenientem docere consueuerant) ita erat in medio cõstitutum, ut quinque Christi uulnera facilè ijs, quibus piæ meditationes placent, referant & repræsentent. Gaudet profectò cathedralis Ecclesia Posnaniensis his quinque martyribus Patronis, quorum & reliquias sanctas habet, & sub nomine Quinque Fratrum Polonorum martyrum, postri die festi S. Martini Episcopi, celebrem eorum memoriã cum Gnesnensi Ecclesia metropolitana facit.

DE SAXONICO, PRVSSICO, ET RVSSICO, bellis. Cap. VI.

COnfecto autem bello Rußico, Rex Boleslaus, ne sui diuturno otio torpescerent, utque ea quæ Poloniæ adempta erant recuperaret, Saxonibus bellum intulit. Non multo tempore post hoc bellum quieti dato, aliam rursus expeditionem in Prussos suscepit, indignam diui Adalberti necem ulturus, & illam quoque gẽtem suo adiecturus Imperio: quare per Culmensem tractum (qui Polonicæ ditionis erat) hostiles terras ingressus, agros uastat: Razinum, Romoue, & Balgam arces, nullo negotio capit & incendit, uicosque & pagos diripit. Pacem postea à Rege petunt & impetrant Prusſi, tributum pendunt, & pensuros se deinceps quotannis, promittunt. Dimittit ibi Rex uiros, qui barbaram gentem rationem & ritus Christianæ Religionis docerent: uictor uerò inde recedens, in Ossa flumine ferream columnam ponit, mille paßibus à Rogozno oppido: unde uicina uilla nomen Slupi, hoc est, Columnæ, accepit. Biennium ab eo bello quieuit

Bellum Saxonicum, & Prusſicum.

Prutheni Fidem docētur.

Columna ferrea.

quieuit Boleslaus. quo tempore multa, quæ ad Religionis maiestatem, & ad Rempub. bello domique administrandam pertinere uidebantur, sapienter constituit. Interim uerò optatam pacem Iaroslaus, Dux Russorum, turbabat, & aduersus Boleslaum Regem magno apparatu bellum renouabat. Rex igitur non rumoribus modò, sed crebris etiam suorum Præfectorum nuncijs excitus, contra hostem cum exercitu proficiscitur: adducebat autem & Iaroslaus ingentes copias, in Poloniam (si liceret) inuasurus. Veniunt ergo in conspectum, apud Bogum amnem, exercitus: decreueratque Boleslaus eo die prælio non dimicare, ob reuerentiam diei Dominici: sed magnam in bellis fortuna uim habet, paruisque interdum momentis permagna fit rerum atque consiliorum mutatio: ut tunc accidit. Nàm pugna inter paucos primùm lixas & aurigas (dum adaquant equos apud flumen, quod castra dirimebat) orta, mox pluribus utrinque concurrentibus, inualuit. Eminus sagittis & iaculis, cominus uerò ab audacioribus nonnullis in flumine etiam res gerebatur: quum ecce Polonicus exercitus omnis celeriter armatus fluuium tranat. Committitur itaque acre prælium: cedere loco hostes, nostri magis instare: ibique Dux hostium à suis impulsus, fuga saluti suæ consuluit, & reliqui omnes effuso cursu paßim ex acie diffugiunt. Sic autem tum in prælio, tum in fuga concisis atque debilitatis magna strage hostibus, Rex pacem dedit supplicibus, tributum modicum imposuit: & captiuos omnes, quos etiam superiori bello ceperat, liberaliter dimisit. quod quidem bellum anno post Christum natum 1018. confectum est, ut uult Dlugossus.

In pace gesta.

Bellum contra Russos

Die Dominico

Prosperè gestum.

Pax datur Rußis.

An. 1018.

d De

DE BOLESLAI REBVS IN PACE GESTIS, *filio successore designato, & morte.*

Caput VII.

Res à Boleslao in pace gesta,

PAce uerò per circuitum parta, auctoq; & propagato in omnes partes cum laude atq; gloria Imperio, reliquum uitæ tempus instituendæ domi Reipub. Boleslaus Rex dedit: duodecim utens consiliarijs, quos è tota Polonia probatissimos, & annis iudicioq; graues, delegerat: iudicia exercebat: tenuiores, dum litis finem expectant, sumptu mensaq; sua sustentabat: egenis subueniebat undiq;: & pauperibus, causam suã agere nescientibus, causidicum, de suo data mercede, attribuebat. Nulla autem in re pius & clemẽs hic Rex erat seuerior, quàm in contemptu Religionis, templorum profanatione, & sacerdotum iniurijs uindicandis: hominibus Ecclesiasticis omnium onerum, laborum & pensionum, Regi & Reipub. præstandarum, immunitatem sempiterno Iure concessit. Episcopos enim & sacerdotes ipse colebat, & ab omnibus coli uolebat: nec sedebat, stante aut ueniente Episcopo, nisi & ipse assedisset. Arces etiam & præfecturas, atque omne penè Regnum crebrò ipse Rex obibat, dicere subinde solitus: Malle se, gallina uescentem, salutem & tranquillitatem suorum tueri: quàm delicijs indulgentem pati, ut quisquam uexaretur aut opprimeretur. Pecuniam insuper contemnebat: omniaq; ad decus Religionis, ad salutem Reipub. & ornamentum templorum, atq; ad præmia bene merẽtium de Repub. conferebat. Annis denique pariter ac laboribus confectus, Miecislaum filium suum successorem sibi summo omniũ consensu designauit: eiq; ut pietatem erga Deum, uirtutem, iustitiam, benignitatemq; in omnibus colat, senatoribus suis honorem habeat, ab omnibus amari magis quàm

Iustissimè,

Religiosissimè,

Vigilantissimè, &

Liberalissimè,

Successor Regni, & relictum ei testamentum.

quàm metui studeat, otium & uoluptates tanquam pestem fugiat, moriturus præcepit: tandem uerò sacratissimo Eucharistiæ sacramẽto ritu Ecclesiæ Catholicæ procuratus, summo omnium dolore atq; mœrore moritur, & Posnaniæ moderata pompa, quemadmodum præceperat, sepelitur, quum annos uigintiquinque regnasset, uixisset octo & quinquaginta. Fuit is annus post Christum natum 1025. eiusq; morte uniuersa Polonia, optimè de se merito Rege orbata, annum totum in luctu ita fuit, ut neq; conuiuia ulla celebrarentur, neq; choreæ usquam agerentur, neq; cultioribus uestibus quisquam nobilium uirorum aut fœminarum sese uestiret.

Moritur piissimè, magno cum omnium dolore: & Posnaniæ sepultus humiliter,

An. 1025.

Totum annũ lugetur.

DE MIECISLAO REGE.

Caput VIII.

MIecislaus, filius Boleslai, triginta quinq; annos natus destinatum iam prius regnum iniuit. Diadema Regium ipsi, & Rixę uxori eius, Hippolytus Archiepiscopus Gnesnensis cum alijs Episcopis solenni cerimonia imposuit, ea die, quę Christianis Pentecoste dicitur. In Russos primùm (qui morte Boleslai nunciata, Iaroslao & Miecislao Ducibus rebellauerant) expeditionem fecit, & hos primo aduentu repressit: deinde contra Boemos bellum mouit, propterea quòd tributum, Regi Boleslao quotannis pensum, Miecislao negarant: Regia præsidia undiq; deturbauerant interfecerãtq;: Morauiam, quæ tunc in ditione Polonorum erat, inuaserant, ac in potestatem suam redegerant. In Morauiam autem ducto exercitu, Rex Miecislaus oppidum nullum oppugnatione tentauit: agris tantùm & suburbanis uastatis, magnaq; hominum & pecudum præda abacta, domum reuersus exercitum dimisit. Pomeranis etiam rebellantibus

Miecislai coronatio.

Bellum cum Russis, &

Boemis, &

Pomeranis.

Andreas, Bela, & Leuenta, Vngari exules.

tibus intulit bellum, habẽs secum in exercitu Andream, Belam, & Leuentam Vngaros, Ladislai Calui filios, Stephani Regis fratres patrueles: qui (quum Petrus, eiusdem Regis sororis filius, Stephano moriente, Regnum Vngarorum inuasisset) in Poloniam confugerant. Concurritur itaque infestis armis: funduntur Pomerani, & in potestatem Regis ueniunt: auctores uerò defectionis capitali pœna afficiũtur. Nam Dux in prælio occubuit. Præclara eo prælio uirtus atque opera Belæ enituit: itaque generum eum sibi Rex, filiæ matrimonio, adoptauit, Pomeraniamque ipsi in dotem dedit. Cætera autem quæ Regni fuerunt, Miecislaus neglexit, nec unquam ad ea recuperanda, quæ amiserat, animum adiecit: uerùm torpori ac desidiæ se dedit, ac uoluptatibus ijs quæ tactu gustuque percipiuntur. Aliarum etiam, præter uxorem, mulierum consuetudine usus esse dicitur: uxori tamen, mulieri auaræ & importunæ, ita fuit obnoxius, ut eius maximè nutu & arbitrio regnum administraret. quæ quidem deinceps, quum Rex amentia correptus, sui compos non esset, dominatum omnem Regium ad se transtulit: quo maius etiam hominum in se & in Regem odium concitauit. Moritur autem haud ita multò pòst ex morbo illo Miecislaus, anno Christi 1034. & Posnaniæ sepelitur: homo tardus & hebes, leuitate iuuenili, & iuuenum atque uxoris consilia plerumque sectatus. quibus rebus factum est, ut suis atque externis, hostibus pariter atque socijs, esset contemptui. Regnauit autem annis ferè nouem, uixit quadraginta quatuor. Sunt, qui eum in colloquio quodam insidijs exceptum à Boemis, gignendo inutilem redditum, & mox mente captum, non diu patri mortuo superstitem fuisse uolunt.

Pomerani uincũtur, &

Belæ uirtus, Regis filiæ matrimonio, & dote Pomeraniæ remuneratur.

Miecislai mors. An. 1034.

LIBER

LIBER III.

DE CAZIMIRO EX MONASTERIO reducto. Cap. I.

CAzimirus, unicus Miecislai filius relictus, quum ob ætatem dignitatem Regiam & Reipub. curam sustinere non posse uideretur, sententia uniuersi Conuẽtus, qui Gnesnam ea de re conuocatus erat, differtur noui Regis coronatio: interim uerò penes Rixam Reginam, pueri matrẽ, Regia potestas relinquitur. qua abusa mulier, uarijs & grauibus exactionibus rusticanos homines, tam Regios quàm nobilitatis, magis ac magis premebat: nouas rationes cogendæ pecuniæ exquirebat: Polonos despicatui habebat: Theutonas suos in consilium adhibebat. Indignè hæc ferebãt Poloni: orabantque Reginam, ut, quorum armis & sanguine Regnum defenderetur, eorum maiorem, quàm externorum, quamque suæ cupiditatis, rationem duceret. Cæterùm ubi uident, orando apud Reginam se nihil proficere, fremebant inter se uulgò: atque adeò palàm etiam loquebantur, non ferendum esse uiris tam graue & contumeliosum externæ mulieris Imperium. Regina ergo uerita, ne in tanta licentia, & irritatis in se hominum animis, maius aliquod malum in se redundaret, consilium fugæ, cum filio atque Theutonibus suis, clàm inijt: Regiũ fiscum, in quo cùm pretiosæ res multæ, tum duo diademata Regis & Reginæ erant, compilat. Regno excedens, in Saxoniam se contulit: ab Imperatore Conrado, oblatis ei magnis muneribus, & interea duabus coronis è Polonia asportatis, Salefeldũ (uti uult Vapouius) seu

Dilata coronatione Cazimiri,

Rixæ matri Regia potestas datur: qua hæc abusa,

Frementibus contra eam Polonis,

Clàm Regno profugit, unà

Magdeburgum & Bransuicum oppida, cum suis territorijs, uel emit, uel dono accepit.

Cum Cazimiro filio.

Cazimirus quoq;, Miecislai Regis filius, ubi pulsam matrem uidet, in Vngariam ad Stephanum Regem propinquum profugit, dein ad matrē peruenit: cuius uoluntate Lutetiam, ut ingenium honestis disciplinis excoleret, profectus est:

Cazimirus Artium studiosus.

inde post aliquot annos, uisa obiter Italia & Romualdo Abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum monachorum sodalitatem se dedit, monasticam uitam professus.

Posteaq; monachus.

Domesticis malis pressa Polonia.

Reginæ & Regij filij discessu, miscentur omnia cædibus mutuis: latrocinijs uiæ publicæ infestantur: incenduntur pagi atq; oppida: tumultuātur: collatisq; signis, inter ciues atq; Proceres concurritur: & ut quisque audacissimus est, ita grauiora quoque non uereretur patrare flagitia ac scelera. Neq; Ministris Sacrorum, ac ne ipsis quidē Templis, Aris atq; Sacris, parcitur. nihil usquam tutum: nihil cuiusquam proprium: nemo mali expers erat.

Maslao Dominatum sibi in Masouia arripiente.

Per hoc etiam tempus Maslaus, qui & Masos dictus est, qui Pocillator Regis Miecislai fuerat, uir potēs & audax, dominatum inter suos in tractu Plocensi arripuit: confluenteq; ad eum undiq; magna hominum multitudine, permagna potentia ductus, ei oræ quam dominatu complexus est, Masossiæ siue Masouiæ nomē dedit.

Rusisq; & Boemis Poloniā diuexantibus.

Ad hæc domestica mala, accedebant hostiles incursiones ab Iaroslao Duce Rusiæ, ac Prædeslao Boemorum Duce. Istis igitur tam sæuis tempestatibus totos penè sex annos iactati & fatigati Poloni, acerbiora etiam, extremumq; tam florentis dudum Regni naufragium metuentes, remittunt nonnihil de intestinis dissidijs: condonant sibi mutuò priuatas offensas: cogitationem de Repub. suscipiunt:

Comitijs Gnesnæ habitis

comitia Gnesnam indicunt. Ibi, quem'nam potissimùm deligerent Regem, sententijs uariabant:

uariabant: sed ad extremum ea uicit sententia, quæ Cazimirum, ubiubi sit, quærendum, placādum, & reducendum esse censebat.

Reuocandus quæritur.

Oratores igitur delecti primores uiri, ad Reginam primùm, mox ab ea Cluniaci monasterium contendunt: inueniunt Cazimirum mutato nomine Carolum, non modò professum Religionem, sed iam Diaconum: deprecantur culpam exilij eius, quæ tamen penes Reginam ferè fuerit: orant, respiciat afflictam & penè euersam patriam, suscipiat paternum et auitum Regnum, ab extremo interitu uindicandū. in eo solo spem Polonorum sitam esse: qua si decidant, funditùs se perijsse.

Humilitatis & charitatis plenissima responsio Cazimiri.

Respondit ille modestè, obortis lachrymis: Exilium suum non ipsis, uerùm arcano Dei iudicio se imputare: casum dulcissimæ patriæ, quam sui Maiores florentissimam reliquissent, miserari: sed alieni iam se iuris factum esse: datam semel Deo atq; ijs, quorum potestati se subiecisset, fidem fallere non posse. Mœsti hoc responso legati, Abbatem monasterij adeunt, eademq; illa orant: ab hoc uerò ad Pont. Max. reijciuntur. Sed ne eum quidem itineris laborem defugientes, Romam profecti, importunis precibus à Pont. Max. Benedicto impetrant, ut Cazimirus monachus & Diaconus, professionis & sacramenti religione solutus, ad Regnum maiorum suorum redeat, ac etiam uxorem ducat.

Legati à Pōtifice impetrant Cazimirum,

Certis conditionibus.

Pro hoc autem Polonis, quò beneficium sedis Apostolicæ agnoscant, iniunctum: primùm, ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus unus in lucernā, perpetuò in æde diui Petri Romæ arsuram, pendatur (qui etiamnum sancti Petri Numus dicitur:) deinde præscriptum est, ut omnes Poloni rotunda, in morem monachorum, tonsura capillorum utantur: nec ultra auriculas, more barbarico, quisquam

omnino comam promittat: tunc festis solennibus, dum Sacra peraguntur, ut singuli Equites fasciam lineã candidam, in modum stolæ, qua in Sacris utuntur sacerdotes atq; Diaconi, è collo suspensam ferant. His rebus ex sententia confectis, curriculo Cluniacum repetunt læti: Cazimirum reducentes, ad Rixam matrem (ita eo uolente) diuertunt: mox in Poloniam Cazimirus contendit, sexcentis Equitibus, ab Henrico Imperatore præsidij loco sibi additis, stipatus. Quum autem Poloniæ fines attigisset, effusa obuiam hominum omnis generis, ætatis atq; sexus ingens multitudo, officij gratia, læta & tripudiãs Regem suum excipit, ac reducem gratulatur: certatim omnes præteritorum ueniam & obliuionem supplices petunt. Ille lachrymãs & ipse, comiter omnes consolatus, suspicione culpæ metuq; supplicij liberat. Ita densissimis lætitiaq; exultantibus hominum cateruis præcedentibus & subsequentibus, Gnesnam honorificentissimè deducitur, septimo, posteaquam Regno excesserat, anno.

Cazimirus in Poloniã reducitur.

DE CAZIMIRO VVLNERA REIPVB. curante. Caput II.

RESTITUTUS paterno Regno Cazimirus, Gnesnæ de more inunctus & coronatus, primùm ad Reipub. uulnera curanda animum adiecit. Itaq; pacem publicam inter ciues grauibus edictis sanxit: præteritorum obliuionem edixit: in eos qui à consuetis rapinis ægre recedebant, ad terrorem cæterorum, non sine moderatione tamen, animaduertit. Deinde, Senatus suasu & rogatu, cum Iaroslao Russorum Principe fœdus & affinitatem iniuit, sorore eius Maria (cuius mater Constantinopolitanorum Imperatorum soror fuerat) uxore cum ampla dote ducta: quam ĩgẽti pompa Cracouiam adductam ac exceptam, Gnesnam deduxit: Græcorum schisma abdicantẽ, Ecclesiæ Catholicæ reconciliauit: Reginã solenni cærimonia fecit: & pro Maria, Dobrogneuã appellauit. Insequenti anno Masouios, ditiones suas inuadentes, infesto exercitu adoritur: nec segnius Maslaus Tyrannus, non parua suorũ manu raptim coacta, aduenienti Regi occurrit, pugnæ copiam facit. Franguntur tandem funduntürq; Masouiorum acies, dantq; manus uictori Regi: Dux uerò belli Maslaus ad Prussos fugit: ab his, & à uicinis Slonensibus & Iazygibus, siue Iasuingis, facilè ualidos contra Regem exercitus impetrat, quòd ipsorum rem agi diceret. Erant autem Iasuingi siue Slonenses, populi inter Poloniam & Russiam atque Prussiam medij, in extrema Lituaniæ ora habitantes: acerrimi & bellicosissimi fuisse memorantur, donec à uicinis attriti, ad extremum & deleti sunt. Maslaus igitur cum ingentibus copijs Barbarorũ in fines Masouiæ ingressus, facilè eam, carentem tunc præsidijs, recepit. Cazimirus de aduentu hostium certior factus, adest & ipse, auctis numero & robore militum copijs. quem ita uenientem Maslaus, spei & animorum plenus, ad Vistulam operitur. Dum autem conferuntur castra castris, Cazimirus propter maiores hostium copias animo ferè iam conciderat: sed per uisum diuinitùs recreatus & confirmatus, postero die pro concione militibus uisum exponit, & repletos fiducia diuini auxilij alacres in aciem producit. Nec hostes pugnam detrectarũt. canunt signa: clamor utrinq; attollitur: nusquam deest suis Regis prouidentia & adhortatio, ut, duce Deo, certam uictoriam amplectantur. Ferunt conspectum esse in aere iuuenem, augusta specie corporis, & ueste candida, candido equo insidentem, atq; in hostiles turmas uexillum inferen-

Cazimirus, curatis ante omnia Reip. uulneribus,

Ducis Russorum sororem uxorem sibi accipit: &

Maslaũ cum

Prussis & Slonensibus.

Diuinitùs per uisum cõfirmatus, &

Cœlitùs præsidio accepto,

Vincit. inferentem. Nec mora, terga uertunt Barbari: instant acrius nostri fugientibus: fit strages maxima, ita ut eo prælio cæsa ferantur hostium quindecim millia: ex nostris pauci saucij, pauciores desiderati sunt. Maslaus autem ex fuga perpetuo cursu in Prussiam contendit: ubi à Barbaris, cognito euentu prælij, excarnificatus & in crucem actus est, insultantibus, ut alta teneret, qui alta petiuisset. Sic mali consilij auctor malè perijt. Ab hoc prælio Masouia penitus in ditionem Regis reuenit: quę & nomen semel acceptum, in hanc usque diem retinet. Cæterùm Prussi ipsi, clade hac suorum permoti, missis legatis culpam rebellionis deprecantur: Regi se & sua subijciunt: tributa debita persoluunt, ac deinceps quotannis soluturos se esse recipiunt. Ita pax eis data est, & captiui dimissi.

Maslai interitus, & Masouia recuperata, & Prussi reconciliati.

DE RELIQVIS REBVS, TEMPORE PAcis à Cazimiro gestis. Cap. III.

PAcato per circuitũ Regno, Cazimirus memor pristinæ conditionis & uitæ monasticæ, uictoriamq; contra Maslaũ atq; barbaros diuino beneficio acceptã referẽs, Cluniacũ (ubi monachus fuerat) legationẽ cum amplis muneribus mittit: benignitatẽ Dei erga se prędicat: sodalitati uniuersę se suosq; cõmendat: aliquot monachos mitti ad se postulat, qui Religionis illius quasi colonias quasdã in Poloniam deducant. Mittũtur itaq; duodecim monachi, quibus partim Tineciam arcẽ, uno à Cracouia milliario supra Vistulã, cum centũ amplius pagis: partim Lubensum oppidũ ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & prouẽtibus alijs, attribuit. Domicilia quoq; monachis extruxit atque templa, eaq; perampla supellectili, ad Cultũ diuinum apta, ornauit. Multa itidem, ad Religionis & Reipub. instaurationem perti-

Cazimirus, legatis Clunia cum propter agendas Deo gratias missis, Monachis illinc impetratis donat Tineciam & Lubensum: Religionemq; cum Repub. curans.

pertinentia, instituit: & pace perpetua Poloniã mirum in modum recreauit, eoq; INSTAVRATORIS PACIFICI cognomentũ meruit. Suscepit Cazimirus ex Dobrogneua uxore liberos mares quatuor: Boleslaũ, Vladislaum, Miesconẽ, & Ottonem: fœminã uerò unam, Suentochnam: ex his Otto, puer admodũ, uiuo patre: Miesco, adultior iam, octauo post patrẽ anno, rebus humanis excmpti sunt. Quum autem decimumoctauũ Cazimirus regnasset annũ, incidit in grauẽ morbum: quo mensem unũ afflictus, ubi finẽ uitæ suæ adesse sensit, Sacramentis ritè procuratus, quarto Calend. Decemb. extremũ uitæ clausit diem, & magno omniũ mœrore Posnaniæ sepultus est, anno post Christũ natum 1058. Mortem porrò eius Cometes portenderat.

Instaurator Pacificus cognominatur. Cazimiri liberi. Mortem eius An. 1058. Cometes præcessit.

DE BOLESLAO REGE SECVNDO, Boemico & Prussico bellis. Cap. IIII.

COnuentu apud Gnesnam facto, summa omniũ uoluntate ad Boleslaum Cazimiri filium natu maximum solenni cerimonia Regnũ & Diadema defertur: quòd is, adolescẽtulus etiamnũ, singulari industria, liberalitate, animi magnitudine, laudis atque gloriæ studio præditus, ad res maximas gerendas factus & Regno dignissimus esse uideretur. Ad eum autẽ tribus primis annis, tres illustres exules quũ confugissent, magnã ei materiã sequentiũ bellorũ prębuerũt. Ii uerò Izaslaus, Princeps Kiouiensiũ, Iaroslai Dobrogneuæ Reginæ fratris filius: Bela Dux Vngariæ, Andreæ Regis frater: & Iaromirus, Prædislai Boemorum Principis filius: quos omnes Boleslaus auxilijs iuuit. Vuratislaus itaq; Boemorũ Princeps permolestè ferẽs, receptũ ex fuga fratri suo Iaromiro in Polonia patẽre: ueritusq;, ne quid ille noui cõtra se, Polonorũ fauore et auxilijs fretus, moliretur: cũ infesto

Boleslaus II. Rex. Spei optimæ. Exules; bellorum futurorum occasio.

Boemi repulsi infesto exercitu in fines Poloniæ ingressus est: sed occurrentē sibi cum exercitu Boleslaū animaduertēs, neq; dimicare cum Polonis (quorū uires nosset) tutū sibi existimans, fugæ consilium cepit. Metuens autē hostiles uires (nam Boleslaus illū fugientē non assequutus, fines eius ditionis populatus est: & in sequentē annum maius bellum parabat) pacē per cōmunes amicos petijt, & impetrauit, accepta in coniugē Suentochna Boleslai sorore. *Pacem impetrāt cū Suentochna.* Per idem tēpus Prussi, contēnentes Boleslai adolescentiā, & quòd eum Boemico bello distineri sciebāt, rebellauerūt: Pomeraniā, transmisso flumine Vistula, repentina incursione populantur: Grodecū arcem, quò se cum præda recipiāt, muniunt: indeq; crebrò in adiacētes oras Poloniæ, nemine prohibēte, grassantur. *Prussos rebellantes* In eos igitur duxit Boleslaus exercitū: sed quū illi nullam pugnandi copiam facerēt, & Grodecū (quòd natura esset munitus locus) expugnare nō posset: arte sibi domandos esse, quos aperto Marte non posset, existimauit. Itaque reducere se exercitū simulans, in insidijs latebat: Prussi uerè hostem abijsse rati, è latebris prodeunt, & in Poloniam facere excursionem parant. *Arte Boleslaus domat.* quod quum Boleslaus ab exploratoribus accepisset, exercitū in hostē ducit alacer: quē traiecto Ossa fluuio insecutus, nihil tale suspicātem opprimit, & ingēti strage concisum in potestatē suam redegit.

DE VNGARICO ET RVSSICIS bellis. Caput V.

PRussicum bellū excepit Vngarica expeditio. Nam Boleslaus Rex, Belę exulis & uxoris eius amitę suę precib. fatigatus, reducere eū instituit: ac tribus agminibus, Belā in comitatu suo ducēs, Vngariā ingredit. *Bela in Vngariā reductus.* Venientib. itaq; adiungūt se cōplures Vngari, ita ut quartū ex ipsis agmen cōficeretur: nec segnius Andreas Vngarorum

rorū Rex hosti aduentanti, ad Tibiscū siue Ossam amnē occurrit, magnas Vngarorum copias, maioraq; Germanorum & Boemorum auxilia ducens. His ergo uiribus fretus, transmisso Tibisco acies instruit: neq; Poloni pugnam detrectarunt. Cōcurritur infestis signis, & aliquot horis dubio Marte & incerto euentu pugnatur: ad extremum tamen cedūt loco Andreæ copiæ. Ibi Vngari, qui cum Andrea Rege fuerant, premi suos & urgere Polonos cōspicati, ad Belæ partes transeunt: nec diutius Germani & Boemi, deserti ab Vngaris, impetum Polonorum & Vngarorum pariter sustinuēre. *Victo Andrea Rege ualido exercitu,* In fuga ergo oppressi sunt multi: capti item non pauci, & in his Vratislaus Princeps, & Germanorum Duces. Rex uerò Andreas longius fugiens, tandem ad portas Mosonienses comprehēsus ab Vngaris, & malè tractatus in sylua Boconiensi, uitam finiuit. Post hanc uictoriam, Boleslaus Belam Albæ Regiæ in sede Regia collocauit: ac uictorem exercitum, præmijs à Bela & Vngaris affectum, domum reduxit. *Alba R. in sede Regia collocatur.* Procerum deinde suorum suasu, uxorem duxit Boleslaus præstāti forma uirginem Visseslauam, Russorum Principis cuiusdam filiam unicam, ad quam hæreditas paterna pertinebat: pòst Izaslaum exulem, cognatum suum, in Principatum Russiæ restituit, Visseslao eiecto Duce: ipseq;, distributo in æstiua ac deinde in hyberna exercitu, cum delectis æstatem atque hyemem Kiouiæ peregit, amœnitate loci ac delicijs urbis captus. *Boleslai uxor. Izaslao in Ducatum Russiæ restituto, Boleslaus Kiouiæ agit, &* Exacta hyeme, maturè Boleslaus ex hybernis mouit in Præmisliensem tractum: iniuriāne prouocatus, an quòd ea esset paterna uxoris suæ hæreditas, an uerò sola proferendi Regni cupiditate ductus, non constat. Ac minoribus quidem oppidis, primo aduentu, potitus est: cæterùm Præmislia à Septemtrionali latere, quà ipse ueniebat, *Premisliam pòst*

bat, Sano fluuio, à reliquis uerò fossa & aggeribus munita erat: & præterea multitudine hominum, urbanorum & nobilium, qui ex agris eò se receperant, defendebatur. ad hæc ab uno latere arx oppido imminebat, in edito loco sita. Rex igitur uado satis alto (nequidquã prohibentibus Rufsis) transmisso, oppidum summa ui oppugnat: nec segnius defendunt Rufsi: ad extremum tamen uim Polonorum diutius sustinere se posse diffisi, de serto oppido, in arcem se receperunt. Oppidum itaque Rex summa rerum omnium copia diuitijsq; refertum, quarto postea quam oppugnare cœpit die captũ, in prædam dat militibus: arcem corona obsedit, quam fame sitiq; in potestatem suam redigere constituit. In magna profectò difficultate, obstinatis tamẽ animis obsessi obsidionem sustinebant: donec siti fameq; enectis iumentis, & peste in homines grassante, deditionem extremo æstatis tempore fecerunt: uitam, & quæ singuli uno onere secum efferre possent, pacti. Rex uerò hyemẽ sequentem Præmisliæ commoratus est.

Capit.

DE FILIIS BELAE IN VNGARIAM *reductis, bello Rufsico iterum, & capta Kiouia.* Caput VI.

An. 1069. Boleslaus filios Belæ in Vngariam reducit,

FVit hic annus à Christo nato 1069. quo etiam anno Belæ filios, in Polonia exules, Boleslaus in partem Regni Vngariæ restituit, ita ut Belæ filij Regium honorem cum duabus partibus Regni, Solomoni, Andreæ Regis filio, qui ab Hẽrico quarto Imperatore, affini suo, post Belam mortuum in Vngariam reducebatur, permitterent: ipsi tertia, Ducumq; nomine contenti essent. Reuertẽs igitur ex Vngaria Boleslaus, reperit Izaslaum Principatu Kiouiensi eiectum: itaq; æstate quæ consecuta est, in Voliniensium fines infestum duxit exercitũ. Ad Luscum primùm castra ponit: obsessi sex propemodum menses, uim & obsidionem quum sustinuissent, ad extremum, freti benignitate Regis, pactiq; cum rebus suis liberum discessum, pacem impetrarũt. Anno sequenti ad Kiouiam castra mouit Boleslaus: obuiam se illi offert Vusseuolodus cum ualido exercitu, è suis iuxtà ac fraternis ditionibus collecto: congrediuntur infestis armis & animis instructæ acies: incalescit pugna: tandem perturbatis ordinibus, fugiunt Rufsi: Vusseuolodus uerò, ubi aliquãdiu suos nequidquam reuocauit, in fugam se & ipse coniecit. Ita plena, nec incruenta tamen, uictoria nostris obtigit. Ad Kiouiam demũ, recreato aliquantò post pugnam exercitu, Boleslaus contendit, quam ob sidione premere statuerat. quum autem angustiore annona cœpere uti oppresi, culpam deprecati, urbem dediderunt. Boleslaus uerò ingrediens in portam urbis, gladium uibrauit: oppidanorum facultates atq; corpora capitali edicto contra uim militum tutatus est: donaq; ingentia, ultrò ab oppidanis oblata, in suos milites, pro meritis cuiusq; distribuit.

& Izaslaum rursus restituit,

Deuictis Rufsis.

Kiouum captum Regis benignitatem sentit.

DE KIOVENSIBVS VOLVPTATIBVS, LI*centia in Polonia grassante, Rege relicto, eiusq; criminibus.* Cap. VII.

PAcata omni Rufsia, uectigalia magna non solùm pecuniæ, sed & omniũ rerum ad uictum cultumq; corporis pertinentium, instituit: Izaslaum summæ rerum præposuit: ipse uerò, quò magis Imperium suum in Rufsia stabiliret, & quò diutius notis iam sibi antè Kiouiæ delicijs ac uoluptatibus perfrueretur, hyemem illam ibi mansit. Ibi robur nostrorum hominum illecebris opu-

In pace & abundantia, Izaslao summæ rerum præposito, Kiouiensibus fruitur Rex uoluptatibus.

Quod & cæteri faciunt.

lentæ & luxurioſæ ciuitatis elanguit: & ille uictor multarum gentium exercitus, deuictæ urbis laſciuia, libidinibus & flagitijs uictus eſt. quæ quidem res plurimorum maximorumq; malorum, quæ Poloniam poſtea implicauerunt, cauſa extitit. Nam dum noſtri Kiouiæ nulla ſe nequitia & libidine, quamuis fœda & ſibi inuſitata, prius abſtinent: uxores eorum & filiæ domi relictæ, non ferentes tam diuturnam uirorum abſentiam (iam enim ſeptimum ferè annum in Ruſsia & Vngaria militantes, domibus aberant) tum libidinibus eorum (quæ crebris nuncijs ad ipſas perferebantur) & iniurijs irritatę, flagitijs uiciſsim uiros ſuos ulciſcuntur. Pręclarum tunc muliebris pudicitię exemplum in Margareta, Nicolai Zembocij Comitis uxore, extitit: quæ graſſantem paſsim flagitioſorum iuuenum licentiam metuens, in turri templi Zembocinenſis, uno à Proſſouia milliario, cum duabus ſororibus per multum tempus latuit, familia per funem alimenta ipſi ſubminiſtrante. Hæc igitur ubi uiris in hyberna renunciata ſunt, fremere multi, ad quos hęc pertinebāt, & indignari: commeatumq; domos uiſendi, à Rege petere: ſed quum id non permitteret Rex, clàm pauci primùm ſe ſubduxere, deinde plures diſceſſerunt, ita ut pauci cum Rege remanerent. quos etiam Rex raptim cū reliquis conſequitur, ueritus, ne Ruſsi, mutatis animis, deſpectaq; Polonorum paucitate, conſilium opprimendi ſui inirent. Poſteaquam uerò peruenit Cracouiam, à quibus initium fugę erat ortum, eos capitali pœna afficit: in cęteros autem bonorum confiſcatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sęuit & in mulieres, quę culpę affines eſſe uidebantur, quibusq; miſericordia & indulgentia uirorum pepercerat: & quidem inaudito modo. Abſtractis enim & abiectis infantibus, quos è ſtupris & adulterijs

Vxores par pari referunt uiris ſuis: &

Licētia flagitioſorum graſſante, Zembocia ſua conſulit pudicitiæ.

Rex à ſuis frementibus relictus,

Crudelitatem ſummam exercet in omnes,

adulterijs

adulterijs enixę erant, catulos ad earum ubera admouiſſe dicitur. Ad hæc uulgus nouis & grauibus exactionibus premebat: Ius non dicebat, nec iniurias tenuiorum uindicabat, impeditus conſuetis uoluptatibus, fœdisq; & abominandis libidinibus, de quibus nihil remittebat. quin & Criſtina nobili fœmina, à Miecislao marito abducta, palàm per adulterium abutebatur.

Iuſtitiam negligit, &

Publicè fit adulter.

DE STANISLAO EPISCOPO CRACOUIENſI, & MARTYRE. Cap. VIII.

Stanislaus Epiſcopus Regem Boleslaū clementer & grauiter arguit:

His commotus (ut decuit) Stanislaus, Cracouienſis Epiſcopus, uir pius & nobilis, de Pruſſorū quam uocant familia, cognomento Scepanouius, Regem adit: & ſemotis arbitris, admonet, orat & obſecrat, ut illis moribus & corruptelis finem ſtatuat, ne quod grande malum ſibi ſuisq; & uniuerſæ Poloniæ accerſat. Peccata «
per ſe eſſe maxima, longè tamen maiora in Rege, quàm «
in priuato homine: quum ea quoque, quæ in alijs leuia «
ſint, in eo qui loco & honore eminet, grauiſsima eſſe uideantur: propterea quòd ultrò hominum ſeſe oculis ingerant, & plurimos ſecum malo exemplo in præceps detrahant. Quò ſublimior ſit & fortunatior, hoc maiore ui «
tæ puritate & innocentia eum niti, Deiq; beneficentiam «
agnoſcere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina ul- «
tione de ſummo gradu in imum deturbaretur, ne deniq; falſas & momentaneas uoluptates diris ſempiternisq; cruciatibus commutaret. Has autem ſanctas & benignas admonitiones iniquo animo Rex patiebatur: & ira odioq; inflammatus, cōuitijs & maledictis ſanctiſsimum Antiſtitem inceſsit: quumq; nihil in uita & moribus Stanislai, quod opportunū eſſet crimini aut reprehēſioni, comperiret, alia uia aggrediendum ſtatuit. Emerat fortè illo triennio Stanislaus pagum Petrauinū, in tractu Lu-

Rex uerò iratus, poſt conuitia & maledicta

 bli-

blinensi, à Petrico quodam Equite Polono: atque is Petricus, accepto pretio, iam obierat: nec satis tamen Stanislaus, propter bellum perpetuum & iustitiũ, actorum publicorum monumentis de iure suo sibi cauerat. Eius igitur rei Boleslaus ab assentatoribus admonitus, Petrici cognatos subornat, qui de interuersa hæreditate Stanislaum in ius uocent: auxilium illis suum Rex pollicetur: ipsi etiam, tum auctoritate Regis, tum insperati compendij spe adducti, iussa faciunt. Fortè tunc Iudicia, quæ uulgò Colloquia & Generales Termini uocantur, in pratis, inter Soleciam & illud ipsum Petrauinum, in papilionibus (ut moris erat antiquitùs) à Rege exercebantur. Cõparet ibi Stanislaus citatus: emisse se pagum, & soluisse, affirmat: testes citat. qui quum, à Rege deterriti, testimonij dictionem subterfugerent: ibi Stanislaus, non tam pagi retinendi, quàm criminis depellendi anxius, rẽ aggreditur humanas uires fidemque excedentem. Tridui nanque dilatione à Rege impetrata, Petrauinum contendit: ubi, peracto cum sacerdotibus ieiunio, peruigili oratione & perpetuis lachrymis Dei ope implorata, detectum Petrici putre cadauer pedo, quo utuntur Episcopi, tangit: magnaque cum fiducia, resurgere eum à mortuis in nomine Dei Patris & Filij & Spiritus sancti, iubet. Nec mora, attollit ille sese: & à Stanislao per manum deductus, ad tribunal Regium sistitur: uendidisse se pagum, & pretium omne accepisse, fatetur: Regem, ac deinde propinquos, quòd innocenti Episcopo negotium facessant, liberè obiurgat. Ita ingratis, & inuito Rege uincit causam Stanislaus. A tribunali discedens, optionem dat Petrico, reuertine ad sepulchrum, an diutius uita hac frui malit. Aeternam ille cœlestemque malle, à qua non longius abesset: si exiguum id, quicquid esset reliquũ supplicij, quo ante-actæ

Calumniam in eum struit.

Stanislaus calumniam depulsurus,

Testem sibi suscitat ipsum Petricũ.

Petricus testis productus, Rege & propinquis obiurgatis,

Mori iterum mauult.

actæ uitæ suæ maculas eluere adhuc deberet, ipso petente sibi remitteretur. His dictis, & postulatis eius annuente Episcopo, sepulchrum subiens animam iterum exhalauit. Non deterruit tamen ea res obduratũ peccatis Boleslaum à contaminatis moribus & libidinibus: quin is iterum atque iterum monitus & acrius obiurgatus ab eodem Stanislao, adhibitis etiam secundum præceptum Christi grauibus aliquot uiris, furere cædemque minari ipsi cœpit. Nec segnius Stanislaus, ubi non resipiscere Regem animaduertit, graui anathemate eum percellit: uetat sacra fieri tota urbe, ut sic ille detestatione & cõuitio populi qui sacris arcebatur, ad saniorem mentem reuocaretur: nihil tamen proficit. Nam iratus & nimis furẽs Boleslaus, in ædẽ D. Michaelis, in rupe prærupta supra Vistulam è conspectu arcis sitam, quò ipse ad faciendum sacræ Missę sacrificium cum paucis sacerdotibus commeabat, contendit: & Stanislaum, sacris operantem, per satellites suos aggreditur. qui introgressi, subito & insolito fulgore perculsi, supini cadunt: indeque manibus & pedibus reptantes, se proripiunt. Submittit Rex alios iterum atque iterum: idem & ijs, quod primis, accidit. Furore igitur percitus Rex, ipse stricto ense in templum irrumpit, lethalique ictu sacrosanctum Episcopũ in uerticem ferit, ita ut cadens parietem proximum cerebro aspergeret. Ibi satellites templo corpus extractũ minutatim, furori Regio morem gerentes, concidunt: & in subiectis pratis, canibus & uolucribus laniandum, disijciunt. Dies quo hęc patrata sunt, fuit octauus Maij, anno Christi 1079. Rege autem cum suis militibus abeunte, quatuor aquilæ inusitatæ magnitudinis apparuisse feruntur, corpus sanctum à laniatu canum & rapacium auium defendẽtes toto biduo: donec moti ea re pij sacerdotes, resumptis animis, mem-

Boleslaus Rex acrius rursum obiurgatus.

Anathemate percutitur: &

Stanislaum Episcopum, dum Missam celebrat,

Satellitibus retrò cadentibus,

Ipse occidit.

Corpus Stanislai martyris dissectum,

An. 1079. Et ab aquilis defensum,

Post biduum coalescit.

membra diſiecta collegerunt, & ſuo ordine diſpoſuerũt: quæ è ueſtigio mirandum in modum coaluiſſe dicũtur.

DE REGNO POLONIAE ABROGATO, BOleslai uitæ fine, & qualiter regnauerit. Cap. IX.

Interdictum Pontificis, & Regnum Poloniæ abrogatum.

Haec ubi Romæ nunciata ſunt, Pont. Max. Gregorius, eius nominis ſeptimꝰ, atrocitate rei cõmotus, toti Poloniæ ſacris interdixit: Boleslaum diris deuouit: Regnumq; illi ſolẽni ritu abrogauit. regnauit tamen poſtea Boleslaus annũ & amplius, ſed inuiſus omnibus, & externis contẽptibilis, ita ut etiã Ruſsi ab eo ſubacti, Imperiũ eius detrectarent. In necem quoq; eius conſpiratio facta eſt: qua detecta, in Vngariam cum filio Mieſcone & paucis comitibus fugit: à Ladislao Rege, Geiſæ fratre, qui à Boleslao in Vngariã reductus erat, comiter & honorificẽ acceptus eſt: uerùm exagitãte eum indies magis ac magis patrati ſceleris cõſcientia, mortem ſibi ipſe conſciuit, anno poſt Chriſtũ natum 1081. qui æſtu & ſiccitate inſignis fuit. Sũt qui uolũt, eũ clàm omnibus errabũdum inter Alpes ad monaſteriũ quoddã, ſiue id ad Enipontẽ, ſiue ad Villacũ ſitum ſit (utrunq; enim memoratur) perueniſſe: ibiq; latẽtem quiſnam eſſet, poſt multos labores in coquinæ miniſterio ultrò & pœnitentia cõmiſsi parricidij ſuſceptos & exhauſtos, uitã finiuiſſe. Audacis & Liberalis uiuo cognomen inditũ: quod etiam mortuus retinuit. Regnauit annos duos & uiginti, quum ſextumdecimũ annum nondũ egreſſus regnare cœpiſſet. Cõſtruxit hic uiuẽs & ditauit Mogilnẽſe monaſteriũ, in eoq; Benedictinos collocauit. Fuit autẽ hic Rex clariſsimus & feliciſsimus: niſi, ſecundis rebus elatus, fortuna cœptis ſuis perpetuò aſpirãte abuſus fuiſſet. „ Et ſanè libidini & iracundiæ moderari, lõgè eſt cũ difficilius, tũ præclarius, ꝙ gentibus & nationibus, quãuis feris atq; barbaris, imperare.

Boleslaus inuiſus regnãs. — *Fugit in Vngariam.* — *Eius uitæ finis. An. 1081.* — *Boleslai cognomina.* — *Regnum.* — *Monaſteriũ conſtructum.* — *Felix claritas, & Vitia.*

LIBER

LIBER IIII.

DE VVLADISLAO PRINCIPE PIO, interdicto Pontificis ſublato, & pijſsima uxore Vuladislai Iuditha. Caput I.

Ruſsis Poloniã populantibus.

Rege Boleslao exacto, priuſquam ex motu illo Reſp. ſeſe colligeret, Ruſsi Polonas ditiones, Duce Baſilio Roſcislai filio, ferro et igne populati ſunt: quo incommodo commoti Proceres, comitijs habitis, ad Vuladiſlaum Boleslai fratrem (quem Hermanum etiam uocarunt) Regnum deferunt. Is itaque ſuſcepto Regno, Regem ſe appellare paſſus nõ eſt: uel quòd inunctus & coronatus ſolẽni Regum ritu, Pont. Max. interdicto, non eſſet: uel quòd reuerſurum aliquando Boleslaum exiſtimaret. Principis & Hæredis Regni Poloniæ nomen ſibi ſumpſit. Vir ille quidem prudens fuit, & uirtute præditus: uerùm ad quietem & otium propẽſior. Inito autem Principatu, ad Pont. Max. de tollẽdo interdicto, cui Polonia ob necem Stanislai obnoxia erat, Oratorem miſit Lampertum, Equeſtri apud Polonos ortum familia, Canonicum Cracouienſem: quem Pontifex Diuo Staniſlao ſucceſſorem dedit, & ſublato interdicto Epiſcopum remiſit. Duxit deinde uxorem Vuladislaus de ampliſsimi Conſilij ſententia Iuditham, Vuratislai Boemorum Principis filiam: quæ quum aliquot annos ſterilis fuiſſet, tandẽ Boleslaum edidit, diuinitùs (quemadmodum creditum eſt) in gratiam ſancti Abbatis Aegidij datum. Quum enim orbitate ſua Principes coniuges maiorem in modum angerentur, & Iuditha religioſiſsima fœmi-

Ad Vuladiſlaum Regnũ defertur. — *Vuladislaus Regis appellatione reſpuens.* — *Amansq; uirtutis.* — *Interdictum tolli curat.* — *Lampertus Epiſcopus Cracouienſis.* — *Iuditha ſterilis Vuladiſlai uxor.*

Per suum piũ studium, & na, assiduis precibus, ieiunijs, & eleemosynis in egenos liberaliter erogandis, de prole Deum assiduè fatigaret: à Lamperto Episcopo Cracouiensi admonita, Oratores in Narbonensem prouinciam, ad monasterium D. *S. Aegidij preces,* Aegidij, ubi corpus eius conditum erat, cum amplissimis & tẽplo & monachis muneribus, mittit. Exponunt, quid ueniant, quid'ue postulent: indicitur monachis tridui ieiunium: oratur Deus, ut intuitu grati serui sui Aegidij, masculam prolem pijs Principibus concedat. Triduo itaque illo reuelatur per uisum cuidam seni & pio *Filium Boleslaum impetrat:* monacho, quod tanto studio petitum esset. Dimissis autem ac reuersis Oratoribus, natus est tandem ex Iuditha Boleslaus. quæ post quartum à partu men- *Et paulo pòst moritur pijssimè.* sem, extremum diem clausit, fœmina inprimis pietati & beneficentiæ dedita: quæ & ipsa facultates suas, mundumq́; muliebrem penè omnem, in usus pauperum & ad cultum templorum uiua elargita est: & à marito Prin *Pabianicẽsis Comitatus.* cipe impetrauit, ut Croppẽsem siue Pabianicensem Comitatum collegio sacerdotum Cracouiensis basilicæ, *Lagouiense territorium.* Lagouiense territoriũ Vuladislauiẽsi Episcopo, Xans- *Xansnicẽsia bona.* nicensia uerò bona Tinecensi monasterio, sempiterno iure donaret.

DE PRVSSICIS AC POMERANICIS bellis, pœnaq́; uiolati XL ieiunij.

Caput II.

Vuladislai uxor altera Sophia uidua. DVxit deinde alteram uxorem Vuladislaus, suasu Ladislai Regis Vngarorum, Sophiam uiduam, Henrici quarti Imperatoris sororem (quæ Solomonis Regis Vngarorum erat uxor) honestè & honorificè post mortem uiri à Ladislao Rege sancto pioq́; habitam: ex eaq́; tres filias suscepit. Prussos ac Pomeranos, bis rebellantes, fortiter repressit fuditq́;, strenua Secechi,

chi, Palatini Cracouiensis & Magistri Militiæ, opera *Secechus.* usus. Prioris pugnæ dies fuit is, qui Assumptionem *Cum Prussis & Pomeranis bellũ I &* beatæ Virginis anniuersaria celebritate repræsentabat: nolebatq́; Vuladislaus, habens honorem Virgini Matri, eo die cum hoste manus conserere: uerùm lacessitus, & iusta penè necessitate adductus, eduxit suos in aciẽ: hostesq́;, atroci prælio in magnam diei partem producto, grauiter profligauit. Altero prælio, rebellantibus *II.* Prussis & Pomeranis, tumultuarias tantùm copias (ut in primo statim ortu rebellionem opprimeret) coegerat Vuladislaus: debilitabatq́; eius animum hostium multitudo, qui animaduersa & despecta nostrorum paucitate, magna celeritate sese, undique conuolantes, collegerant: sed cedere, non tam iustis hostibus, quàm fugitiuis & contumacibus seruis, turpe sibi Poloni milites & infame ducebant: occumbendum potius honestè (si ita sors tulisset) quàm per summam turpitudinem cõcedendam esse ultrò sæpius à se uictis uictoriam. Pugnatum est hoc prælio à mane usq́; ad uesperam, pridie eius Dominicę, quę Christianis Palmarum nomine celebris est: nocte prælium dirimente, aduersarijs pro uictis discedentibus, mansit penes nostros uictoria. Quoniam ue- *Pascha obseruatio.* rò sacrum Paschæ tempus pro foribus aderat, quo Christianos cultui Diuino impensius uacare oporteret: non persequũtur perculsos & perterritos hostes, sed diuersi ex hostico discedunt. Nec ita multo pòst, recreatis ab illa hyberna expeditione iumentis, auctisq́; copijs, Vuladislaus Princeps Pomeraniã ingressus, hostem quærit: quo nusquam in apertum prodeunte, uastatis pagis & oppidis, arcem Naclum inprimis munitam operibus circumuallare instituit. ibi res mira, & prodigij similis, ac- *A Nacli oppugnatione, prodigio accedente* cidit. Nocturnis enim temporibus lucẽte Luna, crebrò

uiſebantur ab excubitoribus noſtris quaſi armatorum hominũ acies, ex apertis campis ad ſtatiua noſtrorum adequitantes & incurſantes, noſtris fruſtra toties à foſſis caſtrorum eas propellentibus. Nocturnas eas fuiſſe umbras autumant, Polonos ita Diuino permiſſu exagitantes, propterea quòd ſolenne omnibus Chriſtianis Quadraginta dierum ieiunium, priore expeditione, promiſcuo ac temerario eſu carnis & lactariorum, moribus & inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ contemptis, temerauerant. Diſceſſerunt itaque tum noſtri ab oppugnatione Nacli, tum quòd hyemis aſperitate premerentur, tum quia nocturnos illos terrores in religionem ſibi uerterant: uerùm inſequenti æſtate infeſtis animis & Pomeranos & Pruſſos perdomuerunt.

Propter uiolatum XL ieiunium.

Diſceditur.

Pruſſi & Pomer. perdomiti.

DE BOEMICO BELLO, BOLESLAI pueri indole, & Sbignei contra Vuladislaum patrem impietate, morteq́ Vuladiſlai ipſius. Cap. III.

PErdomitis autẽ Pruſsis & Pomeranis, Boemis etiã (qui ſibi Poloniam omnem, in qua ne tantillum habebant, quantum ueſtigio calcari poſſet, attribuebant) bellum Vuladislaus intulit, anno à Chriſto nato 1094. Secechi Palatini Cracouienſis, præſtantis in re militari uiri, utens opera: eò quòd ipſe aduerſa ualetudine ab hac expeditione prohibebatur. Mandata quum dabat Sececho proficiſcenti Vuladislaus, aderat fortè filius Boleſlaus, nonum tunc agens annum, attẽtoq́ animo omnia hauriebat: & in leonini catuli morem, qui teneris etiamdum unguibus, laniatu tamen iam gaudet, generoſum pueri pectus belli gloriæq́ cupiditate impendiò exardeſcebat: neq́ diutius animo conceptam flammam ferẽs, genua

Bellum Boemicum.

An. 1094.

Sececho Duce exercitus,

Et Boleslao filio comite,

genua patris amplexus, & collo eius implicatus, uix magnis precibus, oſculis & blandicijs eum exorat, ut cum Sececho ad id bellum mittatur. Sececho itaq́ pueri cura mandatur: ubi uerò ad exercitum uentum eſt, puer ſingula quæ fiebant, curioſius obſeruare, uerſari inter ordines, omnibus arridere, æſtum imbremq́ pati, uigilare, humi cubare, uigilias cum Sececho obequitare, aliaq́ multa præter ætatem facere & ita ferre, ut indoles illa ſtudiumq́ pueri, futuram eius magnitudinem non obſcurè portenderet. Vaſtata autem igni ferroq́ue Morauia (quæ in unius Principis ditionem cum Boemia redacta fuit) & paucis hoſtium turmis (quæ ſeſe noſtris tulerant obuias) aliquot prælijs profligatis, reduxit cum Boleslao copias Secechus, præda onuſtas. Magna inter patrem & filium gratulatio: nec diu tamen à bello feriati ſunt. Arcem namque Medireciam à Pomeranis quibuſdam captam eſſe, nunciatur: quo accepto nuncio difficulter quidem, ſed tamen impetrat rurſum à patre Boleslaus, ut ſibi ad eam recuperandã ire liceat: ſumma uerò rerum & adminiſtratio belli, ipſe que adeò tyrunculus Boleslaus, Secechi curæ fideiq́ committitur. Nec mora, quatit aries murum: & obſeſſi rebus ſuis diffiſi, liberamq́ cum equis & ſarcinis abitionem pacti, arcem dediderunt. Sic recepta refectaq́ arce, Secechus & Boleslaus intra dies non ita multos ad Vuladislaum ouantes reuertuntur. Valebat Secechus apud Vuladiſlaum Principem gratia & auctoritate, idq́ nonnullo ſuo merito: magnamq́ ſibi potentiam comparauerat, ita ut ex eius ferè nutu Reſpub. omnis, & Princeps ipſe pendere uideretur. quæ res illi magnum odium conflabat: cõplures ab eo bonis exuti, multi proſcripti: quibus omnibus apud Boemos tutus erat receptus. Horũ ergo crebris

Feliciter confectum:

Itaq; & arx Medirecia recuperata.

Cũ exulibus propter Secechum

Ad Boemos fugientibus,

crebris

crebris sermonibus & querelis permotus Prædislaus Dux Boemorum, damna à Polonis accepta alieno periculo ultum iri cupiens, armis patriam repetẽdam suadet: auxilia pollicetur: & filium Vuladislai nothum Sbigneum (qui ante initum Principatum ex non legitima uxore susceptus, in Saxoniam relegatus à patre, uitæ monasticæ se addixerat) Ducem exulibus declarat. Ad eum igitur quum magna uis Pomeranorum atq; etiam Prussorum confluxisset, hostilem planè erga patrem animum induens, cum septem aciebus patri Vuladislao cum exercitu uenienti occurrit. Concurrunt infestæ acies: ad extremum uerò, acrius instantibus ijs qui cum Vuladislao sentiebant, fusi aduersarij in lacum compelluntur: ibiq; uel à persequentibus trucidantur, uel aquis merguntur, ita ut aqua eius lacus, cruore & cadaueribus infecta, usibus hominum & iumentorum aliquandiu pòst apta non esset. Pugnatum est ad lacum Gopli, qui Crusuiciam in modum insulæ ambit: Sbigneus autem fuga relapsus Crusuiciam urbem, tunc populosam, uiuus in potestatem patris uenit: urbe, quòd receptum ipsi præbuisset, militi in prædã concessa. Porrò Martini Archiepiscopi ac multorũ precibus Vuladislaus expugnatus, ueniam Sbigneo dedit, filiũ agnouit, ac certos Principatus fines utrique filio, Sbigneo scilicet & Boleslao, descripsit: postea uerò morbo & angore confectus, & sacris mysterijs ante mortem à Martino Archiepiscopo ritu Christiano procuratus, obijt pridie Nonas Iulij, anno à Christo nato 1102. (quum uiginti regnasset annos, uixisset propemodum quinquaginta nouem) solenniq; pompa ab ambobus filijs & magna procerum nobilitatisq; frequentia in basilica Plocensi sepultus.

Sbigneus.

Contra patrẽ Vuladislaum pugnat:

Victusq;, cæso crudeliter apud lacum exercitu,

Et pœna ex Crusuicensib. propter eum receptũ sumpta,

Recõciliatur patri.

Mors Vuladislai.

An. 1102.

DE

DE BOLESLAI CRIVOVSTI VIRTVTIbus & uxore, belloq; cum Morauis & Pomeranis gesto, Pomeranis Christianis, & Sbigneo exule. Cap. IIII.

PErsolutis Vuladislao Principi iustis, Boleslaus Sbigneo fratri Cuiauiam atque Masouiam, & Lenciciensem tractum concessit: cætera ipse cum summo Imperio obtinuit. Tanto autẽ patris desiderio tenebatur, ut diu sanè lachrymis & fletibus non temperaret: gestabatq; de collo suspensam auream laminam, in qua nomen & imago patris insculpta erat, qua subinde memoriam eius sibi refricaret: & quicquid uel faceret, uel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia & exaudiente patre. ea fuit in iuuene modestia & uerecundia. Exacto tandem luctu annuo, orante Senatu duxit uxorem Sbislauam, Suentopelci siue Stopolci Michaelis Kiouiensium Principis filiam: non sine indulgentia tamen Pontificis Max. ne, propter intercedentem cognationem, incestæ essent eæ nuptiæ. Morauos, ditionem suam Sbignei consilio & opera inuadentes, Duce Zelislao fudit: ac ei, pro amissa in hoc prælio manu, auream donauit. Ipse quoque, eadem æstate, in Morauiam incursionem fecit: exustisq; plurimis uicis atque pagis, non paruam etiam prædam in Poloniam reuexit. Pomeranos aliquoties uicit. quumq; in eosdem, raptim in Poloniam excursionem facientes, centum tantùm stipatus comitibus (cum quibus uenatum excurrerat) incidisset: fugere turpe ratus, manus cum hoste (quamuis longè impar) conseruit: magnaq; in eis strage edita, dum iterum atque iterum perrumpit hostile agmen, uix cum triginta saluus euasit. Sequenti autem tempore, maiore ui Pomeranis bellum fecit: prius

Boleslaus data parte Principatus Sbigneo, ipse uerò Princeps factus,

Patris defuncti amans & reuerens esse pergit.

Boleslai uxor cum dispensatione Pontif.

Morauos inuasores, data manu aurea pro amissa, Boleslaus uastat &

Pomeranos post magnum periculum,

 tamen,

Data optione eligendi scuti, tamen, missis cum legato duobus scutis, animos eo-
rum tentat: album' ne, in quo Pax: an rubrum, in quo
Bellum excidiumq; significabatur, mallent. Superbius
illi responsum dedere, ambobus scutis acceptis: San-
guine Polonorum se sibi candidam uictoriam pacemq;
paraturos, dictitantes. Itaque Boleslaus ad mœnia Bia-
Expugnat. logrodi (quæ ciuitas Pomeranorum inprimis diues &
Bialogrodũ, populosa fuit) admotis castris, actis uineis, & turribus
celeriter excitatis, summa ope urbem expugnare niti-
Boleslao uiriliter omnia agente, tur. quatit murum aries: ipse Princeps, periculi imme-
mor, inter primos uersari: nec deterreri multitudine te-
lorum hostilium, aut suorum circa se cadentium inte-
ritu, quin ad portam urbis excindendam præiret. De-
pelluntur tandem summa nostrorum ui de propugna-
culis hostes: nostriq; liberius effractis portis, cæsis'que
uel summotis qui in introitu urbis repugnabant, in ur-
Captum conseruatur Boleslai clementia: bem signa inferunt. Tum demum Bialogrodenses, ab-
iectis armis, clementiam uictoris supplices implorant:
parci'que iubet inermibus Princeps Boleslaus: &, re-
ceptui signo dato, ab excidio urbis abstinere mandat:
Proptereaq; & alia oppida se dedunt. dat ueniam uictis. Hac autem uictoria & uictoriæ mo-
deratione accepta, Colberga, Camenum, Velenum,
Cosminum, & aliquot oppida Pomeranorum, in po-
testatem Boleslai uenere. Hoc etiam tempore Pome-
ranorum manus Spicimirum uicum improuiso inuasit.
Spicimiri à Pomeranis capto Archidiacono pro Archiepiscopo, Secesserat eò tunc cum paruo comitatu Martinus Ar-
chiepiscopus Gnesnensis, pius et uenerandus senex: atq;
is ad primũ tumultum & aduentũ hostilem, timore sub-
ministrãte consiliũ, inter contignationẽ templi abscon-
sus latuit: pro eoq; Pomerani Archidiaconum Gnesnen
sem, Archiepiscopũ esse rati, secum abduxerunt. Ferunt
Pomeranos omnes, quicunque Archidiaconum & sacra
templi

templi uasa attigissent, domũ reuersos, cum liberis, con- *Vasisq; templi ablatis,*
iugibus, propinquis, atq; domesticis familijs, uel comi-
tiali morbo correptos, ad parietes & saxa sese allisisse: uel *Post plagam grassantem*
in amentiam uersos, partim mutuis cædibus concidisse,
partim dentibus ac unguibus in seipsos sæuisse. quo ma-
lo perculsi, causaq; mali notata, Archidiaconum cum sa- *Pomerani remittunt omnia ablata, &*
cris uasis & omni instrumento templi Spicimirẽsis con-
quisito, domum remiserunt. Addunt Dlugossus & Vin-
centius, ex eo tempore Pomeranos Religionem Chri- *Fiunt Christiani.*
stianam suscepisse: hisq; adstipulatur Albertus Crãtius,
qui etiam Pomeranos, Boleslai huius Principis opera,
Christianos factos esse scribit. Sbigneum fratrem, pro- *Sbigneus proditor fit exul.*
pter proditionem sæpius tentatam, quum omnes capite
plectendum censerent, Boleslaus exilio multat: ipseq;
ad Henricum Imperatorem se recepit.

DE GERMANICO BELLO, ET POST affinitate cum Henrico Cæsare.
Caput V.

ANno demum post Christum natum 1109. bellum *An. 1109.*
Germanicum contra Boleslaum exarsit, breue qui
dem illud, sed prospero successu magnaq; gloria Polo-
norum & Boleslai Principis gestum. Henricus enim Cę *Henricus Cæsar contra Boleslaum, Sbigneo etiã impulsore.*
sar, adiutos à Polonis Vngaros, & uexatos Boemos in-
dignè ferens, bellum parabat: solicitabatur & à Sbigneo
exule magnis pollicitationibus, eaq; spe implebatur, ut
per Sbigneum nullo negotio Poloniam omnem in po-
testatem suam redacturum se, crederet. Affirmabat enim
Sbigneus, primo eius aduentu certatim ad se Polonos
defecturos esse. Igitur initio æstatis Poloniæ partẽ, quæ
nunc Marchiæ Brandeburgensis & Silesiæ nomen ha- *Bellum gerens, &*
bet, ingreditur: captis quibusdam oppidis, exercitum ad

 Glogo-

Glogouiam oppugnant. Glogouiam ducit. magna ui oppugnatur oppidum, frequens quidem ea tempestate, sed non munitissimũ. Oppidani ueriti, ne, capto per uim oppido, extrema queque ab irato hoste paterentur, quinq; dierum inducias petũt: quibus, nisi succursum sibi esset, deditionem promittũt: obsidesq; dant primorum ciuium liberos. Ad Boleslaũ itaq; mittunt: quanto in discrimine sit oppidum, ac quid cum hoste constituerint, exponunt: orant, ut illis opem celeriter ferat. Collaudauit ille eorum consilium: maturè se affuturum pollicetur. quòd ni affuerit: sustinere hostilem impetum iubet. ni faciant: deleturum se eos post discessum Cæsaris, iurat. Valuit apud Glogouienses plus fides & auctoritas Principis, quàm priuata pietas: itaque biduo, quod de inducijs erat reliquum, ad sustinendam uim hostium omni ope se comparant. Adueniente ergo quinta die, promissam deditionem Cæsar poscit: ubi uerò mutatos oppidanorum animos uidet, corona oppugnat oppidum, obsidesq; pallijs (quæ asseres compacti sunt, qui milites mœnibus succedentes tegunt, & à missilibus defendũt) alligari, & ad mœnia obuerti iubet (ut, dum suis oppidanorum misericordia parcit, facilius & liberius mœnia subeant) sed nihilominus oppidani omne telorum genus in suos iuxtà ac in hostes congerunt, ac omni ratione uim hostium depellunt. Cæsar, hostiũ constantiam admiratus, & suorum pericula ac uulnera miseratus, receptui canere iussit: ab obsidione tamen Glogouiæ non recessit. Iam Boleslaus exspectata auxilia acceperat, ualidasq; de suo milite copias habebat: itaq; propius hostem accedit: nec tamen pugnãdi copiam, quamuis flagitantibus suis, faciebat: sed è latebris & insidijs hostilem exercitum carpebat: pabulatores excipiebat: sæpius intempesta nocte, cum clamore & clangore tubarum,

A Boleslao uexatur.

rum, hostiũ castra adequitabat: excubias aut opprimebat, aut è stationibus pellebat. Itaq; neq; oppugnandi oppidum, neq; reficiendi se, neq; quiescendi spatium hosti dabat: adeoq; tunc celebre inter hostes Boleslai nomen fuit, ut laudes & uirtutes eius tota castra, compositis etiam ad id carminibus, personarent: & ipse Cæsar, ne id fieret, capitali pœna sancire cogeretur. Angebatur autem ancipiti malo Cæsar, obsesso, quàm obsidenti, similior. Tandem Boleslaus, ratus Cæsarem non satis auspicati belli iam pertæsum, simul quòd hyems instabat, faciliorem placidioremq; fore, Legatos ad eum de pace misit. Edit ille pacis conditiones, ut Sbigneus in Principatũ suum restituatur, & ut Poloni tributarij sint Romano Imperio. Duræ uidebantur legatis conditiones: neq; existimabant, Principem eas accepturum esse. Ibi Henricus Cæsar, ambitiosè admodum & arroganter, ostendens Legatis thesaurum quem ingentem habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Erat legationis princeps Scarbicus Comes ex ea gente, quæ insigne habet W literæ geminæ maiusculæ: hic stultam Cæsaris iactantiam notans, annulo quem digito gestabat in thesaurum proiecto: Aurum, inquit, adijciamus auro. Id scomma intellectum Cæsar elusit, lingua inquiens Germanica, Hab danck: quod est, Gratias ago: inde mansit Familiæ id nomen, ut Habdanci dicãtur. Reuersi ad Boleslaum Legati mandata Cæsaris referũt. Mirari ille conditionum iniquitatem, quasi uictor uictis leges imponeret, ac non dubia adhuc esset Martis alea: itaq;, quam non impetrabat pacem, ui & armis extorquere pergit: Cæsariq; nullam dat lignandi, pabulãdi, commeatus petendi, atq; adeò è castris prodeundi facultatem. quibus malis fatigati Germani, maioraq; metuentes, aliò transferre

Boleslai nominis celebritas.

Boleslaus petens pacem.

Dũ iniquas conditiones Cæsar proponit

Satis arroganter.

Pergit uexare Germanos.

Glogouia obsidione soluta.

ferre bellum statuunt: ideoq; soluta Glogouiæ obsidione, Vuratislauiam urbem instructa acie contendunt: quò magno cum labore & cæde suorum Cęsar uenit. Est circa Vuratislauiam latè patens planicies: is locus Boleslao uisus est peropportunus ad dimicationem pręlij, & nostris, propter leuem armaturam & pernicitatem equorū equitumq; multitudinem, quàm hostibus, commodior: itaque paucis milites cohortatus, hostibus pugnandi copiam facit. Prælium hoc ferè exoriente Sole initum, durauit usq; ad meridiem, & inclinabat quidem ad hostes uictoria (reprimebantur enim nostri equites graui illorum armatura:) uerùm Boleslaus omnia solicitè prouidens, ubicunq; deteriori loco rem suorum animaduertebat, accurrebat: & hortando, orando, subsidiarias copias submittēdo, instaurabat pugnam: tandemq; Polonorum ac Silesiorum uirtute, inclinauit ad Boleslaum uictoria. Permulti tunc utrinque interfecti sunt: campus ubi pugnatum erat, plenus cadauerū, acerbum & miserabile spectaculum exhibebat. Ac nostri quidem conquisiti ac sepulti sunt: Germani insepulti canibus & uolucribus esca iacuere. Inde autem, quum eò tanta uis canum conuenisset, ut difficilem trāsitum præberet paucis iter facientibus, Caninus campus à Polonis atq; Germanis locus ille dictus est: & in hodiernum usque diem utraq; lingua is qui ibi est uicus, nomen hoc retinet. abest autem uno à Vuratislauia milliario. Post hanc pugnā clarius iam, quàm antehac, Boleslai & Polonorum nomen apud Germanos factum est: tum & pacem Henricus cum Boleslao facere cupiebat: sed offerre eam ultrò, quam dudum à se petitam negarat, turpe sibi ducebat: ideoq; communes ad extremum amicos subornauit, qui Boleslao persuaderent, ut ipse eam à Cæsare pe-

In campo. *Pugnatur* *Fortiter ac uiriliter* *Caninus campus* Hundsfeld *Fama Boleslai crescit: & pax ei delata*

teret,

teret, ac de uoluntate ipsius prolixè illi pollicerentur. Vicit animum suum Boleslaus, ut ipse ad Cæsarem Babenbergam (oppidum id est Franconiæ) splendido apparatu & comitatu proficisceretur: adueniens comiter & honorificè acceptus est à Cæsare, nouaq; affinitate sempiterna amicitia inter ipsos Principes & posteros ipsorum sancitur & stabilitur. Nam Boleslaus Hērici sororem Adleidam uxorem duxit: & filio suo Vuladislao, impuberi adhuc, Cristinam eiusdem Cæsaris filiam paruulam despondit. Peractis autem magna celebritate & summa omnium lętitia nuptijs, datis & acceptis ultrò citroq; magnis muneribus, Boleslaus in Poloniā reuertit.

Affinitate firmatur. *Adleida Boleslai, Cristina Vuladislai uxor.*

DE BELLO CVM RVSSIS ET POMERANIS GESTO. Cap. VI.

EXcurrerāt tunc forte Prussi & Pomerani prędabundi in Masouiā: iamq; uastatis pagis permultis, celeriter se cum præda domum recipiebant: quos Masouiæ pręfectus Magnus tumultuaria collecta manu persequutus, prima luce, post populationis laborē largioresq; ex præda epulas altum dormientes, oppressit, sexcentis interfectis, mille & ducentis captis. Atque hæc uictoria de barbaris Simoni Episcopo Plocēsi, pietate & sanctimonia uitæ uenerando seni, refertur accepta: quòd is & animauerat nostros in hostem, & pugnantibus ijs Dei opē implorare non cessauerit, Moysen populi Dei Ducem imitatus: cuius precibus & extensione manuum magis, quàm armis atq; uiribus, Amalechitas profligatos esse, sacris Hebræorum literis proditum est. Non satis uerò pœnarum Pomeranos atq; Prussos dedisse ratus Boleslaus, exercitum ad Crusuiciam conuenire iubet. Iam moueri castra debebant, & ecce clara die, inspectante omni

Prussos & Pomeranos, cum præda redeuntes domum, Magnus opprimit. *Simone Episcopo & Hortatore & Precatore.* *Boleslaus insuper persequitur eosdē.*

A formoso iuuene animatur: exercitu, apparuit in culmine basilicæ Crusuicensis formosus iuuenis, cãdida ueste refulgens: cunctisq; stupentibus, desilijt, & ante signa progressus est. Ibi uniuersus exercitus lætus oblatum sibi à Deo ducem sequitur: ubi uerò ad Naclum Pomeranorum urbem tum principem & munitam, uentum est, iuuenis ille malum aureũ, quod in manu gestabat, aduersus oppidum proiecit, & subitò disparuit. *Et Naclo oppugnato,* Oppugnatum est oppidum summa ui. qua oppugnatione oppidani perculsi, quindecim dierum inducias à Boleslao impetrant: à Prussis autem suis & Pomeranis auxilia petunt. *Pomeranis atq; Prussis* Ingentes Pomeranorum & Prussorum copiæ conuenerunt, silenti agmine ad Naclum iter facientes: nostrosq; incautos & inopinantes opprimere satagunt. Forte tunc erat dies S. Laurentio Martyri sacra: *Post sacra die S. Laurentij peracta* qua nostri nihil de hostibus suspicati, & quòd induciæ adhuc cum oppidanis durabant, inermes Diuinę rei uacabant: & iam, sacris peractis, diuersi discedebant: quũ subitò conspicantur hostes, agmina è uicinis syluis explicantes. Conclamatur itaq; ad arma: perturbantur nostri; non tam multitudine hostium, quàm quòd in puncto temporis omnia prouidenda & facienda erant: sed hostes cunctantes, & frontes atq; latera exercitus sui sudibus præustis & hastis transuersis in modum sepis munientes, nostris colligendi sese, arma capiendi, & ordines explicandi, spatium dederũt. Difficilis quidem propter sepes & fossas, nostris futura erat pugna: sed Boleslaus nuda esse hostium terga animaduertens, Scarbimiro Magistro militiæ negotium dedit, ut, quum ipse à frõte hostem adortus in se cõuerterit, ille cum parte copiarum facto circuitu, à tergo in auersos impetum faciat, quod ubi factum est, clamore cædeq; à tergo orta, summa fit inter hostes trepidatio & cõfusio. Perrumpit denique

nique

nique impedimenta Boleslaus: hostes uerò utrinq; circumuenti, quum se uallo expedire non possent, maxima strage ita concisi sunt, ut cæsorum numerus ad uiginti septem millia peruenisse dicatur: lacubus & paludibus etiam multi hausti memorantur, captiq; fuere bis mille. *Cæsi.* Naclum ergo, ac alia Pomeranorum oppida Boleslao se dedunt: quibus omnibus Boleslaus præfecit Suentopelcum, unum de Proceribus & Consiliarijs suis, de Griphonum siue Griphium familia, hominem, non tam opibus aut natalium splendore, quàm uirtute & scientia rei militaris clarum. *Cum alijs oppidis potitur. Suentopelcus Pomeranis præfectus.*

DE BOEMICO BELLO, PRVSSIA VASTATA, Sbignei nece, & Boleslai pœnitentia, atq; Castellano Cracouiensi in locum Palatini translato. *Caput VII.*

EXarsit rursus Boemicũ bellum, à Boleslao quietis & otij impatiente conflatum: cuius prætextus fuit Sobeslai in Polonia exulis, Vuladislai Boemorũ Principis fratris, restitutio. *Boleslaus, occasione quæsita, Boemis bellum infert: &* Præmiserat legatos ad Vuladislaũ Boleslaus, postulans, ut cũ Sobeslao fratre ultrò in gratiam iniret, Principatumq; partiretur: quod cùm nõ impetrasset, Boemiam cum infesto exercitu ingreditur, & obuia quæq; uastat. Antequam cum Vuladislai copijs congressus fuisset Boleslaus, sanctum sacræ Missæ sacrificium fieri curauit, militesq; suos sacris Christi mysterijs à sacerdotibus procurari uoluit: *Apud Missam sumpta Eucharistia.* atque ita animatis suis, ubi pugnę copia facta est, ipse inprimis hostem, qui ante alios pugnam ciebat, manu sua peremit: huic proximum Derslaus Pocillator. quo exemplo incensus ardor *Vincit.* cæterorum militum, hostem referre pedem coegit. Hic ergo nostri uictoria potiti, repetitaq; è uestigio in Boe-

 miam

miam excursione, incolumes cum ingenti præda in Poloniam reuerterũt. Hoc eodem anno, qui fuit à Christo nato 1114. cum expeditis copijs Boleslaus Prussiam ingressus, uicos, pagos & oppida, ferro & igni uastauit: magnam prædam, nusquam prodeũte ad dimicationem hoste, abegit: & captiuos, quorum ingens erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diuersa loca distribuit: extantq; etiamnũ nonnulli pagi, qui ex eo tempore Prussorum nomen retinent.

An. 1114. Ex Prussia uastata. Rustici in Poloniam deducti.

Sbigneus autem reliqua spe, quam habebat in Boemorum & Pomeranorũ armis, penitus abiecta, fratris clementiam & misericordiam supplici legatione rursus tentat: fratri, quem ipsi Deus, & uirtus ipsius Dominum constituisset, semper se obsequentem fore pollicetur. Emollit fregitq; hæc legatio Boleslai animum, suapte natura ad misericordiam pronum: reuocatur Sbigneus, nequidquam reclamantibus proceribus. Veniens autem nihil de fastu & uanitate sua remisit: sed quem legati supplicem ad pedes fratris prostraturum se esse polliciti fuerant, is cum tubis atque tympanis incedens, præferri sibi strictum gladium, de more Principũ, iussit. Cœpit mox Boleslai animũ subire facti pœnitentia, quòd insanabile cernebat ingeniũ Sbignei: quem igniculum in pectore Boleslai quum magis alerent infensi Sbigneo Proceres, eò impellunt mitissimum Principem, ut fratrem interficiendum mandauerit. Vehementer postea Boleslaum admissi facinoris, & contaminatæ una illa labe existimationis suæ, pœnituit: multisq; postea lachrymis, eleemosynis, & laboribus peregrinationum ultrò susceptarum (ut infrà dicetur) id scelus eluit. Non multo autem interiecto tempore, post admissum hoc in Sbigneum facinus, Scarbimirum Palatinum Cracouiensem cepit,

Sbigneus. Clementia Boleslai. Abusus. Interficitur: Pœnitetq; Boleslaũ facti. Cap. 10. Scarbimiro Palatino Cracouiense

in car-

in carcerem coniecit, excæcauit, Senatu mouit, & abdicare se utroq; Magistratu coegit: propterea quòd is elatus rebus secundis, & bellis aliquot suo ductu prosperè gestis, omnia sibi arrogaret: Regem, gratia populari fretus, contemneret, conuitijs ac maledictis incesseret, & iam in apertam rebellionem euasurus esse uideretur. Atq; ex eo tempore deinceps Castellano Cracouiensi, qui lõge inferior fuerat, prior in Senatu locus datus est.

Sua dignitate priuato. Castellano Crac. prior locus in senatu datur.

DE BELLO PRVSSICO ET POMERANO, Suentopelci perfidia punita, & fide à Pomeranis constanter recepta.

Cap. VIII.

SEquenti anno, qui fuit 1118. Boleslaus pacatis domi rebus, statuerat Prussos ac Pomeranos, fractos iam ac debellatos, ad extremum perdomare: uerùm imbres anni illius perpetui, & ingens aquarum uis ac inundatio (quæ neq; seri agros, neq; meti, passa est: neque id in Polonia modò, sed in uicinis quoq; regionibus) quiescere eum coegere. Præcesserat autem eos imbres tale prodigium, quòd cœlum totas tres horas post occasum Solis ardere uisum est. Sedatis porrò uentis ac tempestatibus, quæ post imbres superiores uehementes ac diuturnæ fuêre, bellum contra Prussos & Pomeranos persequitur. Extremam autem uastitatem timentes Prussi & Pomerani, iuuentutem omnem, opificumq; & agrestium multitudinem armarunt: &, ultimam prælij fortunam tentaturi, Boleslao cum exercitu aduenienti occurrerunt. nec ille quidem cunctatus est, quin mox cum hoste, quamuis numerosiore, manus cõsereret. Pugnatum est à primis Marte dubio (ibi enim robur omne sui exercitus hostes collocarant:) sed his partim cæsis, partim

An. 1118. Post aquarũ inundationes. Prodigio præsignatas. Et post tempestates diuturnas. Prussos et Pomer. iterum Boleslaus Vincit &

h 3 nouis

nouis aliquot Boleslai cohortibus perturbatis, reliqua multitudo imbellis in fugam effusa est. Parci iussit Boleslaus fugientibus, ne regio cultoribus uacua prorsus redderetur: itaque multò plures capti, quàm cæsi: reliqui cum rebus suis & munitionibus & oppidis Boleslao se dedidêre. Restabat Suentopelcus Nacli præfectus: qui, dominandi cupiditate ductus, minus erat dicto audiens Boleslao: & cum Pomeranis, hostibus Polonorum, societatem iniuerat. Ac tentabat quidẽ Boleslai animum per internuncios: sed ille, pessimi exempli facinus nolẽs impunitum relinquere, Naclum obsidebat: tandem uerò, quòd perdifficilem oppugnationem tempus hybernũ præbebat, soluta obsidione, pecuniáque & filio Suentopelci obside accepto, diu negatã Suentopelco & Naclensibus dat ueniam. Sed iterum proxima æstate, noua Suentopelci & Naclensium defectione permotus, adeò constanter urbem eandem oppugnauit, ut oppidani, desperatis rebus, uitam modò pacti, oppidum & Suentopelcum dedere cogerẽtur: quem Boleslaus mox perpetuo carceri mancipauit. Naclo recepto, cuncta Pomerania in potestatem Polonorũ uenit: Religionemque Christianam, bis antè susceptam, & bis rursus repudiatã, tunc demum (auctore Boleslao) tertiùm cum Varcislao Duce recepit, & hucusque retinet.

Capit. *Suentopelcus perfidus.* *Naclo oppugnato semel &* *Iterum.* *Captus conijcitur in carcerem.* *Pomerani potestatu Polonorum facti, Christiani fiunt.*

DE NVPTIIS VVLADISLAI, CAZIMIRO nato, bellis cum Volodoro Rußicis, & expeditione Danica. Cap. IX.

Boleslaus itaque, pacata omni Pomerania, dimissóque exercitu, reuersus in Poloniam, sequenti anno nuptias filio Vuladislao, cum Cristina Henrici Imperatoris filia, qui tum demum ambo puberes facti fuerant, maximo apparatu celebrauit: quibus Stephanus Rex Vngariæ,

Vuladislai nuptiæ.

gariæ, ac Russorum Boemorum'que Duces, interfuêre. Exacto autem post eas nuptias anno, qui fuit 1122. Adleida Boleslai uxor, post decem annorum sterilitatem, filium Cazimirum peperit. Eodem quoque anno Volodor, Præmisliensium Dux, quum sæpe latrocinantium in morem prædas è Polonia ageret, nec desisteret admonitus à nostris, apud Vuyslokie profligatus, captus, & ad Boleslaum adductus, uicies mille pondo siue marcis argẽti se redemit. Anno deinde, qui fuit post Christum 1124. nouam in Danos expeditionem Boleslaus suscepit, cuius causa fuit Petrus, clara & illustri apud Danos ortus familia. Hic namque quum se iuuenis in aulam Boleslai, quæ tunc longè apud exteros gloria rei bellicę florebat, contulisset: magna ingenij dexteritate & suauitate morum, citò se in gratiam & amicitiam Boleslai insinuauit, ita ut postea multis magnisque possessionibus, & inprimis Comitatu Scrinnensi, & uxore illustri è genere Ducum Russiæ, quæ Sbislauam priorẽ Boleslai coniugẽ cognitione attingebat, ab eo cohonestaretur. Perdidicerat autem linguam Polonicam, & ita se ad mores Polonorum accõmodabat, ut nemo tanta illa bona externo homini inuideret: pater uerò huius Petri Guilelmus facilè princeps erat Procerũ Daniæ, & plurimum gratia apud Henricum Regem ualebat, præfectus ab eo maximis quibusque negotijs. Quum autem Regem Abelus frater occidisset, Regnumque inuasisset: habebat in potestate sua thesaurum ingentem Regium pater Petri. Certiorem is facit filium rerum Danicarum, admonens, ut cum aliquanto militum præsidio ueniens, thesaurum illum auferat: Petrus uerò refert ea de re ad Boleslaum Principem. Pollicetur itaque Boleslaus non grauatim opem suam, cùm ut homini bene de se merenti

An. 1122. *Cazimirus ex Adleida sterili natus.* *Volodor Dux Præmisliensiũ captus se redimit.* *An. 1124.* *Petrus Danus.* *Danica expeditionis Boleslao auctor.*

gratificaretur, tum quòd ea expeditione & opes Poloniæ augere, & nominis sui gloriam trans mare etiam & ad extremos Septemtriones proferre & propagare cupiebat: adeoq; classe ad Gdanũ, Pomeraniæ oppidum maritimum, ad transportandum exercitum instructa, quum primùm per anni tempus rectè potuit, naues conscendit: & commoda tempestate usus, improuisus in primo littore Daniæ, ad quod classis appulerat, nemine prohibente, copias exposuit: ac per familiares atq; ministros Petri, patrisq; eius, omnium Danorum facilè sibi uoluntates adiunxit: quum profiteretur, se ulcisc ēdi parricidæ Tyranni, & uindicandæ libertatis Danorum causa, aduenisse. Tyrãnus ergo, desertus à suis, profugit: Boleslaus uerò facilè potitus omni Dania, munitiones Danis reddidit: Regem eos, quem uellēt, creare sibi iussit: confectis & constitutis rebus omnibus, thesaurum & omnem Petri cognationem secum auexit: secũdaq; nauigatione usus, paucis diebus in Poloniã reuersus est. Fertur autē successu temporis hic Petrus templa 77, duoq; monasteria, alterum uirginibus, uiris alterum, diuersis in locis in Polonia de secto lapide extruxisse ac dotasse: florētq; adhuc in Polonia huius Petri posteri, cygno in rubro scuto insigni utentes: indeq; Labenciorũ nomen habet ea familia. Cæterùm interea temporis, dum Boleslaus Danicam expeditionem obit, Volodor Præmisliensium Dux, immemor fœderum & iurisiurandi, uicinam Poloniam cædibus & incendijs uastauit, usque ad Biecium oppidum: ingentemq; pecudum, iumentorum & hominum prędam abegit: itaq; reuersus à Danica expeditione Boleslaus, Volodoro bellum fecit, atq; hunc fortiter prælio uicit, multis fortibus & insignibus uiris partim in bello, partim in fuga trucidatis: Dux autem Volodor

Post rem bene cõfectam

Templa & monasteria construit: à quo

Labentij manant.

Volodor perfidus

Iterum uincitur.

Volodor Haliciam fugit. Post quam quidē uictoriam, Boleslaus liberius hostiles regiones diuexauit ac depopulatus est, uicemq; Rusis cum fœnore reddidit. Quieuit à bellis, eo anno & cõsequētibus aliquot, Boleslaus Princeps: quum pleræq; omnes finitimæ gentes, partim externis, partim ciuilibus bellis distinerentur.

Boleslai quies à bellis.

DE PIETATE ET POENITENTIA, PEREgrinationibusq; Boleslai, ac bello cum Vngaris gesto, & Russorum defectione dolo suppressa. Cap. X.

QVietem igitur Boleslaus nactus, ad Religionem cultumq; Diuinum animum adiecit: basilicã Cracouiensem humilem & neglectã in augustiorē formam redegit, excitatis altius muris, ac duabus turribus ad latera adiunctis: supellectilem auream ac argenteam maiorem in modum auxit: quin & collegium sacerdotum seu Canonicorum eius basilicæ, uiginti ad ueterem numerum adiectis, amplificauit: eisq; certos pagos ipse, Radossus uerò Episcopus decimas attribuit. permisit autem pius Princeps Episcopo ius omne conferendi ea sacerdotia ipsius arbitratu. Auctus est deinde sui nominis filio Boleslaus: cui quidem postea Crispo, à capillorum figura, cognomen fuit. Posthæc Boleslaus, quamuis magnis in ornatum templorum, & in alimēta sacerdotum atq; egenorum impendijs & donationibus, iugiq; precatione et lachrymis, & aspero tenuiq; uictu et cultu corporis, cilicio pro ueste utens, & cinere sese aspergens, ægrotorumq; mendicorum pedes subinde abluens, admissum in Sbigneum fratrem facinus sedulò expiaret: quum alijs satisfaceret, tamen ipse sibi non satisfaciebat, nisi & laborem longę molestæq; peregrinationis adijceret. Itaq; solenne Christianis quadraginta dierum ieiunium,

Boleslaus cultum Diuinũ amplificat in Ecclesia Cracouiensi.

Adiutus ab Episcopo, cuius conferendorum sacerdotiorum dedit.

Boleslaus Crispus natus.

Boleslai, propter Sbigneũ fratrem cæsum, pœnitentia, &

Peregrinationes ad

i nium,

nium, pane tantùm & aqua gustandis, ciliciumq; indutus, quum exegisset: paucis sacerdotibus & alijs pijs hominibus comitatus, ad Aegidij tutelaris sui Diui sepulchrum peregrinationem priuati habitu suscepit: atq; id iter magna ex parte nudis pedibus confecit, nullum templum, nullum monasterium, nullum egentium domicilium, neminem deniq; sacerdotem aut mendicum præteriens, quin liberalitatis & munificentiæ quippiam in eum depromeret. Quindecim dies apud Diui sepulchrum, ieiunijs & supplicationibus uacans, commoratus, quum in Poloniam reuertisset: Vere iterum proximo alteram peregrinationem in Vngariam, ad diui Stephani sepulchrum, instituit: eaq; religiose & pedestri itinere obita, Gnesnam etiam adijt ad diui Adalberti reliquias, paulo antè Iacobi Archiepiscopi opera in propatulum è latebris prolatas, in quibus diu, post uastatum à Boemis (exulante Cazimiro) id oppidum, delituerant: & octoginta pondo auri, & multas gemmas, in urnam Diui contulit. His peractis, non ita multò pòst Cazimirum filium, immatura morte defunctum, amisit: uerùm eum mœrorem mox Miecislaus natus mitigauit. cui puero propter grauitatem morum & prudentiam, Senis cognomen additum est. Alius item sequenti anno, qui fuit 1132. natus est ei filius: qui, aui materni & auunculi Cæsarum nomine, Henricus appellatus est. Pòst in Vngariam ualido cum exercitu, & euocatis ex fœdere Russorum auxilijs, contendit, Stephani Regis Vngariæ liberos in Regnum restituturus. nam hos Vngari, mortuo Stephano, Belam cæcum Regem creantes, præterierãt. Occurrit igitur Boleslao in Scepusiensi territorio cum magnis Vngarorum & Austriorum copijs Albertus Marchio superioris Pannoniæ, siue Austriæ,

D. Aegidij, D. Stephani, & D. Adalberti. Gnesna uastata. Cazimiro mortuo, Miecislaus Senex nascitur, & An. 1132. Henricus. Bello Vngarico &

striæ, cum quo soror Belæ Regis nupta erat: committitur durum prælium: tandem uerò uirtute & constantia nostrorum, ac Ducis solerti diligentia, in fugam hostes acti sunt. Ab Vngarico bello Boemorum in Poloniam incursione Boleslaus reuocatus deinceps est: Rußiq; nouas res moliri, & ad excutiendũ iugum Polonorum aspirare cœperunt. quæ res quum permanasset, conturbauit Boleslaum illa alieno suo tempore constituta rebellio: quòd ad duo maxima bella, Vngaricum scilicet ac Boemicum, tertium non minus accederet. Senatum itaq; conuocat: exponit de intẽpestiua Russorum defectione: dicuntur sententiæ. ibi inter alios Proceres Petrus Vulostouicius, Comes Xiansensis, uir magni ingenij & cõsilij, in eam sententiã uerba fecit, ut diceret: Nõ maximo negotio nascentem rebellionẽ opprimi posse, si caput eius rebellionis Iaropelcus amputetur: idq; arte facilius esse factu, quàm apertis armis: nec dedecere, si dolo perfidia uindicetur: ad eamq; rem operã suam pollicetur, cætera quietos esse iubet. Inde ergo paucis fidis comitibus, neque tamen consilij conscijs, assumptis, in Rußiam ad Iaropelcum proficiscitur: exilium & fugam simulat: Boleslai crudelitatem in se, & iniurias graues, incusat: fugæ perfugium à Iaropelco petit: addit multa de impotentia & sæuitia Boleslai in omne genus hominum, quibus rebus suis exosus factus sit. Pergratus fuit aduentus Petri Iaropelco: gaudebat, diuinitùs sibi oblatum consilij sui adstipulatorem & adiutorem: unde Petrus, sua etiam responsa ad Iaropelci uoluntatem accõmodans, facilè sese in intimã eius familiaritatẽ insinuauit. Itaq; Iaropelcus, cõmunicato cũ suis cõsilio, rebellionẽ maturat. Rus autem fortè secesserat cum paruo comitatu: secutusq; eum erat & Petrus: qui, obseruata rei

Boemico, Rußi rebellant: propterea q; Ex consilio Vulostouicij, Iaropelcus dolo

Capitur.

bene gerendę occasione, Iaropelcum cum paucis prandentem, signo comitibus suis dato, comprehendit, constringit, & equo impositum celeriter, dispositis prius per loca equis & nauibus, auehit, & incolumis ad Boleslaum perduxit. Collaudauit fidem, studium & operam Petri Boleslaus, peramplisq; eum muneribus ornauit: Iaropelcum uerò custodiæ tradidit: unde intra uertentem annum, maximo auri & argenti pondere à Vasilo fratris sui filio redemptus, ad Principatum suum, data Boleslao fide, reuersus est.

Et redimitur.

DE IAROPELCI FRAVDIBVS, ET BOleslai apud Haliciam extremo uitæ periculo. Cap. XI.

Iaropelcus subornato à se Vngaro,

NOn diu mansit in fide Iaropelcus. Namq;, ut par pari referret, Vngarum quendam, hominem non ignobilem, cæterùm uafrum atque callidum, subornarat, qui pro perfuga (ob defensas Stephani liberorum partes) ad Boleslaum delatus, captata occasione uel uitam illius peteret, uel insigni aliqua clade Polonos afficeret. Is itaq; Vngarus industria sua et eloquētia, et bene assimulatis ad tēpus officijs, ita se in amicitiā creduli Principis breui tēpore insinuauit, ut & ad consilia quæ habebātur de Rep. adhiberetur, & Pręfectura Vislicensi donaretur: quūq; Boleslaū regno absentē, propter cōponēdas res Boemicas, apud Lothariū Cęsarē animaduertisset: cōmodā proditionis occasionē nactus, celeri nuncio Iaropelcum aduocat: ad VI Idus Februarij, ad Visliciā adesse cū expeditis copijs iubet. Certior uerò Vngarus de aduētu Russorum factus, cōmigrare uiciniā omnem cum liberis, uxoribus & facultatibus suis Visliciam iubet: libenterq; id facit Nobilitas & plebs, quò se suaq; loco munito ab hostium armis defendat. Adsunt etiam

Per cuius uafriciem fefellit Boleslaū credulum, &

Visliciam

ad

ad condictū tempus Russi: intromittuntur in oppidum intempesta nocte: nullo neq; ætatis neq; sexus discrimine, cædem edunt: oppidum succendunt: nobiliores ac ditiores, cum reliqua præda domum abigunt. Proditori uerò Iaropelcus, præmij loco, linguam præcidit, oculos effodit, genitaliaq; membra abscidit. Sic ille perfidus dignam sceleris sui pœnam luit. Oderunt enim ferè proditorem Principes atque Reges, quāuis proditionem ament. Reuersus ex Germania Boleslaus, quum de Vislicensi excidio, & Iaropelci perfidia didicisset, ingentes aduersus Russos iras concipit: magnoq; non modò ex nobilitate, sed etiam ex oppidanis & agrestibus exercitu collecto, Russiam fremens (perinde ac leænæ, uel ursæ, rapto fœtu solent) ingreditur: quumq; nemo obuiam prodiret (nam Iaropelcus, peccati & uirium suarum sibi conscius, procul in paludes & syluas sese abdiderat) obuijs quibusq; crudelissimè uastatis, onustus cum ingenti præda reuertitur in Poloniam. Irritatus magis quàm fractus ea cæde Iaropelcus & cæteri Russorum Principes, iterum de ratione belli cum Polonis gerendi consultant: in eamq; sententiam ueniunt, ut dolis aggrediātur eos, quibus uirtute pares esse non possent. ad quam quidem rem optata eis sese occasio obtulit. Nam Iaroslaus Haliciēsium Dux, quòd cum Polonis sentire ac consilia Russorū prodere diceretur, Principatu eiectus ad Boleslaum cōfugerat: Halicienses itaq; à Russis subornantur, ut, simulato Principis desiderio, à Boleslao petant, ut eum primo quoque tempore reducat: pœnitere Russos, quòd eum eiecissent. Faciunt iussa Halicienses: eadem penè confirmāt nobiles quidam Vngari, Haliciensibus finitimi, ab eisdem ad astruendam institutam fraudem conducti. Habuit dictis fidem Boleslaus (ut erat

Miserè affligit.

Dignum proditore reddit præmium:

Boleslaus uerò rependit Iaropelco uicem,

Russia

Crudeliter uastata.

Iaropelcus iterum cum Russis, per

Haliciēsium fraudem,

Boleslaum credulum,

Vngaris adiuuantibus Haliciensis,

natura credulus & apertus:) proptereaq; iuſto quidem, ſed minori tamen exercitu, quàm pro belli magnitudine & clandeſtino apparatu Ruſſorum, Iaroslaum reducit, nihil hoſtile ſuſpicatus. Aduenienti porrò Haliciam primæ Vngarorum turmæ inſtructæ gratulabundæ occurrunt, & præteruectæ noſtros, extremum agmen claudunt: ſubſequuti deinde Halicienſes, idem & ipſi faciũt: & ecce apparent procul à fronte inſtructæ Ruſſorum acies, quas Iaropelcus citato curſu ducebat. Præcipitatũ ſe in inſidias Boleslaus uidebat: & quanquam longè imparem ſe hoſtium numero animaduertebat: tamen, qui ſemper ſolitus eſſet uincere, ſatius eſſe ducebat honeſtè occumbere, quàm fugiendo, uictoriam ultrò hoſti concedere. Itaq; inſtructis pro tempore aciebus, ſignoq; dato, primus in hoſtem imminentem impetum facit: concurrunt infeſtæ acies. iamq; res noſtrorum meliori loco eſſe incipiebant, quum ſubitò perturbatis ordinibus, & fugæ initio à Palatino quodam orto, ſequentibus eum qui proximi ſteterant, magna pars exercitus Polonici in fugam coniecta eſt. Pugnabat nihilominus cum paucis, & ijs quidẽ partim ſaucijs, partim laſsis, Boleslaus: & quum fugere ſibi turpe duceret, nolebat tamen inultus mortem oppetere. Fortè equus cui inſidebat, multis uulneribus confectus concidit: cui miles quidam gregarius equum ſubdidit, & ut Patriæ magis quàm gloriæ ſuæ rationem duceret, fugaq; melioribus ſe rebus ſeruaret, orauit. Sic ille tunc quadragies ſepties uictor Princeps, nobiliſsimi uiri fuga proditus, gregarij militis opera morti ſe eripuit. Sic fortaſſe uoluit eum Deus magis humiliorem reddere, & incertæ felicitatis huius mundi certam oſtendere uanitatem.

In eas inſidias præcipitat, ut, niſi poſt

Palatini fugam

Miles gregarius opem ei tuliſſet,

Ibi occumbendum ei fuiſſet.

DE

DE EXTREMIS BOLESLAI CRIVOVSTI ante mortem actis, eiusq; uitæ moribus.

Caput XII.

REuerſus autem in Poloniam, Palatino fugæ principi leporis pellem, colum & fuſum, dono miſit, meticuloſitatem eius notans (qua ignominia ille ad uoluntarium ſuſpendium adactus eſt:) militem uerò ſalutis ſuæ auctorem, inſignibus nobilitatis luculentaq; pecunia & poſſeſsionibus remuneratus, ad honores amplos euexit, poſteritatemq; eius nobilitauit: deinde fiſcum ſuum in redemptionem captiuorum effudit. Et uehementer quidem angebatur animo Boleslaus (ut ſolent ij qui perpetuò ſecundis rebus uſi, aduerſo aliquo caſu affliguntur) pudebatq; eum & pigebat ſuiipſius, quòd tantæ illius cladis culpam in ſe agnoſcebat (quippe qui credulus nimium & incircumſpectus fuiſſet.) Pudore autem ac dolore ſtimulantibus, conſpectum hominum & colloquia uitabat. quę res ei maturabat mortem. Hãc uerò, toto anno lecto affixus & debilitatus, ubi appropinquare ſenſit: conuocatis Proceribus, qui officij cauſa undique conuenerant, de concordia apud eos uerba fecit: partitusq; omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, inter quatuor filios, principatum & ſummam rerum penes Vuladiſlaum, natu maximum, conſtituit. In ea uerò partitione quintum filium Cazimirum, qui ſuperiori anno natus erat, prætererat: id eum Proceres obliuione feciſſe rati admonent, ut ne illum exortem patrimonij relinquat. Reſpondit Princeps, Iam illi quoque portionem ſuam eſſe deſignatam. quod admirantibus cunctis: Non animaduertitis, inquit, in curru inter quatuor rotas quintam eſſe eam partem currus, cui homines inſident, & onera imponunt, quę quidem à rotis ſuſtentantur

Boleslaus remunerat Palatinum &

Militem,

Redimitq; captiuos: &

Pudet eum imprudentiæ,

Conſpectum hominum fugientem.

Boleslai morituri ad Proceres oratio,

Principatus inter filios diuiſio,

i 4 tur

tur atque portantur: eum igitur locum inter quatuor fratres quintus obtinebit, illisq; suo tempore succedet. Diuinitúsne id, quod futurum erat, praesciuerit: an, ut solent homines, instante morte, alienati mente diuinare, dicere non habemus. Nec ita multo pòst, sacris Christianorum mysterijs ritè procuratus, uita excessit, maximo totius Poloniae desiderio: quum regnasset post patrem triginta sex annos, uixisset quinquaginta tres: funusq; Ploscum solēni pompa elatum, & iuxta patrem fuit conditum. Caeterùm os ei Carbunculus morbus ab ineunte aetate distorserat: atque inde Criuousti cognomentum habuit. Fuit uerò Princeps hic animo excelso & periculorum contemptore, iusti & aequi obseruantissimus, ad beneficentiam & liberalitatem promptus, modestia & clementia singulari, laudis & gloriae cupidus, pacis artium non penitus expers, uerùm belli studijs longè praestantior, ad quae à teneris (quod aiunt) unguiculis toto animo ferebatur. Hic omnem ferè suum Principatum bella gerendo exegit: Miles strenuus & audax: Dux prouidus, solers, animosus & foelix, excepto isto uno Haliciensi praelio. Obijt autem anno Christi nati 1139.

Futurorum praesciētia, & *Mors.* *Criuoustus.* *Boleslaus qualis Princeps fuerit.* *An.1139.*

LIBER

LIBER V.

DE VVLADISLAO SECVNDO PRINcipe, & Boemorum Duce foedifrago.

Caput I.

MOrtuo Boleslao, quum, diu concordiam inter fratres cōstitutionemq; paternam ualere non posse (quòd infida ferè sit omnis Regni societas) Proceres animaduerterēt, conuentus apud Cracouiam agitur: quumq; flagitatio fratrum, studiaq; & factiones comparatae, ad unum deferri uniuersam rerum summam non paterētur, nec rectius quicquam in mentem cuiquam ueniret, necessariò Boleslai constitutio approbatur: ut iuuenes certis ac definitis à patre finibus dominarētur: Principatus uerò, & summa belli pacisq; auctoritas, penes natu maximum esset. Partitione Regni secūdum descriptionem patris facta, Vuladislao quidē natu maximo Cracouiensis, Syradiensis & Lenciciēsis tractus, itemq; Silesia obtigère: Boleslao, qui Crispus appellatus est, Masouia, Cuiauia, Culmensisq; ac Dobrinēsis tractus: Miecislao Gnesnensis, Posnaniēsis, Calissiēsis, & Pomerania: Henrico Sendomiriensis atq; Lublinensis: Cazimirus uerò infans, quemadmodum pater uoluerat, exors, à Vuladislao curandus atq; educandus susceptus est. atq; haec anno Christi 1140. acta sunt. Mutata itaq; Reip. forma, non diu uicinorum arma quieuère. Primus enim omniū Sobeslaus Boemorum Dux, immemor foederū, quae cum Boleslao & uniuersa Polonia iurisiurandi religione interposita iecerat, Silesiam infesto exercitu longè lateq; populatus est: iamq; ad subigendam omnem eam oram animum

Partito principatu *Secundum Boleslai constitutionem* *Quadrifariam,* *Et Casimiri curae Principis Vuladislai commendata,* *An.1140.* *Boemorum Dux Foedifragus*

A Deo percutitur.

animum adiecerat, quum illum hæc molientem uindicta diuina, iusta uiolati fœderis & iurisiurandi ultione percutit. Nam ualida febre correptus, non multo pôst, inualescente morbo, extinctus est.

DE INIVRIA VVLADISLAI IN FRATRES, uxore eius Cristina impia & crudeli, Petro Dano indignè afflicto, Archiepiscopi in arguendo libertate, & Vuladislao à fratribus uicto. Cap. II.

Vuladislaus accisum Principatum dolens, &

VVladislaus autem accisum & mutilatum Principatum molestè ferens, sibiq; erepta ducēs ea quæ fratribus (patris uoluntate, cunctæq; Poloniæ consensu) cesserant: acceptas iniurias & uastationem ditionis suæ ulcisci minimè perrexit: ægrumq; sua spōte eius animum

A Cristina uxore impulsus,

uxor Cristina, superba & auara, ambitiosaq; mulier, & quę Polonos in porcorum loco habebat, Germanis suis impendiò delectata, magis etiam inflāmauit: quòd eum, præter mores iuraq; Gētium, ad quartam modò partem Principatus detrusum esse dictitaret, qui in uniuersum Principatum patri, utpote natu maximus, succedere debuisset: se, Cæsaris filiam, Cæsaris neptem, ex inclyta familia, in spem uniuersi Principatus ipsi nupsisse: hæcq; eadem iterando, querendo, lachrymando, fremendo, & obiurgando, tandem ad maturandum impium facinus uirum impulit. Deliberato itaque scelere, tributum siue

Fratribus tributum imperat:

subsidium pecuniarum fratribus & fraternis ditionibus primùm imperat, ut eorum tentaret patientiam: &, si renuerent, iustum haberet belli ipsis inferēdi prætextum.

Moxq;

Vbi paritum est, deinceps ad intercipienda, quæ eorum ditionis essent, animum cōuertit: nec Polonorum, quos

Coniunctus cum Russis,

alienos à sua cupiditate nouerat, ministerio & militia uti ad eam rem ausus est: sed Russorum, cum quibus materno

terno

terno genere coniungebatur, auxilia clàm aduocat: cum ijs iam apertè in fraternas ditiones grassatur: edicit, ne cuiquam Poloni, præter se, obediant: contumaces

Ditiones inuadit fratrū

uinculis aut uerberibus coercet, aut bonis multat. Ibi iuuenes, impio fratris proposito perspecto, quid faciant porrò, cum suis consultant. Animaduertunt, à bello ciuili suos abhorrere: nec ipsi satis animorum ad uim fratris propulsandam habebant, propterea quòd uiribus minus ualebant, & quantum cuique fidendum esset, nesciebant. Itaq; ad misericordiam Procerum confugiunt:

Supplicant proceribus &

paternorum meritorum, paternæ uoluntatis eos admonent: ipsorum fidei & protectioni se suaq; commendāt: ad fratrem etiam proficiscuntur. & quoniam caput illorum consiliorum glotem suam esse senserunt, ad mulie-

Gloti suæ.

ris pedes sese prosternunt, clementiamq; eius supplices implorant: uerùm surdis auribus preces eorum ipsa accipit. Commouit ea res multos ex primoribus, cùm iuuenum misericordia, tum auaræ importunæq; mulieris odio: quæ præter hanc in fratres mariti sui inclementiam, nouis etiam exactionibus animos multorum offenderat. Itaque impensius iam & apertius nonnulli iuuenibus fauebant, inprimis autem Vuseborius Palatinus Sendomiriensis, & Magister Militiæ: & Petrus Danus, Comes Scrinnensis: qui monendo & obiurgando

Petrus Danus iniustitiæ principis obsistens,

Principem ab instituto auocabat. quæ res ei si non exitiosa, calamitosa certè fuit. Nam Vuladislaus, ut omnibus de rebus cum uxore communicabat, ita de Petri consilio ac studio ipsi narrauit. Excanduit subitò in hominem iracunda mulier, & Dobessum quendam, ex E-

Per subornatum ab uxore Principis Dobessum

questri ordine iuuenem, quo familiarius utebatur, ad eum uel capiendum uel interficiendum subornat: non est tamen ausus Dobessus hominem aperta ui aggredi.

 Forte

Fortè Petrus nuptias filiæ, quam Iaxæ Serborum Du-
ci in matrimonium collocabat, Vuratislauiæ insigni
pompa apparabat. Eò igitur se Dobessus magno co-
Furtim capitur:
mitatu confert: securumq; & nihil tale suspicantem Pe-
trum solum fortè conspicatus, dum ministri circa appa-
randas nuptias & hospites comiter accipiendos sata-
gunt, correptum celeriter paratis & dispositis ad hoc e-
Ab irataq; muliere
quis asportat, & ad Principem adducit. Suggerente tan
dem Cristina, ac minitante se à Vuladislao discessuram,
Lingua & oculis priuatur,
si Petrus dimitteretur, uicit atq; perfecit, ut indicta cau-
sa lingua Petro præcideretur, atque oculi effoderen-
tur. uixit tamen post eam calamitatem Petrus quinque
Piè mortuus.
annos: & mortuus Vuratislauiæ in sancti Vincentij
(quod templum & monasterium ipse condiderat) ho-
norificè sepultus est. Ferunt nonnulli (quemadmodum
Dlugossus memorat) ei postea (propter pietatem, qua
summa erat præditus) uisum & sermonis usum diuini-
Pergit Vuladislaus fratrũ bona inuadere: &
tùs restitutum fuisse. Minus deinceps dissimulanter a-
gere, & fratres ditionibus ipsorum pellere, Russorum
fretus auxilijs Vuladislaus cœpit: iamq; Henricum Sen
domiria, Boleslaum Plosco omniq; Masouia, propule-
rat. Restabat Miecislaus, ad quem cæteri fratres confu-
gerant: ad eum ergo in Maiorem Poloniam cum exerci-
tu magnis itineribus contendit: & ueniens Posnaniam,
quæ ipsi portas clauserat, quũ eam primo impetu cape-
Posnaniam obsidens,
re non posset, obsidione cinxit. Vastabãt interim Rufsi
agros liberioribus excursionibus: diripiebant bona fa-
naq; uim honestis puellis & matronis inferebãt. quæ fa
cinora indigna Iacobus Archiepiscopus Gnesnensis, ue
Neglecta Archiepiscopi admonitione &
nerabilis & pius senex, excelsiq; animi, quũ uidisset, Pa-
triæ indignã & calamitosam sortem miseratus, carpento
in castra usq; ad ipsum Vuladislai tentorium inuectus,
comiter

comiter Principem nefarij cœpti pia ac copiosa oratio-
ne admonet: negat esse Christiani hominis, fratres con
iunctissimos ac obsequentissimos, quos tuendos susce-
perat, oppugnare: & non modò attributis à patre & uni
uersa Repub. ditionibus exuere, sed uitã & sanguinem
eorum sitire. Si homines non reuereretur: at Deum me-
tueret, acerrimum scelerum omnium, & maximè uiola-
tæ humanæ coniunctionis & societatis ultorem. Non
commouit hæc Archiepiscopi oratio, quamuis grauis
& prudens, Vuladislaũ: nec ab instituto deterruit. quod
quum uir diuinus animaduerteret: quasi Numine affla-
tus, è sella assurgens, sic est eum alloquutus: Quãdoqui-
dem humana simul ac Diuina iura contemnis, & pater-
Anathemate,
na mea monita respuis: Dei omnipotentis (cuius uices
gero) auctoritate Sacris & Christianorum hominum
societate tibi interdico: caputq; tuum, & omnium adiu
torum tuorũ & assectarũ, diris deuoueo. deinde multa in
Simulq; malo omine,
eũ & in exercitum eius execratus, recedebat. Fortè, dum
imprudentius auriga carpentũ conuertit, in columnam,
quæ tentorium Principis sustentabat, extremo axe im-
pegit, tẽtoriumq; solo prostrauit. mali ominis ea res ui-
sa est: tenuit tamẽ iram Vuladislaus, nec acerbius quid-
quam in Archiepiscopum fecit. Diligẽtius dein omnia
ad expugnationem Posnaniæ administrare perrexit Vu
ladislaus: sed quum in castris nullus hostilis adesset me-
tus, ac Rufsi securius agerent, quàm ratio castrorum exi
git: in stationibusq; rari, nec ij sobrij, excubarent: delite
A fratribus uincitur
scebant interea in abdito Boleslaus, Miecislaus & Hen
ricus, cum modico militum præsidio, occasionem bene
gerendæ rei captantes. Illos itaq; oscitantius (ut dictum
est) agentes, inuadunt: exauditur ab extremis castris in-
gens clamor atq; strepitus iam intra uallum & in cæde

 uersan-

uersantium hostium: erumpunt eodem tempore & oppidani, operibus tuguriisque militum ignem subijciunt. Fit trepidatio. discurritur totis castris. alij uel ad Ducũ tentoria, uel ad sternendos equos festinabant: sed ad extremum, grassante late undique ferro & incendio, effundunt sese castris, quà quisque exitum inueniebat: fugientes uerò partim trucidantur ab equitibus, partim in Vartam & Glouunam fluuios compulsi, merguntur. Vuladislaus, cum Rußis Ducibus & paucis quibusdam euadens, effuso cursu Cracouiam contendit: inde quoque Rußi, nudi penè & inermes & omnium rerũ egeni, domos sese recepere: direptaque sunt copiosa & opulẽta Vuladislai Russorumque castra. Annus quo hæc acta sunt, fuit à Christo nato 1145.

An.1145.

DE VVLADISLAI ET SVORVM EXILIO, atque monasterio Andreouiensi. Caput III.

Post uictoriã fratrum magna mutatio nefacta,

MAgna autem statim fit ea uictoria commutatio. Nam defluebant omnes paßim à uicto ad uictores, & augebant eorum exercitum: arces & munitiones interceptæ, in fidem & potestatẽ pristinorum dominorum ultrò redibant. Cęterùm non contenti eo, quòd recuperassent sua, iuuenes, exterminare eum etiam uicißim proprijs ditionibus, & Principatu eijcere cupiũt: itaque æstate sequenti, cum ualidiore, quàm fuerat initiò, exercitu Cracouiam contendunt. Quod quum Vuladislao nunciatum esset, diffisus munitioni arcis suorumque studijs & uoluntatibus, fratrumque desperata misericordia (quòd supplices nulla dignatus erat) relicta Cracouiæ uxore, ac tribus filijs, per Silesiam in Germaniam profugit, Conradi tertij Cæsaris, uxoris suæ sobrini,

Vuladislaus fugit,

Relicta cum liberis uxore,

sobrini, opem imploraturus. Cracouienses autem, cognita Principis longiore fuga, portas quas clauserant, consensu totius Poloniæ aperuere. Nec multo pòst arx etiam deditur: in qua recipienda summa moderatione iuuenes usi sunt. Nam liberos & uxorem Vuladislai, quamuis infestam sibi, & quæ origo omnium malorum fuerat, ab omni iniuria & contumelia iratorum militum & Procerum defenderunt: & cum omni supellectili in Germaniam, aut quò uellent, additis præsidij causa qui abeuntes deducerent, dimiserunt. Sic Vuladislaus infelix, qui suasu uxoris aliena iniustè concupiuerat, sua iustè amisit: & qui in amplißima fortuna, Principatus'que prærogatiua non acquieuerat, in exilio cum mala consultrice uxore miser contabuit. qui quidem Principatum Poloniæ non totos septem annos obtinebat. Eodem quoque tempore Ianicus Vuratislauiensis Episcopus, ac deinde Archiepiscopus Gnesnensis Ianislaus dictus, & Clemens, fratres germani, Equestri Gryphium siue Gryphonum (ut uulgò uocant) familia orti, monasterium Andreouiense condiderunt: eique oppidũ ipsum Andreouiam, & septem pagos, de bonis suis attribuerunt. quod insuper Ianicus, posteaquam Gnesnensis Archiepiscopus factus est, nõ modò decimis, uerùm etiã duodecim pagis ad superiores adiectis locupletauit.

Post eũ quoque sequente.

Quandiu Princeps.

Monasteriũ Andreouiẽse.

DE BOLESLAO CRISPO PRINCIPE, & Germanico cum Conrado Cæsare bello. Cap. IIII.

EXacto cũ uxore & liberis Vuladislao Principe, ad Boleslaũ, qui Vuladislao natu proximus erat, Principatus & summa rerũ defertur, & quæcunque in ditione Vuladislai erãt. Cazimirus etiam, natu minimus frater, eius curæ commendatus est, Moderatè clementer'que

Boleslaus Princeps

Cazimirũ fra... & ...

 is

is regnauit: fratres magna beneuolentia complexus, beneficentia etiam & liberalitate maiorem in modum sibi deuinxit. Conradus Cæsar de restitutione Vuladislai crebrioribus legationibus egit: sed nihil hac in re profecit: quum Boleslaus, nulla à se fratribusq; suis iniuria affectum esse Vuladislaum, respondisset: sed se, nequidquam deprecantes, impio bello petitos, & attributis à patre et ab uniuersa Repub. ditionibus et Principatibus pene ab eo exutos, quum pacem nullis æquis conditionibus impetrare possent, uitam defendisse suam: illum, omnis Diuini et humani iuris profligatorem, fratres insontes & obsequentissimos eijcientem, intolerabilemq; in liberos populos dominatum usurpantem, non tam ipsorum uiribus quàm Diuina ultione euidenter perculsum fugientemq;, magno uniuersæ Poloniæ consensu, sempiterno exilio damnatum esse. Ne ergo Cæsar à se postularet, quod sine periculo & sine magno Reipub. malo facere non posset. Esse quidem Cæsaris, afflictis subuenire ijs qui immeritò afflicti essent, cæterū ad uim & iniuriam faciendam nemini opem eius patere debere: quippe qui ab innocentia, contra scelus: ab officio, contra improbitatem: à modestia, contra audaciam: à iustitia, contra iniustitiam: deniq; à pietate, contra parricidium stare debeat. Fregit ea respōsio Cæsaris animum, ita ut multum de studio suo in Vuladislaum remitteret: nihilominus tamen bellum Polonis intulit, ut per uim Vuladislaum exulem in Principatū restitueret. uerùm id bellum, in speciem ingens & formidabile, Boleslai Principis sapientia & dexteritas inter ipsa initia restinxit. Nam ut Cæsar, cum ualidis Germanorum, Boemorum & Morauorum copijs, Poloniæ fines attigit: non destitit Boleslaus, cum expeditis turmis, quas de suis tumul-

Conradus Cæsar de Vuladislao restituendo solicitus,
Boleslai responsione
Fractus, &
Sapientia ac dexteritate

tumultuariè coegerat, omnibus locis opportunis hostilia itinera, pabulationes, frumentationes & aquationes, ex insidijs obseruare, & in incautos hostes impetū facere: interdumq; totū exercitum, reficientē se aut quiescentem, subito tumultu, & ad castra adequitantis exercitus ostentatione, exagitare ac perterrefacere. quibus Cæsar incōmodis, ac Boleslai Principis oratione (qui, accepta fide, ad eum in castra uenerat: luculēterq; peccata omnia Vuladislai, in se ac cęteros fratres, & in omnes ordines Reip. Polonę, exposuerat) permotus, ac motib. quibusdā (qui è Germania noui afferebātur, quib. ad domesticarū rerum curā reuocabatur) inductus, bellum statim soluit, nequidquam inclamante Vuladislao exule.

Exagitatus, Eiusdéq; obseruantia uictus, &
Incōmodis domesticis atq; motibus Domum reuocatus, Soluit bellū.

DE BOLESLAI ET MIECISLAI VXORIbus, Henriciq; & Iaxæ pietate. Cap. V.

PAce autem cum Cæsare facta, aut uerius bello in aliud tempus dilato, Boleslaus & Miecislaus uxores duxêre sorores germanas Vuseuolodimiri Haliciensium Principis filias: Boleslaus quidē Anastasiam, Miecislaus uerò Eudoxiā: cæterū Henricus, cœlibē uitā sequutus, ad Hierosolymitanā militiam cum non contemnendo comitatu profectus est, Principatu suo Boleslai fratris fidei ac tutelæ cōmendato. Quum autem totum annum ibi cōmoratus, non uulgare uirtutis suæ specimen aduersus barbaros Saracenos edidisset, sospes reuersus est: & reuertens, in Zagosce pago, ad Nidam amnem, parœciam & domicilium Templariorum sodalitati condidit, & luculentis reditibus instruxit. Cum hoc Henrico Iaxa quoq; hanc in militiam profectus, nobilis ac locuples eques de familia Gryphium, reuertēs (ut fama est) unū de Canonicis Sepulchri Christi Domini nostri, diui Augustini instituto uiuentibus, & geminam

Boleslai & Miecislai uxores:
Henricus uerò cœlebs post militiā Hierosolymitanam,
Zagoscensem Parrochiam dotat.
Iaxa, post eandem militiam,

crucem rubram in toga insigne professionis suæ gestan tibus, secum deduxit, eamq; Sodalitatē in Polonia propagauit, condito templo & domicilio in pago suo Miechouo (quod nunc oppidum est quinto à Cracouia milliario) & duobus item pagis Sodalitati attributis. Condidit idem Iaxa dotauitq; etiam monasteriū uirginibus professionis Præmonstratensis (ut uocant) in suburbano Cracouiensi, quod Zuerinecium dicitur: quasi tu dicas, Viuarium.

Erigit quoq; cœnobiū Miechouiense & Virginū Zuerinecense.

DE GERMANICO BELLO CVM *Friderico Cæsare, Miecislai nuptijs, Vuladislai morte & filijs.* *Cap. VI.*

An.1153. NOn ita multo pòst, nempe anno Christi nati 1153. Conradus Cæsar mortuus est: cui Fridericus, cognomento Barbarossa, Friderici Sueuorum Ducis filius, successit: qui expeditionem, Vuladislai precibus uictus, in Polonos decreuit. Ac legatos quidē primùm ad Boleslaum Principem & fratres eius misit, qui ipsis, nisi reciperent Vuladislaum, aut nisi ipsi tributum penderent, bellum denuncient: ipse uerò hyemem illam in apparatu belli consumpsit. Reuersi Cracouiam legati non dissimile eius quod Conrado olim datum erat, responsum detulerunt: cuius ea uis erat, ut quiduis potius passuri Poloni Principes, quàm aut tam immanem aut turbulentum fratrem recepturi, aut tributum cuiquam daturi esse uiderentur. Itaque anno sequenti, qui fuit à Christo nato 1158. Fridericus Imperator cū maximis Germanorum omnium ac Boemorum copijs per Saxoniam in Polonorum fines ingreditur: Odramq; amnem, nemine prohibente, uado transiuit. Poloni uerò

Fridericus Cæsar,

Vuladislaum reducere uolens,

An.1158.

uerò Principes, etsi non contemnendam manum habebant, nunquam tamen se tanto exercitui opponebant: sed leui armatura usi, partim in prædatores & pabulatores ex insidijs excurrebant: partim uillas & oppida sua, quà iter facturum esse Imperatorem suspicabantur, ipsi comburebant, partim etiam munitiones deijciebant, ita ut neque progredi rectè Imperator, propter pabuli & commeatus inopiam, neque uestigium ponere firmo aliquo & munito loco posset. Erant in magna difficultate res Germanorum, omnia itinera nostris obsidentibus. Itaque intestinorum dolore laborari uulgò cœptum (quo morbo multi mortales absumpti sunt:) iam'que apertis conuitijs & maledictis Imperatorem incessebant, quòd ab eo ad inauspicatum bellum, ob rem alienam, educti essent. Quibus rebus permotus Fridericus, simul quòd res Italicæ discessu eius turbatæ eum ad se reuocabant, de reducendo exercitu cogitare cœpit: sed quoniam turpe & ignominiosum sibi esse ducebat, eum qui bellum alteri intulit, aut pacem ultrò offerre, aut rebus infectis retrocedere: ut ex dignitate sua faceret, Boleslaum Boemorum Principem subornat, quò Polonis persuadeat, ut de pace ad Imperatorem mittant, aut ipsi ueniant: sperare se ac recipere, eam æquis conditionibus cōpositum iri. Amplectuntur nostri eius consilium: petita acceptaq; fide, ad hostem proficiscuntur. Ibi ergo multis ultrò citroq; habitis sermonibus, pax tandem his legibus cōstituitur: ut Vuladislaus ad Silesiæ modò dominatum restituatur, cæteris se abstineat: & ut Boleslaus, unà cū fratribus, trecētos hastatos equites Friderico in auxilium, ad Mediolanense siue Longobardicum bellum mittat. & quò firmior hæc pax esset, Adleidam, Imperatoris sororis filiam, Miecislaus

A Polonis uexatus

Et reuocatus domum.

Pacem cū Boleslao & fratribus eius facit.

Adleida nubente Miecislao.

cislaus tertiã uxorẽ duxit. Apparabat iąm reditũ Vuladislaus in patriã, opera & beneficio Friderici Imperatoris impetratũ, post tredecim annorũ exilium: uerùm in ipso apparatu extinctus, & Aldẽburgi in Holsatia (quæ urbs à Slauis cõdita, Starigradũ olim dicta fuit) sepultus est: ut nõ irrita ceciderit Iacobi Archiepiscopi deuotio: nec potuerint humani conatus Diuinam sententiam, & iustam fratrum & patriæ uiolatoris ultionẽ, immutare.

Vuladislai mors. *Cap. 2. suprà.*

Vixit autẽ Vuladislaus 55, præfuit Polonis non totos sex annos: liberos reliquit masculos tres, Boleslaũ, Miecislaum, & Conradum: cui Lasconogo propter gracilitatem crurum, cognomen fuit. Hi igitur opera Friderici Silesiam omnem (quæ cõtinentibus syluis à reliqua Polonia dirimitur) usq; ad Boemorum Saxonumq; fines in ditionem suam acceperũt, ea quidem lege, ut maiestatem summi Principis Polonorum comiter conseruarẽt, ne'ue patris tyrannidem imitarentur.

Vuladislai Principatus, & filij, *Silesiæ possessores.*

DE INFELICI BELLO CVM PRVSSIS desertoribus fidei. Cap. VII.

Restitutis Vuladislai filijs, sublatoq; omni metu belli, Boleslaus Crispus Princeps Polonorum, ex fratrum consilijq; totius sententia, Prussis (qui à fide Principum Poloniæ & à Religione Christiana desciuerant) bellũ fecit. Hi, quũ uires suas impares tãto bello sustinẽdo esse animaduerterẽt, supplices à Boleslao pacem petũt, & imperata se facturos pollicentur: negat uerò ipse pacẽ se eis daturũ, ni stulta & mala multorũ Deorum superstitione sese abdicent, & Christianam Religionem populariter recipiãt. Durius quidem hoc Prussis uidebatur: sed tamen, impendentibus malis adacti, accipiunt conditionem. Demoliuntur ergo fana & sacra

Prussi desertores fidei,. *Eam rursus inuiti recipiunt:*

falsorum

falsorum Deorum: uni uerò Deo, quem nos colimus, instaurant: liberos ritu Christianorum initiant, certatimq; omnes nomina dant Christo: sed magis deuitandi præsentis periculi metu, quàm ex animo id faciunt: & lingua quidem iurat, (quemadmodũ inquit Poeta quidam) mens iniurata manet. Itaq; deducto exercitu, & amisso metu, rursus ad ingenium rediêre. Nam uix dum circumacto anno, Prussi in pristinum errorem apertè relabuntur, ritus Christianos explodunt, sacerdotes eijciunt, templa profanant: ueriti autem, ne extrema pro ijs quæ perpetrarant patiantur, legatos ad Boleslaum mittunt cum donis magni pretij: profitentur, se in fide eius permanere, Religionis modò Christianæ necessitatem ut sibi remitteret: multitudinem patrias & auitas Religiones neutiquã uelle aut posse abijcere, & omnia prius malle perpeti, quàm ab inueteratis tempore & consuetudine ritibus, ad nouos transire. Leuius quàm par erat Christiano Principi, uiolatam & neglectam ab ipsis fidem Boleslaus ferre uisus est, quum illi de fide erga ipsum sua nihil mutarent: itaque sic tum legatos eorum dimisit, ut factum eorum approbasse uideretur: pluris faciẽs suam, quàm Dei, maiestatem: siue adeò muneribus, quæ sapientum quoq; mentibus caliginem offundunt, "
delinitus: neq; cogitabat, nõ habere modum neq; finem "
temeritatẽ, cui semel habenæ impunitate relaxatæ sunt. "
Offendunt autem plerumq; homines in eo, quod causę Dei præposuerint: ut tunc accidit. Nam Prussi uidentes impunè sibi cessisse prima ausa, sublatis animis haud ita multo pòst Exactores Principis propellunt: factaq; manu ualida è promiscua hominum multitudine, tractum Culmensem & Masouiam nec opinantibus nostris ingressi, crudeliter uastarunt, ingentesq; hominum & pe-

Sed redeuntes ad ingenium. *Missisq; ad Boleslaum muneribus,* *Quod uolunt impetrant.* *Iidem, impunè uiolata Deo Fide, uiolarũt eam & Boleslao: Atq; post uastatam crudeliter Masouiam & Culmensem tractum,*

 cudum

cu ´ .m prædas abegerunt. Qua de re certior factus Bo-
leslaus, nihil ſibi fecit reliqui ad celeritatem, quin cum
paucis militibus, quos circum ſe habebat, & quos profi-
ciſcens adiungere ſibi potuit, auxilio ſuis accurreret: ſed
iam barbari abierant. Fremens igitur, & ſibi ipſe ob ſu-
periorem conniuentiam diſplicens, anno ſequenti (qui
An.1167. fuit 1167.) maiore ui & apparatu expeditionem in eos fe-
Magnum Polonorum exercitum perdunt miſerè. cit: ſed Pruſſorum transfugarum fraude, quibus ducibus
& conſultoribus in expeditione illa maximè utebatur,
ad ſylueſtria quædam paluſtriaq; & uliginoſa loca de-
ductus exercitus, fœdè à Pruſsis peditibus, è latebris il-
lis undiq; proſilientibus, profligatus eſt: noſtris neque
progredi iam, neq; conſiſtere ex aduerſo hoſtium, neq;
regredi ualentibus: terra abſcedente, & equites ac pedi-
tes armatos deuorante. Erat miſerabile ſpectaculum,
quum noſtri, ſine ordinibus progreſsi, & inopinato ho-
ſtium incurſu aut impulſi aut perterrefacti, terga uerte-
bant, ſeq; inuicem proterebant & proculcabant. Multi
ibi mortales cæſi, plures uoraginibus abſorpti ſunt: pau-
ci ſalui ad extremum agmen, quod firmiori loco ſtete-
Vnà cum Henrico Duce. rat, per cæterorum corpora ſe recepêre. Ibi Henricus
Dux, inter primos pugnans fortiter, occubuit: ibi omne
penè Polonorum robur afflictum atq; debilitatum eſt.

DE CAZIMIRO DVCE, VERNERO EPIſcopo cæſo, Boleslaiq; morte, & Eccleſijs Kelcenſi atq; Cruſuicenſi. Cap. VIII.

Cazimiro poſt Henricum Principatus cedit. Propter Vernerum Epiſcopũ cæſum. POſt extinctum autem hoc in bello Henricum, Sen-
domirienſis atq; Lublinenſis Principatus Cazimi-
ro, minimo de filijs Boleslai Criuouſti, qui ad eam uſq;
diem exors patrimonij fuerat, mandatur: eodemq; tem-
pore Vernerus, Plocenſis Eccleſiæ Epiſcopus, integri-

tate & ſanctimonia uitæ clarus & eleganter eruditus, E-
queſtri Roſarum familia, à Boleſta uiro potenti & uio- *Boleſta;*
lento (propterea quòd in Ius eum, propter pagum nomi
ne Carſcum ademptum, uocaſſet, cauſamq; obtinuiſſet)
obtruncatur. qua re cognita, Archiepiſcopus Gneſnen-
ſis Petrus, familia Senauius, de conſilio & uoluntate cę
terorum Epiſcoporum, toti Prouinciæ ſuæ ſacris inter- *Poſt interdictum Archiepiſcopi,*
dixit. Motus itaque & atrocitate facinoris & interdicto
Archiepiſcopi Boleslaus Princeps, comprehendi Bole-
ſtam, & ex uinculis cauſam dicere apud ſe, condemna- *Gneſnæ condemnatus exuritur, &*
tumq; in foro Gneſnenſi (ubi hæc agebantur) extructo
rogo cremari iuſsit. Verneri uerò corpus, Ploſcum de-
latum honorificè ſepultũ eſt: nec ita multo pòſt uarijs, *Verneri corpus claret miraculis.*
& ſalutiferis hominum generi, miraculis cœpit ſepul-
chrum eius celebrari. Poſt aliquot deinde annos mori- *Boleslai mors, &*
tur Boleslaus, & Cracouiæ ſepelitur, anno Chriſti 1173. *An.1173.*
quum Principatum Poloniæ annos 27 tenuiſſet, uixiſſet
ſex & quadraginta: relicto uno filio Leſco, cui poſterius *Filius Leſcus.*
Albi cognomen inditum eſt. Ante obitum autem Bo-
leslai Criſpi, Gedeon gente Gryphius Kelce oppidum *Kelcenſis Eccleſia conſtructa.*
in abditis ſyluis condidit: in eoq; templum ſecto lapide
exædificauit: & collegium ſacerdotum primariorum,
quos Prælatos & Canonicos uocant, iuxtà ac Vicario-
rum, ibi conſtituit, quum eis pagos ac decimas attribuiſ
ſet. Per eadem ferè tempora Cruſuicenſis cathedra Vu- *Cruſuicenſis cathedra transfertur Vuladislauiam.*
ladislauiam translata eſt ab Honoldo Italo, eius oræ E-
piſcopo.

DE MIECISLAO SENE. Cap. IX.

BOleslao Criſpo Miecislaus Senex ſufficitur: uerùm *Miecislaus Senex,*
is qui puer ob grauitatem morum & prudentiã Se- *Mutatis mo-*
nis cognomen adeptus erat, ſuſcepto Principatu, pro

Malo consultore usus, iniustè dominatur: proptereaq;

uecta iam ætate spes hominum fefellit. Nam consultore malo Henrico Ketlicio utens, initiò statim aspero & auaro dominatu hominum uoluntates offendit: noua onera, noua uectigalia imponens: leuibus de causis (uelut ob cæsum ursum aut ceruum, captamúe dorcam) bonorum confiscatione multans. Solius enim tunc Principis erant in Polonia omnes ubique uenationes. Iudicia quoq; & alia munera publica quæstuosè mandabat: afflictorum querimonias non audiebat, sed eos inclementioribus dictis à cõspectu suo repellebat: ut mirum non esset, plura peccari à magistratibus, quàm ab ipso Principe. Audiebantur ergo uulgò suspiria, gemitus & querelę calamitosorum hominum. Quamobrem permotus

A Gedeone Episcopo correptus & apertè

his Gedeon Cracouiensis Episcopus, uir magni animi & cõstãtiæ, Miecislaum semotis arbitris adit: mixtisq; cum grauitate blandicijs, orat & admonet placidè, more Maiorum ut regnet, cõtentus usitatis uectigalibus & operis hominum: Magistratus ritè ac ordine dignis hominibus mandet, neue quid iniustè aut crudeliter ab eis fieri patiatur: eius enim periculo omnes eius uicarios ac ministros peccare. Commemorabat nonnulla exempla domestica, uetustiora & recentia, quibus eum ab instituto deterrebat: sed nihil planè profecit, nisi quòd eum sibi infensum reddidit. Superbè autẽ & procaciter reiectus Gedeon, haud remisit tamen solicitudinem subueniendi afflictæ patriæ, atq; emendandi tyrãni: & quum apertis monitis suis præclusum esse aditum ad aures eius in-

Et tacitè.

telligeret, callidè comminiscitur, quomodo eum ipsiusmet iudicio reuincat. Mulierem namque subornat, quæ sordido & miserabili habitu assumpto, ubi in conspectũ Principis uenit, lamentabili uoce & eiulatu ementito o[pe]s implorat. Motus eius lachrymis & importu-

no cla-

no clamore Miecislaus, quid queratur, quidue sibi uelit, rogat. Illa, gregem se ouium numerosum habuisse, & filio commendasse: illum porrò mediastinis pascendum commisisse: illorum negligentia gregem à lupis dilaniatum, seq; ad extremam inopiam inde redactam esse: rogare, ut cuius culpa damnum datum est, ab eo præstaretur. Citati mediastini, qui pariter subornati uenerant: negant, sua negligentia damnum datum esse, uerùm adolescentis, qui priuignus, non filius, esset eius mulieris. Eum enim, uenationi deditum, feros canes alere: qui soluti, partim ipsi gregem laniarint, partim disiectum ac dissipatum lupis in prædam dederint: eum igitur damnum præstare oportere. Aderat & adolescens, crimenq; in mediastinos referebat: se præsidio gregi canes alere. neque satis tamen illorum dicta refellebat. Cognita autem causa Miecislaus, quum nonnihil cogitasset, condemnat matri siue nouercæ adolescentem damni illati: approbantq;, qui tum aderant senatores, iudicium Principis. Ibi ergo Gedeon: Iustè, inquit, & sapienter iudicasti, Princeps inclyte. Adolescens certè maternæ calamitatis & laniati gregis culpam sustinet (quippe qui eiusmodi canes apud gregem habuerit, qui non modò præsidio gregi aduersus lupos non fuerunt, uerùm ipsi etiam ultrò concerpserunt, uel certè dissipauerunt, quò magis luporum morsibus esset obnoxius:) uerùm tum demum iusti & ueri Iudicis functus eris officio, si iudicatum ipse facias, & quæ in alios statuis, primus ipse præstes. In te enim ipse nunc iustam tulisti sententiam: te ipse condemnasti. Tu filius es huius amplissimæ & florentissimæ dudum Reipub. sed tu, te priuignum eius dici, mauis (tametsi non tam tua culpa hæc est, quàm aliorum:) te illa in lucem editum, ac tenerè educatum, ad

m hoc

hoc honoris fastigium extulit: tibi gregem suum, seq́ ipsam curandam atque tuendam commendauit: tu porrò gregem eum numarijs Iudicibus & Magistratibus tradis: tu feros canes (hoc est, acerbos & crudeles Exactores ac Præfectos) facultatibus & sanguine innocentium hominum saginas: quorum cæca cupiditate & asperitate fit, tenuiores ut à potentioribus, perinde quasi à lupis, impunè diripiantur & opprimantur. hæc damna omnia ac incōmoda Reipub. tibi præstanda sunt (quemadmodum ipse iudicasti.) si non humano, at Diuino certè iudicio: quod nemo, quamuis magnus, quamuis potens, quamuis sapiens, recusare potest aut effugere. Resipisce igitur, & miseram sordidamq́ matrem, afflictam Rempub. quam florentem accepisti, respice: ac ne eas perditum, quam seruare debes. Ita autem existimato, per me tibi nunc uniuersam Rempublicam, ad genua tua accidentem, supplicare. Quòd si preces eius repudias, illa quidem fortasse Diuinitùs salutem & præsidium nacta fuerit: at tu ultorem Deum experiere, seueriorē fortasse, quàm cognominis tuus Miecislaus Rex, quàm Boleslaus eius nominis secundus, Maiores tui: quàm Vuladislaus frater: quàm denique omnes, quicumq́ usquam auarè & crudeliter dominati sunt: quandoquidem eorum exitu & exemplis non commoueris.

Dum nihil de sua iniquitate remittit, Incensus hac oratione Episcopi Miecislaus, fremens è Senatu sese proripuit: multa Gedeoni, multa cæteris senatoribus, qui Gedeonis dicta approbare uidebantur, minitans: & plusculum iræ & odio suo indulgens, grauior etiam deinceps hominibus esse pergit. Forte autem is in Maiorem Poloniam proficiscebatur: eam igitur occasionem nacti Primores, quum auctam etiam esse monendo Principis acerbitatem uiderent, conueniūt

A proceribus certo

certo loco, & secretò inter se de salute sua & Reipublicæ consultant: Princeps Gedeon, amouēdum esse Principatu Miecislaum, tam præfractum & impotenter dominantem, censet: Palatinus uerò Cracouiensis Stephanus Cazimirum, Sendomiriensem Ducem, successorem illi nominat: grauitatemq́ eius, humanitatem, facilitatem, iustitiam exponit: qui quàm sit fratri dissimilis, uel uno facto posse cognosci. Accidisse aliquando, ut cum aulico quodam suo equite, Ioanne Conario, alea luderet, animi oblectandi gratia: incensum utrumque uincendi studio, in profundam noctem ludum produxisse: pertæsos deinde ludi & uigiliarum, uno iactu summam reliqui lusisse: uincentemq́ Cazimirum, & quod lucratus erat argentum non modicum auferentem, palma manus in faciem à Conario ictum esse: illumq́ noctis beneficio elapsum, postridie inuentum & ad Cazimirum adductum. Clamantibus cunctis, eum capitis pœnam commeruisse, qui Principis maiestatem imminuisset: Minimè gentium, inquit Cazimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ incogitans deliquisset: & quum fortunam (à qua damno affectus erat) ulcisci non posset, in se fortunæ alumnum commotus esset: se magis in culpa esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum prouocasset. Non modò igitur illum se absoluere, uerùm etiam ipsi gratias agere, quòd se ictu illo admonuisset, ne quid indignum Principe in se admitteret: neu se ludo, aut ulli rei leui ac inhonestæ, deinceps daret. Sic igitur illum Principem, seueriorem in sese quàm in alios iudicem, homini à quo læsus erat, omnium iudicio damnato, indulsisse: quin & argentum omne, quod ludo quæsierat, ipsi *Cazimiro principe electo.*

reddidisse. ad eum itaque deferendum esse Principatum. Hoc ubi à Proceribus est factum, recusat Cazimirus, pietatem ætatisq́ue fraternæ prærogatiuam causans: ipsi contrà instant precibus, impotentemq́ue ac tyrannicum dominatum Miecislai referentes, uix tandem eum, ut postulatis eorum annueret, impulerunt. Sic ergo Miecislaus, quum non multum supra quatuor annos asperè & impotenter dominatus esset, absens Principatu deiectus est, anno post Christum natum 1177.

Principatu deijcitur.

An. 1177.

DE CAZIMIRO PRINCIPE, ET MAIORE POLONIA À MIECISLAO OCCUPATA.

Caput X.

CAzimirus ad ineundum Principatum paruo comitatu profectus est, ne non accitus, sed uelut inuasor alieni uenire uideretur: uenientiq́ue magna cum lætitia & gratulatione obuiam prodijt ingens omnis generis multitudo, Liberatorem & Seruatorem eum salutans. Pulsus uerò & exclusus omni suo Dominatu Miecislaus, Ratiboriam cum uxore & liberis se recepit: inde ad Fridericum Imperatorem affinem suum profectus, quum frustra opem eius implorasset (propterea quòd is & Italicis rebus distinebatur, & in Asiam expeditionem parabat) reuersus, & omni auxilio destitutus, ad fratris misericordiam per internuncios confugit. Commouit Cazimirum ingens illa in fratre fortunæ mutatio, & inconstans rerum humanarum conditio: itaque ad Senatum de reuocando Miecislao, & ad Dominatum suum restituendo, refert. Grauiter cunctus Senatus, & non obscuro murmure, orationem Principis excipit: petitoq́ue seorsim ab ipso colloquendi & con-

Cazimirus Princeps cum omnium gratulatione susceptus,

Liberatorq́; & Seruator salutatus,

Dum Miecislaus nullũ inuenit apud Imper. præsidium,

Ipse de eo restituendo refert:

& consultandi spatio, obiurgat Principem, quòd priuatum officium publicæ saluti atque tranquillitati anteferat, præsentemq́ue pestem optimæ de se merenti patriæ ac sibijpsi quoque uellet accersere: desineret itaque restitutionis illius mentionem facere, aut ipse quoque sibi ab infensa Miecislao multitudine caueret. Hoc responso Senatus, deterritus Cazimirus, gratias agere singulis de tam constanti erga se uoluntate, neque quidquam deinceps apertè de reuocãdo Miecislao mouere: clàm tamen, uincente misericordia & pietate, impensius ipsi fauere, & ut sibi aliqua ratione prospiceret, monere: non aduersante se, id facturum. Habebat Miecislaus filiam, nuptã cum Mesciugo Satrapa in Pomerania, qui florebat opibus & gratia populari inter Pomeranos: eius itaq́ue opera reconciliatis sibi Pomeranis, & collecta aliquanta manu, inopinãtibus omnibus Gnesnam intercepit, non ignaro, uerùm cõniuente Cazimiro. Nec mora, complures alias munitiones partim ui, partim per deditionem capit. Sic Miecislaus rursus post biennium omni Dominatu Maioris Poloniæ, à patre attributo, potitus est.

Sed obiurgatus à Senatu

Clàm fit autor Miecislao

Occupanda Maioris Poloniæ.

DE REPVB. À CAZIMIRO CORRECTA, BELLO CUM HALICENSIBUS & VNGARIS GESTO, MIECISLAOQ́ FRUSTRA REUOCATO.

Caput XI.

CAzimirus uerò initio Principatus sui, uectigalia illa & labores cæteraq́ue onera, quibus instituendis & exigendis Miecislaus offenderat, sustulit: iudicia correxit: magistratuum licentiam coercuit, infinitamq́ue potestatem circumscripsit: prauos quosdam & barbaros Procerum & Equitum Polonorũ mores, quibus ij tam

Cazimirus optimè Rempub. corrigit.

suos quàm aliorum subditos opprimebant, in comitijs apud Lenciciam habitis omnino sustulit: domesticos quoq; motus quosdam, per eà tempora excitatos, optimus Princeps placidè & sine bello composuit, ita ut nulla non pars Reipub. curata, ac melius quàm dudum constituta esse uideretur. Anno deinceps Christi 1182. ad Haliciam duxit exercitum, ut Miecislaum Ducem, sororis suæ filium, quasi nothum à fratribus pulsum, reduceret: deinde uerò anno 1185, post Miecislaum Ducem ueneno sublatum, & surreptam sibi per iniuriam atque fraudem Haliciensem ditionem, cum Vngaris bellum gessit. Grauiter id ferre nostri: fremere contra Principem: uiolatam ab eo cum Vngaris pacem & amicitiam querebantur: unde permultum collegerat odij Cazimirus apud plerosque Proceres atque Equites. Igitur quum is fortè in Rusiam, controuersiarum quarundam componendarum causa, profectus esset, celeriter conspirarunt contra eum Proceres: Miecislaum accersunt ad recipiēdum amissum pridem Principatum: & quò magis in eum studia populi inclinent, fingunt Cazimirum in Rusia ueneno extinctum esse. Accurrit properè Miecislaus: recipitur à Proceribus ac præfectis & cætera multitudine: Cracouiam uenienti portæ urbis aperiuntur: arcis uerò aditu arcetur à Fulcone Episcopo, & Nicolao Palatino, fratribus familia Lisijs, siue Vulpijs, qui à conspiratione illa alieni, firmo eam militum & clientum suorum præsidio tenebant. At Cazimirus certior factus de defectione suorum, auxilia Volodimiro, Romano, & Vusseuolodo imperat, ipsosque Duces proficisci secum iubet: præterea quantum potest uoluntariorum ac mercenariorum militum cogit: ac summa ope adnisus nouam arcem, Cracouiæ à Miecis-

An. 1182.
Haliciensis Dux Miecislaus reducitur.
An. 1185.
Bello cum Vngaris gesto offensi Poloni.
Absente Cazimiro
Miecislaum reuocant: sed
Cazimirus statim rursus

Miecislao exædificatam, expugnat: fratris filio, & plerisque omnibus aduersæ partis militibus illic existentibus, non modò uitam & libertatem concesit, uerùm etiam ampla munera largitus est. qua indulgentia & clementia sua ita sibi cùm omnium, tum inprimis Miecislai fratris animum deuinxit, ut nunquam is deinceps de repetendo Principatu cogitârit.

Principatum recuperat.

DE BELLO PRVTHENICO, REIP. diligenti cura, S. Floriani reliquijs, Cazimiri pietate ac morte.

Cap. XII.

PAcatis domi rebus, & cum Vngaris certa pace constituta, Prusis bellum intulit: ut cladem sub Boleslao Crispo acceptam, fratris'que Henrici mortem, ulcisceretur, & gentem barbaram atque rebellem domaret. Atque hi quidem, multis nostrorum incendijs atque cædibus afflicti, pacem supplices petiuerunt: superiorum annorum tributa persoluerunt: imperata omnia in posterum se facturos, sanctè promiserunt. Post id autem bellum, quum arcibus & oppidis instaurandis, moribusq; & legibus ciuium emēdandis, reliquum ætatis tempus transmittere decreuisset: à Lucio Pontifice Maximo, eius nominis tertio, reliquias sancti Floriani martyris impetrauit: easque cum ingenti omnis generis hominum multitudine, & solenni sacerdotum frequentia, ad septimum à Cracouia milliariū progressus reuerenter excepit: & in suburbano Cracouiæ Septemtrionali, quod pòst in formā oppidi redactum, nunc Cleparia dicitur, extructo magnifico templo, collocauit: idq; templum splendida supellectili dotauit: & collegium sacerdotum Canonicorum, attributo ijs lucu-

Bellum cum Pruthenis
Gestum prospere.
Rempub. omni ex parte curans Cazimirus
S. Floriani reliquias cū summa reuerentia
In Templo Clepariensi collocat.

Dies festos quomodo egerit.

luculento censu,in eo instituit. Porrò diem sancti martyris memoriæ sacrum,totum rei Diuinæ,in eiusdem S. Floriani æde,impendit, largas in egenos & afflictos effundens eleemosynas. Hoc autem ferè omnibus festis diebus facere consueuerat, neq; temerè eos lusibus aut cõuiuijs contaminabat. Fuit em̃ Diuini cultus perquàm

Cultum Diuinũ promouet erecto monasterio Soleouiensi &

studiosus: multa ad ornatũ templorum cõtulit: monasterium Soleouiense in Gnesnensi diœcesi, Cisterciensi sodalitati, antequam summum Principatũ adeptus esset, in uilla Ruslai Comitis (qui decedẽs absq; liberis Christum hæredem instituerat) ad Pilciam amnẽ condidit &

Coprounicensi.

locupletauit: Coprounicense quoq; cœnobium eidem Cisterciensi collegio excitauit: quod amplius etiã deinde nobiles Bogorij & Habdanci locupletarunt, Princi-
„ pis exemplũ sequuti. Fit enim plerumq;,ut ad Principis
„ sui studia homines libenter sese accõmodent. Dum autem annum septimum decimum regnaret, in conuiuio,

Mors Cazimiri subita.

quod Proceribus suis instruxerat, hausto mediocri poculo,subitò concidit, & paucis horis animam exhalauit. Subitus' ne morbus eum inuaserit,an uenenum exhauserit,incertum est. Vixit uerò sex & quinquaginta annos:

Filij eius, Lescus Albus et Conradus: Filia Adleida,uirgo.

reliquit duos filios impuberes,Lescum, cui Albo à colore capillorum cognomentum inditum, & Conradum: reliquit & filiam Adleidam, quæ septimodecimo post patrem anno mortua est,quum castè religioseq; uixisset. Fuit autem is annus, quo mortuus est Cazimirus, post

An. 1194.

Christum natum 1194. quarto uerò post mortem die in basilica Cracouiensi sepultus est.

LIBER

LIBER VI.

DE LESCO ALBO CVM HELENA MATRE, & bello cum Miecislao gesto.

Caput I.

Funeribus iustis Cazimiro peractis,ibidem Cracouię,ut frequentes Proceres atq; Equites ad funus cõuenerant, comitia instituũt, ac post uaria studia atq; sententias, Lescum

Lesco Principe renunciato, & imperio matri eius credito, additisq; curatoribus,

Cazimiri filium natu maiorem, Principem renunciãt: sed interim, dum is adolescit, Proceres penes matrem eius Helenam imperium omne & summi Principis auctoritatem esse iubent, ea quidem lege, ne quid illa sine consilio Episcopi & Palatini Cracouiensis, qui curatores puero & gubernatores dati sunt, faceret. Ibi Nicolaus Palatinus primus in uerba Lesci iurat: idem faciũt cũcti,semper se Lesco Principi fideles et obsequentes fore. Hæc ubi Miecislao Seni,ita ut acta erant,nun-

Miecislaus

ciata sunt,excanduit maiorem in modũ,eò quòd præteritus esset: pòst suos,atque etiam Silesios,irritat, quòd ad creandum cõmunem Principem neq; uocati neq; exspectati essent. Collecto itaque exercitu, magna celeritate

Armis Principatum appetit

Cracouiã contendit: iamq; ad Mosgauam amnem, septimo tantùm à Cracouia milliario, statiua habebat, quum Palatinũ Cracouiensem cum non contemnendis copijs adesse, prius propemodũ uidit, quàm audiuit. Vtrinq; instruunt acies, & pugnandi copiam faciunt: committitur atrox prelium ad Mosgauam amnem: utrisque haud incruenta cesśit uictoria: Miecislaus autẽ amisso ibidem

Frustra.

Boleslao filio, ipse sauciatus (quum sese, quisnam esset, detracta casside prodidisset, & supplex uitam peteret) seruatus, & ex acie clàm eductus, fuga sibi consuluit.

DE MIECISLAO SENE ITERVM, TERræmotu,& Lesco Albo iterum.

Caput II.

QVamuis autem, post Mosgauiense prælium, ad male tentata prius arma segnior factus esset Miecislaus: animo tamen haudquaquam conquiescebat, neque cogitationem recuperandi prærepti sibi Principatus deponebat. sed quum, aperta ui peruenire se ad eum posse, diffideret, ad dolos conuersus est. Muliebrem etenim sexum, credulum atque deceptioni (propter infirmitatem consilij) obnoxium, blandis dolis adoriri statuit. Ad Helenam itaque Lesci matrem, penes quam tum erat summa rerum, allegat: multis illi & blandis uerbis, ut sibi Principatum concedat, persuadet: quem tranquillum & magis florentem maturè se Lesco eius filio, quoad is adolescit, relicturum esse promittit. quibus uerbis inducta & persuasa credula mulier, nequidquam aduersantibus curatoribus ac cæteris Proceribus, annuit Miecislai postulatis: modò ut is iurisiurandi religione promissa stabiliat. Hoc autem ille dum se facturum recepisset, condicta die, quæ diui Bartholomæi memoriæ consecrata erat, Cracouiam cum splendido Procerum suorum comitatu ueniens, haud grauatim fecit: iurarunt'que & Proceres utriusque partis, se omnia, quemadmodum conuenta essent, rata firmaq; habituros. Ita rursus Miecislaus Principatu potitus est: Helena uerò cum filijs Sendomiriam commigrauit. Nō multo pòst deinde, anno Christi 1200. ad quintum Nonarum Maij, terræmotus uehemens meridiano tempore excitatus, aliquot diebus consequentibus permulta ædificia in Polonia & in uicinia eius conquassauit. quæ res inaudita propemodum in his regionibus, prodigij loco

Miecislaus, armis quum non posset,

Blandis dolis

Rursus cōsequitur Principatum.

An.1200.

Terræmotus.

loco habita est. Miecislaus porrò promissa non exsoluebat: quem Helena literis atque legationibus crebris frustra admonuerat, nunc occupationes publicas, nunc aduersam ualetudinem causantem: ad extremum uerò ipsa eum Cracouiæ adit: eadem illa, quæ in pactis conuenerant, coràm orat & flagitat. Blandis ille eam uerbis & pollicitationibus deducebat: sed instare illa importunius, fidemq; datam requirere, & iurisiurandi religionem uiolatam queri. Ibi ille, nihil iam dissimulans, inquit: pactis & iureiurando, contra Ius Gentium atq; ipsius Naturæ exacto, se non teneri: habere se, Iure Gentium & naturæ, certos suos hæredes, ex iusta uxore susceptos: eos à successione debita excludi, nefas esse. Dimissa igitur atque reiecta Helena cum ingenti animi sui dolore, damnat illam credulitatem suam & præceps consilium: neque tamen solicitudinem pro filijs remisit. Nam apud quos gratam Cazimiri, mariti sui, memoriam residere iudicabat, literis atque nuncijs de iniuria atque perfidia Miecislai queritur: eorum fidem implorat: promissa etiam non leuia addit: adhæc odium Miecislai exaggerat. Et offenderat is iam sanè non leuiter animos Procerum atque Equitum, propterea quòd nonnullos possessionibus certis & antiquis deturbarat, easq; suis quibusdam è Maiore Polonia asseclis & ministris donarat: & quòd eisdem Magistratus mandabat, indigenas præteriens. Omnes itaque Proceres Cracouiæ in Miecislaum conspirarunt: quorum princeps Nicolaus Palatinus Cracouiensis, idoneam absente tunc fortè Miecislao occasionem nactus, Cracouiam occupauit: Helenamq; cum Lesco filio, celeriter accersitos, intromisit: reliquas deinde arces atque munitiones Cracouiensis ditionis nullo negotio recepit.

Miecislaus, Helena instante,

Propter offensos Procerum & Equitum animos,

Principatu iterum excidit: fitq; iterū Princeps

Lescus Albus cū matre.

bet Princi-

pecta

pit, cedentibus ultrò, qui eas pro Miecislao tenebant, quum totius Cracouiensis cõuentus consensum & conspirationem uiderent.

DE MIECISLAO SENE TERTIVM, morteq; eius. Cap. III.

Miecislaus iterum Deiectus rursus Principatu Miecislaus, non destitit tertiùm ad eum áspirare: nec eum conatus fefellit, ijsdem quibus prius artibus grassantem. *Helenã blandis dolis capit.* Helenam enim iterum blanditijs atq; dolis aggreditur: affirmat, non per se stetisse, quò minus pactis satisfaceret: uerùm per Proceres Cracouienses, & inprimis per Nicolaum Palatinum: *Nicolaũ Palatinum rapiens in inuidiam.* se paratũ esse fidem suam liberare: Cuiauiensem tractum ipsi & filijs eius redditurum: & de cæteris pactis, quibus illa uellet modis & monimentis, cauturum esse. His quũ eam emollijsset, monet, ut clàm Proceribus omnia faciat: Nicolaum autem à se ante omnia amoueat & releget, si sibi liberisq; suis bene consultum uelit. Nec difficulter persuasit mulieri, omnia timenti, & omnia credẽti: nec deerant inuidi quidam & maleuoli, qui muliebrem animum in Nicolaum magis ac magis irritarent. " Fit enim ferè, ut rectè geri summi Magistratus, absq; offensione multorum, nõ possint: tametsi ipsis quoq; secundis rebus, atq; etiã rectè factis, necessaria propemodum comes est Inuidia. Factus autẽ certior de mulieris consilio Nicolaus, adit ad Helenam & filios eius: *Ipse uerò Palatinus, dum ab Helena nihil impetrat,* merita sua in illos & studium commemorat: orat, ne se, famam caputq;, æmulis & inimicis suis prodant: quos quidem inimicos cepisset, dum illis fidelis esse studet, dum'que caput suum pro illorum salute & imperio multis periculis obijcit. Vbi uidet, non commoueri precibus suis implacabilem mulierem, Posnaniam ad Miecislaum, quamuis infensum sibi hostem, conten-

contendit, saluti & incolumitati suæ prospecturus, *Ad Miecislaum profectus* simul & inimicos ingratamq; mulierem ulturus. Non facilè ferunt contumeliam illustres uiri, " sæpeq; irritati impotentia animi ad multa, se indigna, impelluntur: atque " adeò in perniciem patriæ nonnunquam feruntur præcipites. " Veniam igitur præteritarum offensionum Nicolaus à Miecislao petens, in posterum ei suum studium defert: accepitq; eum comiter & honorificè Miecislaus: benigneq; & liberaliter habitum, & magnis promissis oneratum, dimisit: ac per eum, nullo negotio, Cracouiẽsem omnem regionem in potestatem suam redegit. *Partes eius curat.* Adeptus autem Nicolai opera Principatum Miecislaus, *Miecislaus, dum pergit esse in fratris filios perfidus,* non satis habuit non reddere fratris filijs Cuiauiensem tractum: quin & Voslicense territorium, & tria præterea castella de Sendomiriensi ditione, ipsis ademit: sua illa esse, & ad Principatum suum pertinere, asseuerãs. quæ agentem, & de redintegratione uniuersi Principatus ac Regni Poloniæ cogitantem, mors inopinata oppressit, *Moritur,* anno Christi 1202. quum iam septuagesimum tertium uitæ annum ageret: *An. 1202.* sepultusq; est Calisij, in templo Pauli Apostoli memoriæ dicato: *Sepultus Calisij.* quod ipse condiderat, & collegio Canonicorum Regio instituto ornauerat: uerùm oppido temploq; postea in alium locum translato, sepulchrum eius sub diuo relictum est. *Ecclesia collegiata Calisiensis.* Contulit autem is & alibi non parum, ad amplificãdum cultum Diuinum. Nam Lãdense & Vagrouecense monasteria, & alia quædam, tum & Ptochodochium egenis recipiendis & sustentandis, condidit & locupletauit. *Monasteriũ Landense & Vagrouecense.* quod tamen attinet ad monasterium Vagrouecense, à Zbiludo quodam ante annos 50. illud conditum & locupletatum fuisse, hæc priuilegij cœnobij illius uerba probant: Zbilud Poloniæ ciuis, uiros spirituales mortuos mundo, uiuentes Christo.

Christo, cœnobitas re & habitu & professione, plenos Dei ac proximi dilectione, aduocat, suscipit, deligit, locat, pro stabilienda ibidem regularis disciplinæ religione, sub domino Ioanne archipræsule, Stephano Episcopo Posnaniensi, Mezicone Duce, quos conuocauerat: idq; anno 1153. Boleslao, Mezicone, Henrico, fratribus germanis in Polonia principantibus. Reliquit post se Miecislaus Ottonem & Vuladislaum, filios. Nam cæteri iam obierant. quin & Otto non multo pôst patrem sequutus est, relicto Vuladislao item filio impubere: cui Sputatori postea, propter crebræ sputationis uitium, cognomen fuit: cuius tutelam Vuladislaus patruus (qui Magnus & Lasconogus etiam, à gracilitate crurum, dictus est) aliquandiu gessit.

Otto & Vuladislaus Lasconogus filij.

Vuladislaus Sputator.

DE PRINCIPATV A LESCO ALBO recusato, à Vuladislao uerò Lasconogo suscepto. Caput IIII.

Miecislao Sene defuncto, rursus uniuersorum studia in Lescum Album inclinabãt: negabantq; locum esse creando Principi, uiuẽte Lesco, qui iustus Princeps omnium esset suffragijs creatus. Ad eum itaq; Principatus defertur, uerùm ea lege, si Gouoricium, Palatinum Sendomiriensem, relegaret. Missi ad Lescum legati mandata Senatus exponunt. Lescus dubius animi, ob adiectam de Gouoricio cõditionem, deliberabat: quem cunctãtem Gouoricius ultrò hortatur, ne sua causa, tanta commoda negligat: malè sibi suisq; consulturum esse, si propter se unum seniculum, & pauculos atq; eos incertos uitæ suæ dies, in aliam familiam transferri Principatum sinat: libenter se, pro eius commodis atq; honore, in exilium abiturum, pro quo uitam quoque ponere deberet

Lescus Albus oblatum sibi Principatum,

Nolens Gouoricium Palatinum Sendomiriensem

beret atq; cuperet: felix, ac sempiterna posteritatis memoria gloriosum, illud suum exilium fore, susceptũ pro dignitate & amplitudine optimi Principis. Commouit Lescum ea Gouoricij oratio, & insignis beneuolentia cum animi magnitudine coniũcta, in eam quidem partem, ut is ilico apud legatos negaret, tanti se facere Principatum, ut eius adipiscendi gratia tam fidum consiliarium proderet, immerentemq; magistratu simul & patria eijceret. Principatum quidem duplici nomine ad se pertinere, quòd & hæres Cazimiri esset, & à Conuentu pridem electus atq; expetitus, nunquam se eo abdicasset: uerùm tyrannicam illam uocem, Si ius uiolãdum sit, regnandi causa uiolandum esse: non placere sibi, qui iusto & legitimo imperio suos regere, à patre & à Maioribus suis didicisset. proinde aliũ sibi Cracouienses Proceres, istis legibus, quærerent: se in paterna sua ditione acquieturum esse potius, quàm per scelus Principatu potiturum. Cognita autem Lesci sententia, denuò consultatur de Principatu in Conuentu Cracouiẽsi: tandemq; Vuladislaus Lasconogus, Miecislai Senis filius, quasi iustus heres, absens Princeps renunciatur. Missi uerò ad eum legati, uix, ut oblatum Principatum susciperet, ei persuaserunt: nec aliter tamen, quàm si Lescus eum omnino refutasset. Itaq; ad Lescum mittit: postulata Cracouiensis Conuentus, & quid ipse respõderit, exponit: negat, se prorsus quidquam aduersus Lesci sententiam facturum: nec se tam cupidum esse, ut Principatus causa Ius sanguinis uiolaret. Respondit Lescus, ea lege quę sibi à Cracouiẽsibus Proceribus diceretur, Principatum se accipere noluisse nolleq;, nec aduersus animi sui sententiam facturum esse Vuladislaum, si eum delatum accipiat. Hoc ubi responsum à Lesco Vuladislaus accepit,

Fidum suum consiliarium prodere, respuit:

Eumq; delatum sibi Vuladislaus,

Sed annuente Lesco,

Suscipit, magnis commendatus uirtutibus. tum demum postulatis Cracouiensium legatorum an-
nuit:& Cracouiam profectus,Principatũ inijt: magnaq́
facilitate,humanitate,& iustitia, atq́ liberalitate studia
& uoluntates hominum adiungere sibi cœpit.

DE ROMANO RVSSO CVM SVIS cæso, Lescoq́ Albo tertium Principe. Caput V.

Romanus Dux Russorum crudelis, INterea porrò temporis Romanus Vuladimiriẽsium
& Haliciensium Dux, post inauditam crudelitatem
(qua Nobilitatem ferè omnem Haliciensem, nullo non
supplicij genere usus,extirpauerat:melle neminem, nisi
Contemnens Lesci Albi modestiam, interfectis apibus,securè uesci posse asserens)ubi Lescũ
Principatu excidisse accepit,animi eius angustiam, ut i-
pse interpretabatur,& ætatem contempsit.Primùm igi
tur clandestinis excursionibus in Lesci ditionem,suę fi-
nitimam, deinde negociatorum Polonorum direptio-
ne,patientiam Lesci tentauit: ad extremum cum ualido
Et Polonis atq; Latinæ fidei exitium minitans, exercitu Poloniæ fines ingreditur, & toti Poloniæ atq́
adeò Religioni Latinę exitium superbè minitans,ad in-
teriora Poloniæ contendit: cui Lescus cum suorum ma-
Ad Zauichostum nu occurrens,ad Zauichostum oppidum in ripa Vistu-
læ,crudeliter eum profligauit,Cristini Gosdouij, Palati
ni Plocensis, uiri acris & rei militaris periti, opera: ipse
Perit cũ suis: uerò Romanus, immixtus multitudini suorum fugien-
tium,à Polonis instantibus in turba interfectus: exerci-
tus autem eius partim in pugna,partim in fuga ad inter-
Cadauer autem eius sepultum necionem ferè deletus est. Cadauer Romani repertum
nostri Sendomiriæ iusto honore tumularunt: uerùm id
postea effossum Lescus,Russis flagitãtibus,& captiuos
Redimitur. omnes dimittentibus,ac mille pondo argenti appẽden-
tibus,reddidit, ut Vuladimiriæ in sepulchro Maiorum
suorum

suorũ sepeliretur. Fuit autem annus hic, quo apud Za- *Ann.1205.*
uichostum prælium commissum est, post Christum na-
tum 1205.Et quoniã dies ille Geruasio & Protasio,Chri- *Lesci in Deum gratitudo, ara S. Geruasij & Protasij constructa.*
sti martyribus,dicatus fuit:aram postea Lescus,eorũ no
mine,in Basilica Cracouiensi dicauit. Per hoc tẽpus Li-
tuani,gens fera, syluestris & obscura, Russorum agros
prædis agendis infestare cœperunt: à quibus cruento
pręlio uicti,subera,restes,& fasces frõdeos,quibus gens *Mirum tributũ pendũt Lituani Russis.*
Russorum in balneo sudorem prouocare solet, tributi
nomine deinceps pẽndere iussi sunt.Magnã uerò è Rus
sica uictoria uirtutis & felicitatis opinionem Lescus, a- *Lescus Albus, post illam ex Russis uictoriam,*
pud suos pariter atq́ exteros,consecutus est:eoq́ maius
sui desiderium in animis Cracouiensis Cõuentus accen
dit.Sũmis eum laudibus passim omnes efferebant. Vu-
ladislaum autem præ eo contemnebant: ideoq́ summo
consensu in eam sentẽtiam eunt, ut excluso Vuladislao,
Lescum Principem accersant. Mittuntur itaque ad eum
cum decreto legati:nec ille, quum uniuersi Conuentus *Polonorũ fit princeps.*
consensum uideret,cũctatus est, quin postulatis eorum
annueret. Cracouiam ergo ueniens Principatũ,nemine
repugnante,recepit. Nam Vuladislaus,uir modestus & *Vuladislao annuente.*
quietis amãs,cognito cõsensu Conuentus, cessit, & Pos
naniã se recepit. Annus quo hęc acta sunt,fuit post Chri *Ann.1206.*
stum natum 1206.insequenti uerò anno, Fulco siue Pel- *Pelca Episcopus Cracouiẽsis & Vincentius Cadlubcus.*
ca Episcopus Cracouiensis uita excessit: cui Magister
Vincentius Cadlubcus, uir pius & eo tempore doctus,
qui primus Polonorum Historiam conscripsit,succesit.

DE BELLIS RVSSICIS, COMETE MALA à Tartaris portendente, Lesci rebus in pace gestis, &c. Caput VI.

POrrò Lescus Princeps,Russorum excursionibus in *Bella cum Russis.*
Poloniam prouocatus,res quasdam per legatos ua-

An.1211. rio Marte geſsit. Anno autẽ à Chriſto nato 1211. Come-
Cometes portendens Futura mala à tes decem & octo diebus menſis Maij, coma in Orien-
tem cõuerſa apparuit, futurorum malorum, quæ ſtatim
Sarmatiam utramq; afflixerunt, prodigium: cuius & il-
la non minima cauſa fuit, quòd Ruſsi anno ſequenti no-
uum dirumq; hoſtem nacti ſunt, qui uires eorũ deinceps
penitus attriuit, & multas alias Chriſtiani orbis gentes
magnis & acerbis calamitatibus atq; cladibus inuoluit,
Tartaris. ac penè funditùs euertit. Tattari enim, ſiue (ut uſus obti
nuit) Tartari, Scythica gens, ſiue à fluuio ſiue à multitu
dine nomen habens, quum antè ultra Caſpium mare &
intra Imaum montem ad orientem Solem obſcuri igno
tiq; Græcis iuxtà ac Latinis habitaſſent, circa annũ Chri
ſti 1202. (uel, ut alij uolunt, 1188.) finibus ſuis egreſsi, deui
cto & interfecto Iudæorum, cui ſeruierant, rege, Aſiam
propè omnem uictores longè lateq; propagati, & Rha
ſiue Volga flumine tranſmiſſo ad Occidentem progreſ
ſi, uicinis Ruſſorũ Polouucijs (quos nonnulli recentio-
res Gottos, nonnulli Chunos, ſiue Cumanos, eſſe uo-
lunt) campeſtria ad Tanaim & Mæotim paludem loca
habitantibus, bellum intulerunt: ac commiſſo prælio, ui
ctores Tartari magna ſtrage Polouucios & Ruſſos, qui
in communi periculo Polouucijs opem tulerant, fudêre
& fugauêre. Munitiones dein Polouuciorũ expugnatę,
ipſi deleti: & omnis illa circa Tanaim & Mæotim ora, cũ
Leſci piæ res geſtæ, in pace. Taurica Cherſoneſſo, à Tartaris habitari cœpta. Leſcus
nullũ deinceps, quoad uixit, bellũ geſsit, pace & ocio im
penſius delectatus: in pace uerò, iuſtè, clemẽter & mode
ratè Principatum adminiſtrauit: ędificia partim collapſa
inſtaurauit, partim noua excitauit. Obibat autẽ cunctas
regiones ditioni ſuę ſubiectas: cauſasq; & controuerſias
hominum, omnibus in locis, ipſe per ſe cognoſcebat &
iudicabat:

iudicabat: in ſontes, & maximè calumniatores, animad-
uertebat: oppreſſos potentiorũ iniurijs uindicabat: Po-
Suentopelcus præfectus Pomeraniæ. meraniæ, quæ longius non ſine incommodo à Principe
Ius petebat, Suentopelcum præfecit, & amplisſimam
poteſtatem & iuriſdictionem, etiam in Palatinos (qui
tum duo erant, Gdanenſis & Suecenſis) & in cæteros
Magiſtratus ipſi conceſsit. De reditibus autem Pome-
raniæ mille pondo ſiue marcas argenti quotannis fiſco
Principis Polonorum ut penderet, conſtituit: & iureiu-
rãdo in ſua, poſterorumq; ſuorum Principum Poloniæ,
Maſouia & Cuiauia Conrado data. uerba eum adegit. Maſouiam inſuper & Cuiauiam, de
Conſilij Conuentusq; ſententia, Conrado fratri minori
Vxor Leſci, & in ſortem patrimonij conceſsit: rogatuq; Procerum u-
xorem duxit Grimislauam, Iaroslai Ruſſorum Ducis fi-
Filius Boleslaus Pudicus, & Filia Salomea. liam: ex qua anno ſequenti Boleslaum filium, qui poſtea
Pudicus appellatus eſt, ſuſcepit: deinde filiam Salomeã.

DE STVDIO AMPLIFICANDAE RELIgionis, Vincentio & Iuone Epiſcopis Cracouienſibus, Henrico Archiepiſcopo, & fame ac peſte trienni. Cap. VIII.

Religionis amplificandæ ſtudium. PAcatis autem rebus omnibus, tantum ſub hoc Prin
cipe in Polonis uigebat Religionis amplificandæ
Vincentius Epiſcopus Cracou. fit ſtudium, ut eo potiſsimùm inter ſe certarent. Nam Vin-
centius Cracouienſis Epiſcopus quũ multa Cracouien
ſi baſilicæ contuliſſet, ultrò Epiſcopatu ſe abdicauit, ne-
quidquam aduerſante Principe, ac diſſuadẽte Collegio
Andreouiẽſis cœnobita. ſacerdotum: & in Andreouienſi monaſterio reliquos
quinq; uitæ annos religiosè exegit, quum decem annis
Iuo ſucceſſor eius, Dominicanis Romæ cum Epiſcopus fuiſſet. Huic ſucceſsit Iuo, Sauli filius: qui
Romam profectus, Dominici (qui tunc nouæ Sodali-
tatis, quam à ſtudio concionãdi Prædicatorum uocant,

auctor florebat) doctrinam uitamq; admiratus, Iacicum

S. Iacincto

ſiue Iacinctum gentilem ſuum de territorio Opolienſi, Canonicum Cracouieẽſem, (qui poſt mortem multis annis, propter ſanctimoniam uitæ actæ & miracula, in numerum Diuorum relatus eſt) & tres alios, à Dominico

Adductis, dat S. Trinitatis templũ.

uitæ illius inſtitutum edoctos atque profeſſos, Cracouiam ſecum reduxit: nouæq; ſodalitati primarium in urbe templum (quod S. Trinitatis nomine appellatur) attribuit, & copioſam ſupellectilem templo dicauit: Pa-

Templum S. Mariæ construit, & Monaſteriũ Mogilnenſe, &

rochiam uerò inde ad templum Virgini Matri Dei Mariæ dicatum, ob idq; tunc à ſe constructum, tranſtulit. Idem Iuo Cacicenſe etiam monaſterium Ciſtercienſibus monachis condidit: nec multo pòſt Mogilam, ſupra Viſtulam uno à Cracouia milliario, locum à Vendæ Principis tumulo dictum, id tranſtulit, & magnificè locuple-

Ptochodochium S. Spiritus.

tauit. Ptochodochium quoque, ſiue ut uulgò Hoſpitale uocant, egenis, & morbo debilitatis & ſenio, Cracouiæ extruxit & dotauit: illudq; templo Spiritus ſancti,

Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis,

à ſe erecto, adiecit. Henricus etiam Archiepiſcopus Gneſnenſis, Theodorici Ducis Bernenſis ex Eudoxia Polona filius, bonam & ipſe in hoc pietatis ſtudio na-

Clericos cum ſubditis à iuriſdictione ſeculari liberat:

uauit operam. Perfecit enim diligentia & auctoritate ſua, ut Principis atque omnium Ducum procerumq; Polonorum conſenſu, & uniuerſi Conuentus conſtitutione, ſacer & Eccleſiaſticus ordo omnis cum aſcripticijs etiam & ſubditis ſuis, ab omnium prophanorum Iudicum, etiam Ducum, atq; etiam ipſius ſummi Principis iuriſdictione prorſus liber eſſet, ita ut ne per exceptionem ullam quidẽ, aut recõuentionem, pertrahi ad ullum prophanũ ſiue laicũ (ut uocant) forũ poſſet: eamq; conſtitutionẽ Pontificis Maximi & ſedis Apoſtolicæ auctoritate confirmauit. Sacerdotes uerò omnes ex Decreto

Synodi

Vxores et concubinas à Sacerdotib. abigit:

Ius legati nati impetrat.

Synodi à ſe conuocatæ, uxores & concubinas, quas retinebãt adhuc pleriq; poſt Edictum legati Pontificij, abdicare coegit, iureiurando ab eis exacto. Hic etiam obtinuit Archiepiſcopis Gneſnenſibus perpetuæ legatio nis munus. Biennio poſt eius mortem (mortuus eſt au-

An. 1219.

Poſt aquarũ inũdationem &

tem anno Chriſti 1219. quum decem & nouem annis Eccleſiæ præfuiſſet) denſi atq; continentes per totam æſtatem imbres ingenti aquarum inundatione uehementer Poloniam afflixère, plurimos pagos atq; uicos euertêre, ſegetes hybernas uaſtauère, uernam ſementem fieri

Hyemẽ aſperam,

Fames & peſtis triennũ eoq; tempore Iuonis Epiſcopi mira beneficentia.

paſſi non ſunt. Conſecuta eſt mox hyems acris & aſpera: inde fames & peſtis, poſtea totum triennium ſæuientes, maximam uim iumentorum atq; hominum abſumpſêre. In his autem tantis malis Iuonis Epiſcopi beneficentia, egentibus paſſim expoſita, permultis ſaluti fuit. Et ſanè mirum eſt, tunc longè minores quàm nunc ſunt reditus Epiſcopæ ſuffeciſſe tamen pio & benefico Epiſcopo, in tot tantosq; ſumptus, in cultum Diuinum & ſubleuationem egentium, ut par fuit, collocatos. uerùm Diuinæ benignitatis fuit, ut liberaliter ſeminanti uber meſſis proueniret: moderati uerò ac temperãtis Epiſcopi, ut paruo contentus, Diſpenſatorem ſe, non Dominum, eſſe meminiſſet. Per idem etiam ferè tempus Hen-

Hẽricus Barbatus Vratiſlauieſium Dux, Heduigi uxore ſua ſancta rogante,

Trebnicenſe monaſterium erigit:

Ipſaq; Heduigis Trebniciam & pagos eidẽ mo-

ricus Barbatus Vratislauienſium Dux, Heduigis uxoris ſuæ, religioſæ & piæ fœminæ, & ſanctimonia uitæ præſtanti, rogatu, Trebnicenſe monaſterium tertio à Vratislauia milliario maximis ſumptibus exædificauit, & puellis Ciſtercienſis ſectæ attribuit: addixitq; & ipſa Heduigis, indulgẽte uiro, illi monaſterio oppidum ipſum Trebniciam, & cõplures pagos ſuos dotales, ita ut in mille hominũ alimenta reditus eius ſuffecturi eſſe uiderentur. Quod exemplum ſecutus Nicolaus Henri-

o 3 chouius,

naſter. attribuit: Quorũ exemplo Nicolaus Henrichouius Henrichouienſe monaſterium extruit, & patrimonio ſuo illi tributo, monachus fit..

chouius, uir nobilis & locuples, qui Henrico Barbato à ſecretis fuit, & ipſe patrimonium ſuum omne Ciſterci enſibus monachis, aſſentiente Henrico Barbato, donauit: extructo'que eis monaſterio in pago ſuo Henrichouo, ipſe quoq; ibi, religionẽ profeſſus, uitã peregit.

DE SVENTOPELCI AMBITIOSA perfidia, & Leſco ab ipſo interempto. Caput VIII.

Suentopelcus, Dum nomen Ducis Pomeraniæ non impetrat,

SVentopelcus Pomeranorum præfectus, quum opibus magnis & facultatibus, terra mariq; partis, & gratia populari tumeret, inſolentiorq; factus, à Leſco Principe magnopere cõtendit, ut ſe Ducis Pomeraniæ nomine dignaretur, & ſempiternum id ſibi poſteris'que ſuis eſſe iuberet: ut ij tamen ſummo Polonorum Principi obtemperarent. Refutauit poſtulata Suentopelci Leſcus: qua repulſa ille accenſus, ad defectionem ſpectare cœpit: neq; penſionem annuam, de more, Leſco miſit. Indicuntur ergo propterea uniuerſæ Poloniæ comitia Gauſauam (quę uilla eſt Tremeſnenſis monaſterij, prope Znenam in maiore Polonia ſita) cõuenereq; ad præſtitutum diem Proceres: Suentopelcus ſolus nectebat moras: miſsiſq; ſubinde per ſpeciem excuſandæ ſuæ moræ hominibus, ſtatum omnem comitiorum cognoſcebat, & occaſionem peragendi cogitati facinoris captabat. Quarta dies comitiorum curandis corporibus data erat: ad balneum ſe & Leſcus & Henricus Barbatus Vuratiſlauienſium Dux contulere. Ecce ergo Suentopelcus, cum expedita ſuorũ manu, ibi adeſt (prope enim delituerat, & opportunitatem rei peragendæ didicerat) & in diuerſoria ac tentoria proxima irrumpens, obuios quoſque, rei nouitate attonitos, facilè aut remouet, aut obtruncat. Certior autẽ factus Leſcus de hoſtili aduẽtu Suento-

In Leſcum in balneo irruit, &

Fugientem atq;

Suentopelci, exilit, & equum nactus, cum paucis fugere cœpit: perſequitur fugientem Suentopelcus. Vbi uerò effugere Leſcus inſequẽtium & prementium ſe manus non potuit, cõuerſo equo & reuocatis fugæ comitibus, quũ aliquandiu multis & bene armatis nudus penè cum paucis reſtitiſſet, fortiter dimicans apud Marcincouum pagum occubuit. Henricus quoq; ætate grauis, uulneribus debilitatus ac proſtratus in balneo, quum eſſet à Peregrino Veiſemburgio, uno de aulico ipſius comitatu, corporis ſui obiectu contectus, ſemianimis relictus eſt: percurſores uerò rati utrumq; exanimem, diſceſsère, & recolligendi ſui ſpatiũ Henrico conceſsère. qui quidem raptim furtimq; lectica Vuratiſlauiã delatus à ſuis, haud multo pòſt ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt. Ex eo igitur tempore Suentopelcus pro Duce ac Domino Pomeraniæ gerere ſe cœpit: Leſci uerò corpus, Cracouiam elatum, in baſilica magna omnium cõploratione ſepultum eſt. Annus quo hæc acta ſunt, fuit à Chriſto nato 1227.

Pugnantem occidit:

Henricũ uerò, Ducẽ Vuratiſlauiẽſem ſemianimem relinquit.

Leſci ſepultura.

An. 1227.

DE CRVCIGERIS, CONTRA PRVSSOrum uim aduocatis. Cap. IX.

Contra uim Pruſſorũ Conradus Dux Maſouiæ, Fratres Crucigeros

PEr hoc tempus Pruſsis Maſouiam uehementer uexantibus & uaſtantibus, inops conſilij Conradus Dux, habito cõuentu ſuorum, tandem Chriſtiano Epiſcopo ſuggerẽte & ſuadente, Fratres ſiue Sodales Theutonicos, & ipſos piam contra Barbaros militiam ſub titulo ſanctæ Mariæ profeſſos, (qui paulo antè à Saracenis è Syria eiecti fuerant) Roma acciuit: Culmenſemq; tractum, & quicquid terræ eſt inter Viſtulam & Mocram, atque Deruanciam flumina, eis tradidit, his legibus: ut contra Pruſſos ſedulò & ſummis uiribus bellum gererent: ubi uerò eos domuiſſent, Chelmenſem quidem

Euocat Roma certis conditionibus:

quidem ditionem redderent, cætera uerò, quæcunque de Barbaris cepiſſent, arbitrio bonorum uirorum ex æquo ſecum ſeu cum poſteris ſuis partirentur: Polonis ne quam uim aut iniuriam facerent, ne'ue hoſtes eorum receptarent, aut ullo fauore proſequerētur: contra Barbaros autem & à Religione Chriſtiana alienos ut ipſis, quum opus fuerit, præſtò eſſent. Hęc ita inter Conradum & fratres Crucigeros cōuenēre, & à Gregorio nono Pontifice Maximo approbata & confirmata ſunt. Atque hæc ferè anno Chriſti 1228 acciderunt. Sic ergo Crucigeri, Maſouiorū & Polonorū defendendorum, ac Pruſsiæ Barbaris eripiendæ, prouinciam ſuſcepêre: breuiq; tempore, Maſouijs adiuuantibus, & uoluntarijs multis undiq; pietatis ergò accurrentibus, Barbarorū excurſiones repreſsēre: & paruo tempore magna in illis oris, incremēta fecēre: arcesq; & urbes non ignobiles paucis annis muniēre.

An. 1228. Beneq; ea res procedit.

LIBER VII.

DE PRINCIPATV BOLESLAI Pudici, Henrico Barbato, S. Heduigi uxore eius, atq; Miecislao Coßiſco. Caput I.

Boleslaus Pudicus à Cōrado patruo in monaſterium cū matre ſua detruſus.

BOleslaus Pudicus, Leſci filius, poſt patris mortem & multas de Principatu turbas excitatas à Conrado, qui Principatum ambiebat, Duce Maſouiorū patruo ſuo cum Grimislaua matre puer captus, ac in Secechouienſi monaſterio (quod in tractu Sendomirienſi ſupra Viſtulam ſitum eſt) aſſeruari iuſſus, Abbatis Nicolai Franci

Franci opera, partim corruptis, partim inebriatis & ſopitis cuſtodibus, intempeſtæ noctis ſilentio, diſpoſitis clàm equis effugit: Zauichoſtoq; & Sendomiria potitus, non auſus eſt tamen in ſua ditione uſquā conſiſtere (propterea quòd præcipuis arcib. Maſouios ſuos Conradus præfecerat) ſed in Sileſiam, ad Henricum Barbatum Vratislauienſium Ducem, profectus eſt. Venientem ergo Boleslaum humaniſsimè (ut par erat) Henricus accepit, ac conſolatus eſt: comparabatq; exercitum, quo eum reduceret, Conradum uerò eijceret. Poſtquam autem cum ualido exercitu, Boleslaum ſecum ducens, Henricus uenit: decedentibus metu Maſouijs, magno omnium ordinum conſenſu atque alacritate ſuſceptus eſt, & Cracouienſem, Sendomirienſem atque Lublinenſem oram omnem facilè in ſuam redegit poteſtatem. & quoniam permagnos ſumptus fecerat: Cracouienſem ditionem omnem unà cum Principatu ſummo, permittente Boleslao, Henricus ſibi retinuit: Sendomirienſem uerò atq; Lublinenſem ei conceſsit. Hunc ipſum etiam Henricum Boleslaus Pudicus curatorem ſibi, præterito patruo Conrado, delegit: multa'que is utiliter, de conſilij ſententia, conſtituit: leges quaſdam improbas & peſtilentes ſuſtulit: meliores nonnullas ſanxit: Eccleſiarum immunitates firmauit: Magiſtratus bonis & induſtrijs uiris mandauit: in maleficos & calumniatores ſeuerè animaduertit: Opatouiam oppidum cum ſexdecim pagis, amotis inde Templarijs, in quorum ditione fuerat, Lubuſſenſi Epiſcopo iure ſempiterno adiunxit & addixit, Boleslao aſſentiente. Hoc eodem tempore Miecislaus ſeu Mieſco, Conradi Ducis filius (cui, propter capitis intemperiem, Coſsiſco cognomen fuit) cui pater Cuiauiam conceſſerat, quum inopum

Ad Henricum Barbatū confugit:

Eiusq; opera ad Principatū reducitur,

Conceſſa eius adminiſtratione eidem Henrico.

Henrici cōſtitutiones.

Eccleſiarum immunitates.

Opatouia donatur Lubuſſenſi Epiſcopo.

Miecislaus Coſsiſco raptor bonorū alienorum,

inopum & pupillorum atque uiduarum bona iniustè diriperet, indeq; quodam tempore conuiuium multis inuitatis præberet, ab ingenti multitudine murium inuasus, & frustra naui fugiens, muribus fugientem etiam per aquas persequentibus, miserabiliter perijsse dicitur: exemplo futurus posteris, ne se rapinis, iniurijs, & sanguine miserorum hominum saginent. Post id uerò tempus Henricus Barbatus, ritè sacris mysterijs procuratus, extremum clausit diem: & in Trebnicensi monasterio ab Henrico filio, cui Pio cognomen datum est, honorificè est sepultus. Nam Heduigis uxor, in illo ipso monasterio degens, neque ægrotum uisere, neque mortui funus deducere, aut obuiam ei prodire, neque mortui funus deducere, aut obuiam ei prodire, neque quo rerum humanarum commertio animus eius à Diuinis auocaretur: quinetiam cæteris, uiris iuxtà ac mulieribus plangentibus & lamentantibus, sola moderatè coniunctißimi mariti mortem tulit: impium esse, Diuinæ uoluntati aduersari, dictitans. ac ne uiuentem quidem illum sæpe adijt: nisi fortè, ut egenis & iniuria affectis opitularetur. Communi enim consensu totos ferè triginta annos disiuncti in continentia uixère: ex quo tempore Henricus barbam promisit, atque inde Barbatus uocitatus est.

In conuiuio à muribus inuaditur et deuoratur.

Hëricus Barbatus mortuus, à cuius sepultura Abstinet uxor S. Heduigis,

Fortiq; animo mortè mariti fert,

Rarò ad eum adiens, &

30 annos continenter cum eo uiuens.

DE BOLESLAI PVDICI CONTInentia, Conradiq; in Canonicum scelere & satisfactione. Cap. II.

POrrò Boleslaus Princeps Kingam, quæ & Cunegundis dicta est, Belæ quarti Vngarorum Regis filiam, uxorem duxit, anno Christi 1239, puellam moribus & sanctimonia uitæ nobilem: dosq; illi quadraginta millia marcarum fuit. Tali autem coniuge beatus Boleslaus, tamen primis nuptiarum diebus eam non attigit. inde confirmata postea mutuo consensu religione, ambo perpetuò uouère continentiam: atque hinc Boleslao, Pudico cognomen inditum. Conradus interea Dux Masouiorum Ioannem Ciaplam Iurisperitum Vuladislauiensem & Plocensem Canonicum, filij sui Cazimiri custodem & moderatorem, comprehendit: & quasi coniurationis cuiusdam filio auctorem, causa non cognita, in carcerem coniecit: ac mox quæstionibus subiectum, eodem furore in patibulum egit. cuius cadauer quum Dominicani deposuissent, & Christiano ritu funus deducerēt: Agathia Conradi uxor, mariti furori suffragata, ereptum & in plaustro duobus bobus contumeliæ causa uectum, noua furca ad id ex tempore ad monasterium Dominicanorum ex aduerso basilicæ erecta, iterum appendi iussit: nec tamen deterriti sunt Dominicani, quin iterum id deponerent, atque honorificè sepelirent. Hac autem re Petrus Archiepiscopus Gnesnensis cognita, uniuersæ Plocensi diœcesi Sacris interdixit. quamobrem excanduit quidem primùm Conradus: uerùm pòst ad se reuersus, agnouit culpam: & Lenciciam ad Archiepiscopum, ut ille iusserat, uenit: de admisso scelere, Archiepiscopi arbitratu, satisfecit: Louiciamq; uillam, cum circumiacentibus syluis, Archiepiscopo Gnesnensi sempiterno iure donauit: atque ita Archiepiscopus interdictum suum relaxauit. Id adeò 1240 Christi anno actum est: circa quæ etiam tempora Boleslaus Pudicus, matris precibus adductus, cœnobium Cracouiæ Fratribus D. Francisci, Praga accitis, condidit.

Boleslaus cū Kinga uxore An. 1239.

Perpetuò continens,

Pudicus cognominatur.

Conradus Dux, propter Canonicum in patibulū actum,

Ab Archiepiscopo interdictus

Pro scelere admisso satisfacit, et Louiciū donat.

An. 1240. Cœnobium Franciscanorū Cracouiæ.

DE INGENTI CLADE A' TARtaris edita, dupliciq́ ſtrage noſtrorum. Caput III.

Tartari uaſtant Rußiã, Lublinẽſem oram, HOc eodem anno Tartari, Rußia peruaſtata & maxima ex parte ſubiugata, Lublinenſem oram in Polonia, Rußiæ finitimam, magno impetu inuaſerunt: exuſtaq; arce Lublinenſi, omnem illam regionem uſque ad Viſtulam longè latéque depopulati, *Zauichoſtũ,* Zauichoſtum etiam arcem incenderunt: indé que in Rußiam reuerſi, depoſita tuto loco præda, quam ingentem abegerant, curriculo in Poloniam hyberno tempore reuerſi ſunt: &, tranſmiſſo Viſtula flumine glacie concreto, *Sendomiriã,* Sendomiriam expugnauêre: progreßiq; longius, nemine prohibente, per *Visliciam,* Viſliciam, *Scarbimiriã, cum quibus.* Scarbimiriam uſque (quod oppidum ſeptem milliarijs abeſt à Cracouia) peruenêre: inde uerò præda onuſti, ingentem etiam hominum utriuſque ſexus forma & ætate florentium, multitudinem loris aſtrictam in morem pecudum præ ſe agentes reuertebantur. Continebat ſe Boleslaus Princeps Cracouiæ, nunquam auſus tantæ hoſtium multitudini ſeſe opponere: *Congreſſus Vulodimirus apud Turſcũ,* cæterùm Vulodimirus Palatinus Cracouienſis, coacta aliquanta manu, abeuntes inſecutus, & ad Turſcum pagum uno à Polanecia oppido milliario ſtatiua habentes ex improuiſo adortus, magnã in perturbatis initio ſtragem edidit: *Vincitur.* uerùm poſtea Tartari, animaduerſa noſtrorũ paucitate, in fugam noſtros uerterunt: pòſt raptim & tumultuariè ſeſe recipiẽtes, & ſaucios ac ægrotos abijcientes, prope Secechouũ in magna ſylua (quę Strenech dicit) aliquot dieb. delituêre: *Iterum Tartari,* inde poſtea in Rußiã rediêre, nec multo pòſt, auctis maiorem in modum copijs, irarum pleni in Poloniam

Poloniam reuertêre: & quum apud Sẽdomiriam biduo ſtatiua habuiſſent, quò plura populationibus complecterentur, *Bifariam diuiſi,* bifariã diuiſi ſunt. ac pars quidem Lencicienſem & Cuiauienſem oram, duce Kaidano, uaſtarũt: *Vaſtant omnia:* cum reliquo uerò exercitu Battus, ſummus eorũ Dux & Imperator, Sendomirienſem tractũ uerſus Camionam fluuium, & Ilzam arcem cũ oppido Epiſcopi Cracouienſis, infeſtauit. *Cum quibus Proceres ac Equites Poloni congreſſi* At Proceres & Equites Cracouienſes & Sendomirienſes, non ferentes, clarißimam patriam, ſe inſpectantibus, tam crudeliter uaſtari: parentes, uxores & liberos ſuos dulcißimos, omni genere contumeliæ afflictos, uel miſerabiliter trucidari, uel in ſeruitutem abduci: Religiones ſanctißimas atque templa Dei Opt. Max. cædibus & libidinibus, & ſanguine ſacerdotũ pollui: Chriſti Ieſu Dei & hominis corpus, cœlitibus uenerandum, impijs Barbarorum pedibus cõculcari: hęc, inquam, non ferentes, ſimul autem conflictu Turcenſi animati, facta manu, *Apud Chmelicum,* apud Chmelicum pagum non longè à Sidlouo oppido Tartaris occurrunt. Pugnatum eſt horis aliquot acriter: *Fortiterq; pugnantes,* ad extremum Tartari multis fortibus uiris amißis cedentes, ad ſubſidiariam aciem ſeſe recepêre, noſtris alacriter inſtantibus & debellatum eſſe credentibus. Ibi uerò denuò inſtauratur prælium. Tartari integri & recentes feßis noſtris & ſaucijs ſuccedunt: noſtri, primo proceſſu freti, extremum conatum faciunt, *Et ipſi pauci à multis uincuntur.* ut aut plena uictoria potiantur, aut honeſtè pro patria mortem oppetant: tandem uerò amißis ducibus & fortißimis quibuſq; militibus, ad paucos redacti, terga dedêre. Ceciderunt eo prælio, inter cæteros, maximè nobiles & pręſtantes, Criſtinus Sulcouicius, Albertus Stempotius, Nicolaus Vitouius, Zementa Grambina, & Sulislaus. Factum eſt autem hoc prælium decima octaua

Boleslai in Vngariam fuga, *Et cæterorū.*

die Martij. Continebat quidem se per id tempus Boleslaus, cum Grimislaua matre & Kinga uxore, in arce Cracouiensi: sed accepto nuncio de clade suorum, in Vngariam cum familia & supellectili, raptim collectis sarcinis, ad socerum profugit: Principis rursus exemplo plurimi mortales ditiores, partim in Vngariam, partim in Germaniam diffugerunt.

DE INCENSA AB IISDEM TARTARIS *Cracouia, uastata Silesia & Morauia, Henrico Pio & numeroso exercitu eius ad internecionem cæso, & S. Heduigis uirili fortitudine.*

Caput IIII.

Tartari, *Incensa Cracouia,* *Silesiam ingrediuntur: & Vuratislauiense oppidum atq;* *Arcem* *Coacti dimittere,* *Propter preces Cieslai Dominicani,*

PORrò Tartari post Chmelnicensem uictoriam ad Cracouiam contendunt, & quum uacuam defensoribus reperissent, flammis in tecta sæuierunt: templum tamen diui Andreæ, quod tum extra oppidum erat, defensum est. Pòst in Silesiam ingressi, quum disiectos Odræ pontes reperissent, compactis ex tempore ratibus, apud Ratiboriam flumen traiecerunt: mox continuato cursu ad Vuratislauiam festinarunt, quam incensam repererunt. Oppidani namque cognito aduentu Barbarorum, munitioni oppidi diffisi, supellectili sua & commeatu comportato, id reliquerant: milites uerò qui in præsidio arcis erant, ne ciuitas hostibus prædæ uel receptaculo esset, hanc incenderant. Indignati ergo Tartari, arcem obsederunt: sed diuino ostento perterriti, fugientibus similes abierūt. Nam Cieslaus unus de comitibus Iuonis Episcopi Cracouiensis Dominicanus, præerat Conuentui Vuratislauiensi: qui ad primū Barbarorum tumultum, cum sodalibus in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna

Apud Legniciā Henrici Pij numerosas copias.

lumna ignea cœlitùs apparens, Barbarosq; perterrefaciens, obsidionem eos soluere coegit. Ab arce ergo Vuratislauiensi Tartari Legniciam, ubi Henricum Ducem cum magnis copijs & auxilijs esse cognouerant, contendunt: Henricus autem procurato sacris mysterijs exercitu, eo quidem erat animo, ut aut uinceret, aut fortiter pro aris atq; focis, & pro populo suo dimicans, occumberet, non modò non deterrente, sed etiam hortante matre Heduigi: quæ futuri præscia, tamen Diuinæ uoluntati repugnare, nefas esse ducebat. Sub Legnicia igitur, ad Nissam amnē, in planicie spatiosa, quæ Bonus Campus dicitur, concurrerunt acies: certabaturq; utrinq; totis uiribus pro uictoria: sed Barbari Magicæ artis præsidio usi, uictoria potiti sunt. Erat enim in extremo illo agmine, inter alia signa, uexillum insigne, cuius pictura X literæ figuram prę se ferebat: in cuspide uerò erat imago tetra nigraq; capitis humani barbati. id ergo uexillum quum signifer uehementius quateret, fumum atq; nebulam densissimam & fœdissimam exhalabat: ea uerò nebula non modò aspectum Barbarorū adimebat, uerùm etiam odore teterrimo nostros enecabat. quæ quidem res totum exercitum nostrorum, nouitate & miraculo rei stupefactum, perturbauit. Henricus itaq; Dux, fortiter pugnans, hoc in prælio occubuit: exercitusq; omnis ad internecionem cæsus. Tantus uerò in eo prælio interfectorum Christianorū numerus fuit, ut singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ, nouem ingentes saccos explerent. inter quos inprimis clari Poloni fuêre, Stephanus Virbenius cum Andrea filio, Clemens Pelcinicius, Thomas Piotricouicius, & Petrus Kuza. Post hanc deinde pugnam Tartari Ratiborensem oram repetita excursione uastarunt: ibiq; octo dies commorati, in Mora-

Magicæ artis præsidio uincunt. *Henricus cū suis ad internecionem ita cæsus,* *Vt auriculæ à singulis singulæ nouem saccos explerent.* *Tartari rursus uastant Ratiborēsem oram, &*

Morauiam, Morauiam inuadunt.quam quum, nemine prohibente,
& & Venceslao Rege in Boemia delitescente, amplius u-
no mense usque ad Austriæ & Boemiæ fines crudeliter
Vngariam. diuexauissent, pòst in Vngariam, superatis montibus
S. Heduigis atq; syluis, peruenerunt. Cæterùm Heduigis, Henrici
mater (quæ monasterij Trebnicensis munitioni diffisa,
Crosna conseruata. Crosnam unà cum grege monacharum & Anna nuru
Henrici uxore, sub aduētum Barbarorum se receperat)
nihil nuncio cladis & interfecti filij commota est: quin
monachas & nurum lamentantes comiter consolata, mi-
nimè deiecto uultu gratias Deo egit, quòd eius munere
talem filium peperisset, cuius ipsa uiuētis pietatem sum-
mam in se semper experta esset, quiq; ad extremum pro
Religione & populo suo uitam alacer proiecisset.

DE BOLESLAO CALVO ET CONRADO *& Boleslao Pudico Principibus, & Cracouia à Tartaris direpta.* Caput V.

HEnrico itaq; Pio cæso, Boleslao Pudico nusquam
comparente, oppidis, pagis, uicis ad uastitatem re-
dactis, nobilitas Cracouiensis & Sendomiriensis dete-
riora etiam timēs, quòd sine Principe & Magistratibus
Boleslao Caluo Principe facto, esset, inito consilio, Boleslao Caluo, Henrici Pij filio na-
tu maximo, Principatū detulit: atq; is Princeps factus,
statim Magistratus creauit: Clementem de Ruscia Su-
lislai filium gente Gryphium Palatinum Cracouiēsem
Conradus contra eum fecit. quod quum accepisset Conradus, Dux Masouiæ,
permolestè tulit, alienum sibi, Cazimiri Principis filio,
A Suentopelco auxilia impetrat: Lesci Albi fratri, in Principatu prælatum esse. Itaq; col-
loquium à Suentopelco Duce petijt: fœdus cum eo per-
Interim uerò Tartari cussit: auxiliaq; ab eo contra Boleslaum Caluum impe-
trauit. Interim autem, dum Conradus in apparatu belli
occupa-

occupatus est, Tartari ex Vngaria per Scepusiensem tra-
ctum excursione facta in Poloniam, Cracouiam inexpe- *Cracouiā diripiunt, &*
ctati aduolarunt: direptaq; urbe, & maiore quàm prius
cæde hominum facta, cum ingenti præda in Vngariam *In Vngariam redeunt.*
per Osuecimense territorium citi reuersi, atq; ibi tres an-
nos commorati sunt. Conradus uerò Dux, omnibus ritè *Conradus,*
ad bellum comparatis, in Sendomiriensem & in Craco-
uiensem tractum duxit exercitum: & facilè munitiones *Per uim princeps factus,*
omnes, opera Zegotæ gente Toporij eiusq; familiæ &
clientum, dedentibus sese ultrò omnibus, in suam rede-
git potestatem. Cæterùm quum Princeps factus acerbè *Statim rursum sua iniusticia principatum perdit: &*
exactionibus laboribusq; non solùm oppidanos & a-
grestes, uerùm etiam Sacerdotalem & Equestrem ordi-
nem uexaret: à Clemente Palatino Cracouiensi, Craco-
uia in suam potestatem redacta, eiectoq; Conradi præ-
sidio, Boleslaus Pudicus reuocatus cum uxore uenit. *Contra Boleslaū Pudicum reuocatum*
cui uenienti ingens multitudo hominum omnis ordi-
nis, ætatis atque sexus, exultans & gratulabunda sese
offudit: & mox nouum iusiurandum Principi Proce-
res dicunt. Factus autem certior Conradus de reditu
Boleslai, conscripto exercitu, accitis etiam in auxilium *Pugnās cum magno exercitu,*
Præmislo Posnaniensi & Miecislao Opoliensi Duci-
bus, Lituanisq; item & Iazygibus siue Iazuingis bar-
baris (qui, eiusdem cum Lituanis linguæ, Podlassanie:
eorumq; regio Polesse siue Podlesse, quasi tu dicas Sub-
syluana, uocatur) tractum Sendomiriensem popula-
bundus ingreditur: nec Boleslaus committendum sibi
existimauit, quin sua defenderet: & ad Suchodolum *A paucis uincitur.*
pagum Conrado occurrens, quamuis esset uiribus lon-
gè inferior, tamen pugnandi copiam fecit. Et fauit sanè
iustiori causæ Deus, hominumq; preces pro Boleslao
passim supplicantium exaudiuit. Commisso enim præ-

 lio,

lio, numerosus ille Conradi exercitus cum Ducibus suis à Boleslao fusus, & in fugam actus est: uictorq; moderatè uictoria usus, neq; fugientes longius prosequutus est: & saucios benignè recreauit, & captiuos dimisit. cuius quidem moderationis fructus hic mox cõsequutus est. Nam reliqui de nobilitate Sendomiriensi statim in potestatem Boleslai uenêre. Boleslaus itaq;, recuperatis omnibus quæ absens amiserat, Cracouiam reuertens ingenti omnium gratulatione excipitur.

Boleslai moderata uictoria

Fructus.

DE BOLESLAO CALVO MAIORIS Poloniæ duce, & S. Heduigis morte ac sanctitate. Cap. VI.

NEc in maiore Polonia, post Tartaricum bellum, quietæ res fuêre. Henrico enim Pio à Tartaris interfecto, Boleslaus Caluus filius eius natu maximus (de quo dudum diximus) Dominatum suscepit: quidum grauis nobilitati & cæteræ multitudini esset, Theutonasq; Polonis & quidem infimos optimatibus præferret, malè hæc res Polonorum Proceres habebat. Itaque questi inter se de fastu Ducis & contemptione sui, celeriter contra eum, autore Bogumilo Palatino Posnaniensi & alijs, conspirarunt: & Conuentu apud Posnaniam acto, Præmislaum & Boleslaum Vuladislai Sputatoris filios, bonæ indolis iuuenes, accient: abdicatoq; Boleslao Caluo, Duces eos sibi constituunt, ac uenientibus arces & munitiones tradunt. Tulit eam iniuriam non iniquissimo animo Boleslaus Caluus, suadente auia Heduigi, quæ tunc nepoti, ne iniustè iustis hæredibus olim ereptum retineret aut repeteret Principatum, persuasit: quin is etiam posteriori tempore affinitatem cum Præmislao contraxit. Porrò Heduigis, anno qui fuit

Principatu Maioris Poloniæ Boleslaus Caluus,

Dum grauis fit Polonis,

Exuitur, daturq; is Præmislao & Boleslao.

Boleslaus Caluus æquo id fert animo, à sancta Heduigi persuasus.

fuit à Christo nato 1243. mortua est, & sepulta Trebniciæ. cuius corpus, quod croceum, dum uixit (propter rationem uictus duram atque tenuem, assiduaq; ieiunia) fuerat, post mortem insolito splendore coruscasse fertur, Deo perhibente testimonium sanctimoniæ & pietati eius: quanquam tertio demum & uicesimo anno pòst, à Clemente Pontifice Maximo in numerum Sanctorum, examinato bene ac diligenter negocio, relata est.

Ann. 1243. S. Heduigis sanctitas.

Inter Diuos relata.

DE CONRADI IRRITIS CONATIbus, ac morte & filijs, Boleslai Pudici imperio laudabili, & relaxato Polonis XL. ieiunio. Cap. VII.

COnradus autem Dux Masouiorum, renouata aduersus Boleslaum Pudicum expeditione, dum illũ Cracouię obsidet: uno à Cracouia milliario supra Vistulam, nouam arcem munit in eo colle, in quo monasteriũ Tinecense situm est: aliam item, apud Lelouiam oppidũ, decimo à Cracouia milliario: sed quum nihil obsidione proficeret, Lelouiensi arce Miecislao genero cõmendata, Tinecensi suo præsidio bene munita, in Masouiam reuertit. quæ omnia iterum in Boleslai Pudici uenêre potestatem, ita ut paruo negotio omnes Conradi conatus, labores atq; sumptus, in irritum tunc ceciderint. Nec ita multò pòst is extremũ uitæ clausit diem, relictis tribus filijs superstitibus, Boleslao, Cazimiro & Zemouito, anno Christi nati 1247. Quum autem Boleslaus filius paucis diebus patrem secutus esset, Cazimirus non acquiescens in Lenciciẽsi & Cuiauiensi Dominatu (quem ipsi uiuens pater attribuerat) Siradiam, Spicimirum & Rospram arces inuasit, & fratrem Zemouitum, cum uxore

Conradus iterum cõtra Boleslaum belligerat,

Et arces nouas munit,

Frustra:

Pauloq; pòst moritur.

An. 1247. Ex tribus filijs eius Boleslao mortuo, Cazimirus fratrem Zemouitũ in uincula conijcit:

Boleslaus uerò Pudicus magna cum laude praest. uxore Gertrudi captum, in uincula coniecit: Boleslaus uerò Pudicus, à morte Conradi pacem nactus, collapsa & uastata bello restaurare, deprauataq; corrigere instituit: magnamq; mansuetudinis & probitatis laudem, etiam apud exteros, adeptus est. qui status rerum eius orae hoc fuit admirabilior, quòd non modò cætera Poloniae, uerùm etiam tota penè Europa, bellis ardebat. *Bella Europæ.* Venerat his temporibus Iacobus Leodiensis Archidiaconus, *Legato à Pontif. misso Contra uim Friderici datur subsidiũ, Synodo Vuratislauiæ coacta:* legatus ab Innocentio Pontifice maximo, cùm ad res Polonicas componendas, tum ut Pontifici, à Friderico Imperatore uehementer exagitato & afflicto, aliquid subsidij corrogaret: itaque conuocata Vuratislauiam Episcoporum synodo, impetrauit, ut quinta pars redituum Ecclesiasticorũ ex tota Polonia in triennium ei decerneretur. *Legatus uerò relaxat nobis XL ieiuniũ.* Relaxauit autem tunc Polonis partem ieiunij eius, quod est solenne cunctis Christianis, ante Pascha. Nam, quum id totis nouem hebdomadis ueteri Pontificum instituto uulgò seruarent, indulsit, ut esset deinceps hebdomadarum sex & dimidiæ.

DE SALINIS BOCHNENSIBVS INVENTIS, & S. Stanislao in Diuos relato.

Caput VIII.

Ann. 1252. Sal Bochnensis repertum. ANno Christi Domini 1252. salis metalla apud Bochnam pagum (quod iam oppidum est) quinto à Cracouia milliario, inuenta sunt: unde uberes Boleslao Pudico reditus accessêre. Kingæ uerò uxoris eius pietati & sanctimoniæ beneficiũ id, nõ modò Polonis, uerùm etiã finitimis populis perutile, acceptum refertur. quo etiam tempore alius simul thesaurus ingens & incomparabilis extitit Cracouiæ. *S. Stanislaus.* Nam diuus Stanislaus martyr Christi, & Episcopus quondã Cracouiensis, uerum sanè sal mundi, satagente Boleslao Principe & Episcopo Craco-

Cracouiensi Prendota, ab Innocentio quarto Pontifice, de Amplissimi Collegij sententia, re diligentissimè iterum atq; iterum examinata, in numerũ Sanctorum relatus est, *In numerum Sanctorũ refertur, post An. 1253.* centesimo demũ & quinto ac septuagesimo anno post mortem, qui fuit post Christi Natalem 1253. In qua re perficienda quum non minima difficultas esset, propter tantam temporum intercapedinem & uetustatem, uno atq; altero miraculo diuinitùs edito sublata est omnis dubitatio. *Miraculum I &* Primùm enim Reginaldus Hostiẽsis Episcopus, uir grauissimus, qui maximè huic negotio aduersabatur, subito grauissimoq; morbo correptus & aliquot dies afflictus, diuo Stanislao in ægrotatione illa sibi apparente, & se clementer ab eo quod unus maximè ipsi aduersaretur obiurgante, curatus est. eoq; tam euidenti miraculo permotus Pontifex Innocẽtius, rem tam diu comperendinatam tandem ad sextum Idus Septembris, Assisij in basilica D. Francisci memoriæ dicata, solẽni ceremonia peragere statuit. qua die illucescente, quum ipsemet Sacris operaretur, ecce in basilicam infertur adolescens nuper mortuus. Ibi Pontifex, humi prostratus, Deum orat, ut iuuene illo ad uitam reuocando, sanctitatem sui Martyris Stanislai luculentius declararet. *II. eiusq;* Vix pauca elocutus erat, quum uiuus atque sanus exsurrexit, qui erat mortuus. Sacris autem atq; cerimonijs ritè peractis, ipse Pontifex è superiore loco pro concione grauem & luculentum sermonem habuit de uita ac meritis S. Stanislai: eiusq; memoriæ diem anniuersarium ad octauum Idus Maij, quo die cæsus est, dicauit. *Dies festus, et* Anno deinde sequenti, Prendota Episcopus Cracouiensis sacri corporis eius reliquias solenni pompa de sepulchro leuauit, & hominum uenerationi exposuit. *Reliquiæ leuatæ, In hominum frequentia.* Adfuit uerò huic celebritati, præter Episcopos & Clerum, Bo-

 leslaum

leslaum & alios Principes ac Equites, tanta multitudo, non modò ex Polonia, ſed etiam ex Sileſia, Morauia, Boemia, & Vngaria, ut urbs nō exigua eā non caperet, ſed in campis ea ſub diuo gregatim diuerſari cogeretur.

Incredibili.

DE PRAEMISLI DVCIS POSNANIENSIS PIETATE INSIGNI, & S. IACINCTI MORTE. Caput IX.

An. 1257. Præmislus Dux Poſnanienſis moritur. Princeps ſummè pius.

ANno Chriſti 1257, Præmislus triginta ſex annos natus, pridie Nonas Iunij immatura morte extinctus, & Poſnaniæ ſepultus eſt. Mitiſsimus hic erat ſui temporis Princeps, & ſupra ætatem prudens: iuſtitia autem, & animi moderatione in iudicando tanta, ut eius iudicium uictus atque uictor ex æquo probarent. Ebrium, aut iratum, eum nemo uidit. uſqueadeò uerò addictus fuit Religioni & cultui diuino, ut per tempus Quadragenarij ieiunij, cilicina ueſte ſuper nudum corpus, & uino diluto admodum, aut inſipidiore ceruiſia uteretur. Nocturnis temporibus, quum dormire putabatur, prolixæ precationi uacabat. Porrò qua die Cœnam Chriſti ultimam anniuerſario ritu recolimus & repræſentamus, duodecim pauperum pedes reuerenter abluere, exterſosq́ deoſculari, & pauperes ipſos ueſtire, quotannis ſolitus fuit. Ouenſcenſe monaſterium Ciſtercienſis ordinis puellis ad Vartam fluuium condidit: Srodecenſe uerò Dominicanorū Poſnaniam tranſtulit: Gneſnenſe etiam ptochodochium, Sepulchri Chriſti militibus contulit, & commendauit, & Præpoſito Mechouienſi ſubiecit. Præter multas autem pias largitiones, Gneſnenſi quidem Eccleſiæ Cirnelinum pagum, Poſnanienſi uerò Bucum oppidum donauit, non ſine inuidia & offenſione Procerum. Reliquit autem quatuor filias, ex Elizabetha uxore ſuſceptas, & filium

X L Ieiunium.

Dies Cœnæ Chriſti.

Monaſteriū Ouenſcenſe, ac Dominicanorū Poſnanienſe, et Ptochodochium Gneſnenſe.

Cirnelinus pagus. Bucum oppidum. Præmisli liberi.

lium poſthumum poſt quartum menſem natum, cui paternum nomen inditum eſt. Eodem tempore Iacicus ſiue Iacinctus, diui Dominici inſtitutum uitæ profeſſus, poſt exhauſtos multos labores in Polonia & Ruſsia pro Religione Chriſtiana, de exilio huius uitæ in cœleſtem domum commigrauit, ad decimum octauum Calendas Septembris.

S. Iacincti mors.

DE TERRAEMOTV, CIVILIBVS MOTIBVS, & Polonia iterum miſerè à Ruſsis atq; Tartaris uaſtata. Caput X.

An. 1258. Terræmotus ingens.

ANno ſequenti terræmotus uehemens Poloniā concuſsit: & animos hominū, propter raritatē rei, non metu tantùm, uerùm etiam religione impleuit, uelut magnorum malorū, quæ mox conſecuta ſunt, prodigium. Nam & ciuiles motus, inter propinquos, cognatos, fratres, parentes, atq; liberos, extiterunt: & dum hi bellum inter ſe gerunt, Tartarorū ingēs uis, Nogaio & Celebuga Ducibus, in Poloniā ſeſe per Rufsiam mēſe Decembri effudit, Rufsis ipſis adiutoribus atq; ductorib. Flumina iam tūc glacie concreta erant: itaq; ſumma celeritate uſi, & Lublinenſem oram (quam à Lituanis uaſtatam ſuperiori tempore Daniel Ruſſorū Rex, arce Lublinēſi intercepta, ac turri rotunda præſidioq́ firmata, uſurparat) prætergreſsi, in Sendomirienſem impetū faciunt, & plurimos mortales incautos opprimunt: monaſterium Zauichoſtenſe (quod Boleslaus Pudicus nuper cōdiderat, & uiginti quinq; pagis dotatū, Deo dicatis uirginibus attribuerat) diripiunt, itemq; id quod in Lyſſecio ſiue Caluo Monte ſitum eſt: Sendomirienſe oppidum incendunt: arcem die nocte'que oppugnant, uerùm nullo operæ pretio. Nam à multis ea gnauiter defendebatur, Ibi Ruſſorum Duces Leo & Romanus Danielis filij,

In ciuilibus motibus Tartari,

Menſe Decembri Ruſsis ductorib.

Sendomirienſem oram & Monaſteria uaſtāt ac diripiunt:

Inceſaq; Sendomiria, Arcem doloſa perfidia Ruſſorum.

filij, & Basiliscus frater, qui in castris Tartarorum erant,
primùm per internuncios, deinde per se ipsi cum Petro
de Crempa Præfecto arcis agunt, ut, si se arcemq; serua-
tum iri uelit, ad Tartarorum Duces in castra ueniat: par
uo se, arcemq; & omnem multitudinem redimat. fidem
dant, nihil in ea re fore periculi. Credidit Prẹfectus, Rus
sos Christiani sanguinis misericordia cōmotos (quem-
admodum præ se ferebant) illa suadere & recipere: itaq;
cum Sbigneo fratre & Primoribus ex Nobilitate ad ca-
stra hostium, quemadmodum cōuenerat, proficiscitur:
Duces Barbarorum, ut erat edoctus à Rusis, adorat: de
Miserè neca- salute sua & arcis, supplex agit. Barbari autem, ut sunt fal
tis Primorib. lacissimi fideiq; expertes, in supplices impetum faciunt:
Nobilium, spoliatos & uerberatos immaniter obtruncant: & confe
Capiunt, stim sublato clamore, effuso cursu in arcem, nihil tunc
Cædunt, exspectantibus defensoribus, inuehuntnr, in cædeq; ho
minum grassantur: defessi autem cædendo, reliquū uul-
gus hominum gregatim in Vistulam impellunt. Tanta
uerò cædes in arce tunc facta esse dicitur, ut sanguis cæ-
Incendunt. sorum ad Vistulam usq; deflueret. Incensa arce Barbari
Cracouia nulla mora interiecta uersus Cracouiā, Rusis Ducibus
quoq; itineris, cōtendunt: & urbem, defensoribus uacuā (nam
Incensa, & Boleslaus cum uxore in Vngariam profectus erat) in-
Opoliensi tra cendunt: pòst cædibus & incendijs usq; ad Bythoniam
ctu uastato, in Opoliensem tractum impunè prouecti, post alterum
in Rusiā re- siue adeò tertium mensem præda onusti in Rusiam re-
deunt cū præ
da.
An. 1260. uerterunt. Annus autem quo hæc gesta sunt, fuit post
Stragis illius Christū natum 1260. Huius stragis memoria in hodier-
Sendomiriæ
anniuersaria num usq; diem, quasi martyrum Christi, anniuersaria ce
celebritas. lebritate postridie Calendas Iunij Sendomiriæ magno
populi concursu recolitur, magna Alexādri quarti Pon
tificis maximi indulgentia cumulata ac dedicata.

DE

DE DANIELE RVSSORVM DVCE, *Lituanis Iazygis Christianis factis, Comete, & Crucigeris afflictis.* Cap. XI.

PEr hæc tempora Daniel Romani Ducis filius, ad- *Daniel po-*
uersæ factionis Ducibus uel domitis uel in suā sen- *tentissimus*
tentiam adductis, magnam sibi potentiam & ferè Mo- *apud Russos*
narchiam in Rusis Australibus usurpabat: & quò maio *quasi Monar*
rem sibi auctoritatem compararet, Legatione ad Opis- *cha,*
sonem Legatum Apostolicū in Poloniam missa (quum *Ementita à*
promitteret, se cū uniuersa gente sua ad Catholicæ Ec- *Legato Pon-*
clesiæ societatē accessurum: ac Christianas regiones ad- *tificio*
uersus Tartaros, qui iam ingentem formidinē omnibus
Christianis Principibus incusserant, defensurū) nomen *Dignitate*
ac diadema Regium sibi ac posteris suis impetrauit. ue *Regia,*
rùm consecutus id quod concupierat, fidē & iurisiuran-
di religionem uiolauit: & in pristinū errorem relapsus,
non modò non defendit à Barbaris Christianos, uerùm
etiā cum Barbaris infestauit. Nam eodem ferè anno to- *Masouiam*
tam penè Masouiā Rusi uastarunt, & Cuiauiæ magnā *uastat &*
partem depopulati sunt. Aestate etiā sequēti Lituani in *Cuiauiam.*
Masouiā excurrunt: & non respondente eorū cupiditati *Lituanos Ia*
præda, longius progressi Louicense territoriū ferro & *zygas uastan*
incēdijs uastarūt. Non putauit autē Boleslaus Pudicus *tes Masouiā,*
prætermittendā sibi esse illam occasionē, quin Iazygas *Boleslaus*
finitimos & infestos regionibus suis ulcisceretur: itaque *Princeps ul-*
duxit in eos exercitū. qui fortiter dimicātes, & Conatho *ciscitur: &*
etiā Duce amisso pedē non referentes, ad internecionē
usq; cæsi sunt, adeò ut ex eo tempore nomē quoq; Iazy
gum penè deletum sit. Regione autem eorū Boleslaus
potitus, exiguas gētis reliquias Christianā Religionem *Religionem*
suscipere, capitali pœna in cōtumaces sancita, coegit: &, *Christianam*
ne regio uasta maneret, colonias eò deduxit: ab Vrbano *suscipere co-*
git,

Impetrato eis Episcopo Lucensi.

autem quarto Pont.Max.impetrauit mandatum ad Archiepiſcopum Gneſnenſem,ut nouum genti præficeret Epiſcopum. Atq; is,ni fallor, Lucenſis ſiue Luceorienſis eſt Epiſcopus,cuius eſt ea etiam nunc diœceſis, tunc uel aliquanto pôſt à Pontifice creatus. Annus hic fuit poſt Chriſtum natum 1264,quo poſt cometæ apparitionem,peſtis acerba in pecora & pecudes in Polonia graſſata eſt: in Pruſsia uerò Crucigeri, aduerſa fortuna uſi, penè deleti ſunt à Barbaris.

An.1264. Cometes. Pestis. Crucigeri afflicti.

DE RVSSIS DIVINO PRAESIDIO VICTIS, & Salomeæ ſanctitate. Cap. XII.

Russi inuadentes Sendomir. tractū repressi: &

INſequenti anno Ruſsi Duce Suarnone, magna ui in Sendomirienſem oram populabundi inuaſere: ſed à Proceribus Sendomirienſibus præter opinionē occurrentibus inſigni clade profligati, in turpem fugam acti ſunt. Irritatus autē uehemētius quàm ſolebat Boleslaus excurſionibus Ruſſorum, expeditionē in Ruſsiam ſuis indicit:ad Ropciciam oppidum conuenire omnes iuſsit: ſumma rerū & adminiſtratio belli Petro, Palatino Cracouienſi,cōmiſſa.Nam Boleslaus ipſe ad eam expeditionem profectus nō eſt:uerùm,precationibus & ſupplicationibus cum Kinga uxore uacans,exercitus ſui curā & protectionem Deo cōmendabat. Petrus itaq; ſuſcepto exercitu hoſtilem regionē ingreſſus, prudenter & accuratè omnia agere cœpit: non multumq; in hoſticū progreſsis Polonis,ad Pietam (hoc loco nomē eſt) Suarno Dux Ruſſorū cum Tartarorū copijs occurrit. Sequēti die, q̄ erat decimus nonus Iunij,quòd eo proſperè cōtra eoſdē Ruſſos apud Zauichoſtū ante cōplures annos dimicatum erat,educit ſuos in aciem Petrus:nec detrectauit pugnā Suarno. Eminus quidē primùm, Poloni baliſtis,hoſtes arcubus pugnabant: ſed quoniā eo pugnan-

A Petro Palatino, Boleslao cum Kinga precationi instāte, lib.6.ca.5.

di genere meliore loco erat res hoſtiū, magno mox impetu Poloni in hoſtiles acies inuehūtur, & cominus haſtis atque gladijs rem gerunt. Nec mora,ſuperiore loco rurſum noſtrorū res eſſe cœpit: referunt pedem hoſtes, inſtant noſtri:uniuerſa acies hoſtium cōuertitur, & mutuò ſeſe impellit & impedit: cædunt noſtri terga fugientium,& plurimos abiectis armis uiuos capiunt,& plena potiuntur uictoria.Ea uerò clade animi Ruſſorū ita fracti, ut permultis deinceps annis nihil hoſtile contra Polonos molirētur. Porrò Boleslaus abundè cōtentus repreſsiſſe ea uictoria hoſtes, ipſe quoque quieuit, benignus & mitis Princeps: cuius cū uxore precibus à Deo impetrata illa uictoria exiſtimata eſt magis, quàm humanis uiribus parta, de tanta ſcilicet multitudine, ut quadruplo ea noſtros excederet. quin & illud memoratur, orāti Kingæ adſtitiſſe duos candidatos,& futurum belli euentū prædixiſſe: atq; ij Geruaſius & Protaſius, quorū memoriæ dicata erat dies illa qua pugnatum eſt, crediti ſunt. Sub id tempus Solomea Haliciēſis Regina,Boleſlai Pudici ſoror,quū poſt mortē Colomāni uiri integra in Zauichoſtenſi monaſterio,deinde in Scalenſi,ſanctè pieq; uitam exegiſſet:natu iam grandior defuncta eſt,& funus Cracouiam ad D.Franciſci ædem illatum.Fertur autem, Corpus eius multis diebus poſt mortem ſeruatum ſuauem odorē ſpiraſſe, & oleum ſudaſſe, quo inuncti ægroti conualuerunt.

Victi ac cæsi, Nihil hostile postea molientes. Victoria autem hæc Precibus piorum Principum & castorū tribuēda, Confirmante id uisione. Salomeæ uiduæ,et in monasterio sancte uiuentis, Pia mors,& Confirmata miraculis sanctitas.

DE 36 PVERIS VNO PARTV, VITVLO mirabili,& hiſtoria horribili. Cap. XIII.

POrrò anno,qui fuit à Chriſto nato 1269, multa portenta & prodigia in Polonia extiterunt. In Cracouienſi quidem regione honeſta quædā matrona Margarita, Virboslai Comitis uxor, triginta ſex pueros uiuos

An.1269. 36 pueri uno partu editi.

uno partu edidit, uicesima die mensis Ianuarij: Calissij uerò, intra octauam Natalis Christi, natus est uitulus cum duobus caninis capitibus atque dentibus, & septem pedibus uitulinis. Capitum autem, maius quidẽ in suo loco: minus uerò, ad caudam situm erat. ab eius cadauere canes atque uolucres abhorruẽre. Non libet autẽ etiam hoc miraculum silentio præterire, quod illo tempore, multis testibus, accidit. Homo quidam splẽdidus Equestris ordinis, sed uiolentus & rapax, & suis iuxtà ac alienis grauis, quum grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdam uiris, ut ad Dei clementiam confugiens, animæ suæ saluti consuleret: negauit sibi ueniæ locum relictum esse. Iam enim Diuino iudicio traditum se esse Dæmonum potestati, aiebat. Nec mora, audiũtur à circumstantibus uehementiũ uerberum & percussionum strepitus: apparent in corpore ægroti fœdi liuores atque uibices, ita ut omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix ter infelicem animam exhalauit, hic orsus supplicia, quæ deinde apud Inferos æternùm expenderet: ut
» esset exemplo ijs, qui ex aliorum incommodis student
» sua commoda parare.

Vitulus duo capita & 7. pedes habẽs.

Horribilis historia de uiolento et rapace Equite.

DE CONIVRATIONE A' BOLESLAO extincta, & Lituanorum excursione.

Caput XIIII.

An. 1273. Coniurationis in Boleslaum causa

I. ANno Christi 1273, coniuratio à subditis in Boleslaum Pudicum oritur, prætexẽtibus causam offensionis, quòd is, se inscijs nec de Conuentus sententia, Lescum Nigrum, Ducem Siradiensem, propinquum suum, hæredẽ nuncupasset. Erãt & aliæ quædam causæ, quæ bonos etiã uiros nõ paucos infensiores Boleslao
II reddiderant: nimirũ quòd is, indulgentia aut negligẽtia quadã, calũnias in Iudicijs regnare patiebatur: quibus impli-

implicati simpliciores, multi graues mulctas expendere cogebãtur, multi patrimonijs exuebãtur. Adhæc onero- III
sus erat nobilitati, propter crebras uenationes: eò quòd & canes Principis alere, & equos atque subuectiones ipsi præbere, omnibus passim, quacunque iter faciebat, necesse erat. His igitur de causis plures infensi erant Boleslao: sperabantque mutatione Principis defunctum se iri illis malis. Itaque conuenticulo habito, ad Vuladislaũ Ducem Oppoliensem mittunt, Principatumque ei deferunt. Non refutat ille oblatum Principatum: sed tamen Conuentum illum omnem Oppoliam ad se uenire iubet, ut ibi ea res iureiurando & literarum monumentis confirmaretur: faciuntque illi iussa, Oppoliam frequentes proficiscuntur. Nihil autem horum Boleslaum latebat: itaque se stinus ad sedanda mala domestica, Opauia reuertitur, & proficiscentes Oppoliam aduersarios incompositos & inopinantes, cum aulico suo Procerumque comitatu, apud Bogucinum pagum, altera die mensis Iunij, adoritur. Nec illis animus, ad defendendum sese, defuit: committiturque atrox pugna, nemine referẽte pedem: sed Boleslao ad extremum cessit uictoria. Oppressa autem coniuratione, siue adeò bello ciuili, paucis diebus Lituani in Lublinensem oram excursionem fecẽre, magnamque prædam auexẽre, nemine prohibẽte: Boleslaus uerò Pudicus, iratus Vuladislao Oppoliensi Duci (quòd suis, nouas res molientibus, fauisset) exercitu conscripto, Oppoliensem & Ratiboriensem oram omnem infesto exercitu depopulatus est, ita ut suburbana quoque primorum oppidorum exureret: uerùm posthac, Boleslai Calissiensis Ducis opera, in gratiam rediere.

Vuladislao Duci Oppoliensi dum Principatus defertur,

Boleslaus factam cõtra se

Coniurationẽ opprimit. Lituani excurrunt in Lublinensem oram, & Boleslaus. Ducem Oppolien. ultus.

Redit cum eo in gratiam.

DE PVERIS DVOBVS MIRACVLOSIS, Lituanorum cum Prussis excursione, Boleslai morte & moribus, & pietate Kingæ.
Cap. XV.

NIhil autem, illo & proximo deinde anno, memorabile usquam in Polonia gestum est, preterquam quòd duo portenta in Cracouiensi territorio extitisse memorantur. Nam puer quispiam dentatus, eodem quo natus est die, distinctè & articulatè locutus est, donec Religioni Christianæ initiatus, & dentes & sermonis usum amisit: alius uerò semestris in urbe Cracouiensi, prolocutus Tartaros aduenturos & Polonorum capita præcisuros, prædixit: quod post duodecimum annum euenit. Eodem anno, qui fuit 1276. Lituani cum Prussis peruastata Masouia Culmensiq; & Cuiauiensi tractu, Lencicienſem quoq; crudeliter depopulati, ingentem prædam abegerunt: in qua quadraginta millia hominū fuisse memorantur. Tunc quoque prodigium circa Cracouiam apparuit. Etenim nocte media, in qua initium noui anni est, cœlum clara & non iniucunda luce ad breue tempus resplenduit, Principis mortem (quod re postea comprobatum est) portēdens. Nam sub finem eiusdem anni, qui fuit à Christo nato 1279. ad quartum Idus Decembris Boleslaus Pudicus mortuus, & Cracouiæ apud D. Francisci (quod monasterium ipse condiderat) sepultus est: benignus & religiosus Princeps, & in egētes cultumq; Dei ac ministros eius munificus. Cunctos enim sacri Ordinis homines, eorūq; adscriptitios, omni prorsus onere seruitutis atq; pensionis Duci debitæ, etiam telonij, liberauit, & ab omni suorum iudicum & magistratuum, suaq; ipsius iurisdictione exemit: Episcopum autem Cracouiēsem, omnino Ducali Iure in bonis suis esse

Puer dentatus statim locutus baptisatur. *Alter semestris prædicit Tartarorum aduentum.* An. 1276. *Lituani cum Prussis crudeliter multa uastant.* *Prodigium.* *Mortem Boleslai portendens.* An. 1279. *Boleslai mors, & Sepultura, & Pietas.* *Immunitas Ecclesiasticorum, &* *Iurisdictio.* *Episcopus Cracouiensis Ducalis Iuris.*

esse iussit. Cōdidit etiam ac dotauit Crisanouicense monasterium, supra Nidam amnem, Præmonstratensibus uirginibus: Cracouiæ itē apud S. Marci, Ordinis Mendicantium: qui uocatur, de Pœnitentia beatorum Martyrum. Regnauit Boleslaus hic, seu uixit potius post mortem patris, quinquaginta duos annos. Mortem uerò eius Kinga uxor, uirgo etiam tum, moderatè tulit: quin gratias egit Deo, quòd se coniugij uinculo tandem liberasset: ac mox cum sorore Iolēta (quæ, post mortem mariti Boleslai Calissiensis Ducis, ad eam se contulerat) distractis & in usus egenorū distributis facultatibus suis, diui Francisci religioni & instituto uitæ sese addixit: & ueterem Sandeciam, nequicquam refr agantibus & renitentibus Proceribus, commigrauit: ibiq; reliquum tempus uitę in monasterio, à se & uiro suo condito, peregit.

Monasteriū Crisanouicense, & S. Marci Cracouiæ. *Kingæ uirilis animus, &* *Vita cum sorore Iolenta* *Monastica.*

LIBER VIII.

DE LESCO NIGRO, BELLO CVM LEONE Duce Russorum, & Henrico Duce Vratislauiensi.
Caput I.

BOLESLAO Pudico in Principatu Cracouiensi & Sendomiriensi Lescus Niger, ex fratre ipsius patruele ortus, successit: nec tum sanè quispiam ipsi aduersatus est, bello à Russis ingruente, cuius metus locum atq; spatium nouandis rebus non dabat. Nam Leo princeps in Russorū Ducibus, Danielis filius, post Boleslai mortem media hyeme in Lublinensem oram cum ingenti Russorum, Tartarorum, & Lituanorum exercitu inuaserat: eaq; peruastata, Sendomiriensem quoq; tractum ferro

Lescus Niger Princeps. *Leo Princeps Russorum uastat Lublinensem oram:*

Sed reprimitur ac ferro & igne infestabat: sed eum Varsius Cracouiensis Castellanus, & Palatini duo, nempe Petrus Cracouiēsis, & Ioannes Sendomiriensis, apud Goslice pagum, cum parua manu, temerè quidem, sed tamen euentu prospero, represserunt ac in fugam egerunt. *Vincitur,* Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia, capta duo. *Ipso Lescone Russiam* Nec cōtentus ea uictoria Lescus, in Russiam duxit exercitū, Leonem ulturus: qui nondum resumpto è superiori clade animo, in penitiora Russiæ sese receperat: *Ad Leopolim usq; uastante.* quocirca impunè Lescus hostilem regionem ad Leopolim usq; (quę arx cum oppido ab isto ipso Leone condita esse, & nomen sumpsisse uidetur) peruagatus, ingētem prædam abegit. *An.1281.* Sequenti deinde anno, qui fuit 1281, Vuratislauiensem Ducem Hēricum quartum (quòd Præmislum Maioris Poloniæ, & Henricū Legnicensem Boleslai Calui, & Henricum Glogouiensem Conradi filium, Duces ad con-*Henrici Vuratislauien. Ducis à Lesco Principe* uentum & colloquium euocatos, ac nihil hostile timentes, ceperat) bello ultus est. *Perfidia uindicata.*

DE BELLIS LITVANICIS, ET EXTINctis reliquijs Iazygum. Caput II.

Lituani cum Iazygibus Lublinensem oram depopulati, à Lesco Principe INsequenti anno Lituani cum Iazygum reliquijs subita excursione Lublinensem regionem tripartito agmine crudeliter depopulati sunt. Iura tunc, de more, Lescus reddebat Cracouiæ, quum de Barbarorum excursione certior factus est: quos mox insecutus, quū abijsse præda onustos accepit, angebatur animo: tandem labore itineris fatigatum sopor inuasit: expergefactusq; po-*Post uisionē,* stero die lætus, ab Archangelo Dei Michaele in somnis confirmatum se, & sponsione certæ uictoriæ persequi Barbaros iussum esse, pro cōcione exposuit. quo sermone animatis militibus, recentibus abeuntium uestigijs insistens,

insistens, inter Naruam & Nemenem flumina eos consequitur una & simplici acie: quòd & locus syluis cinctus, angustus, & exiguæ copiæ, diducere manum in plures acies non sinebant. Nec segniter & Barbari primos nostrorum impetus excepêre: sed in pugnam intentis Barbaris, captiui signa suorum conspicati, fortuitò oblatis telis à tergo adoriuntur: inermes quoq; & fœminæ clamore sublato suos animabant, & hostibus terrorem incutiebant. *Captiuis adiuuantibus,* Itaque hoc ancipiti malo perturbati Barbari, effusa fuga proximas syluas petunt: *Vincuntur.* instat fugientibus Lescus: instant & captiui, mutuò sese cohortantes: nox tandem persequendi finem fecit. In eo prælio reliquiæ Iazygum, qui pertinacius nostris restiterant, & à suscepta Religione defecerant, penitus extinctæ sunt: *Iazygibus deletis,* de Lituanis quoque, qui quatuordecim millia bellatorum expleuisse dicebantur, non multi sanè euaserunt: *Lituanis paucis elapsis,* de nostris (quod mirum cuique, ac Diuini numinis opus uideri debet) ne unus quidem desideratus est. *Nostrorum occubuit ne unus quidē. ideoq;* Lescus, recuperata omni præda, & cumulata etiam hostium cæsorum spolijs, uictor in Poloniam reuersus, Lublini templum monimentum uictoriæ suæ condidit, ac diui Michaelis, quem in somnis uictoriam sibi pollicentem uiderat, memorię dedicauit. *Lublini templum S. Michaelis constructum.* Anno rursus 1283, mēse *Ann.1283.* Octobri, Lituani per Lucouiēse territorium in Sendomiriensem tractum improuisi excurrerūt, & magnis incōmodis illum affecerunt. *Lituani rursus excurrentes in Sendomiriensem tractum,* Exercebat & tunc Lescus Iudicia Cracouiæ. quamprimùm uerò de Barbarorū excursione cognouit, correptis celeriter armis concurrente *A Lesco* ad se nobilitate hos insequitur: ubi uerò haud longè se ab hostibus abesse sensit, suos, quò meliore spe & fiducia Diuini auxilij, Dei contemptorem hostem adorirentur, Confessione peccata expiare, & sacrosancta Eu-*Post sumptā Eucharistiā*

charistia se communire iubet, atque ipse Princeps sanè perquàm religiosè hoc fecit. Persensere aduentum Polonorum Barbari: & anni superioris fortunam reformidantes, in proximas syluas se subducunt, ibiq; de salute sua consultant: pòst, magno impetu, & incondito clamore, in nostros feruntur. Perturbauit nonnihil nostros primus eorum aspectus, propterea quòd præter omnem exspectationem ad se contendere eos uidebãt, quos fugere crediderant: sed tamen, cohortante Duce, citò animos resumpsere. Nec diu Barbarorum impetus uiguit: sed uirtute nostrorum, quasi firmo muro obiecto, fractus & in fugam actus est. *Victi.*

DE HENRICO DVCE VVRATISLAuiensi, & Episcopo mirabiliter uictore.
Caput III.

Henricus Dux Vuratislauien. Episcopum pulsum,

IN sequenti anno Dux Vuratislauiensium Henricus, uir ita ad dolos factus, ut ne à sacris quidem rebus & sacerdotibus manus abstineret, Thomam Episcopum Vuratislauiensem Episcopatu expulit, omniaq; & ipsius Episcopi & sacri Ordinis bona inuasit, nec reddere ea ullo pacto uoluit: quin & ab Archiepiscopo Gnesnensi anathemate perculsus, & Episcopum & sacerdotes omnes ditione sua eiecit. Episcopus mœrens Ratiboriam se contulit, ubi à Cazimiro Duce, Vuladislai filio, perbenignè & honorificè acceptus atq; habitus est: Henricus uerò cum Cazimiro literis & legationibus expostulauit, quòd inimico suo receptum præberet: minasq; ei adiecit, ni eum pelleret. quæ quum ab eo contemnerentur: coegit exercitum, & Ratiboriam obsidione cinxit. Quum autem aliquot dies duraret obsidio: murmurare contra Episcopum, & cæteros sacerdotes exules,

Neglecta excommunicatione,

Persequitur exulem hostiliter:

exules, plebs à uictu imparata cœpit. quare cognita Episcopus, collocutus cum suis, Indignum esse ait, ut sua & paucorum exulum causa, bene merita de se ciuitas periculum subeat, aut ullo afficiatur incommodo. induit deinde sacras & Pontificales uestes: nonnullosq; de sacerdotibus, quemadmodum ad Sacra peragenda solent, indui iubet. Ita ille spectabilis cum uenerando illo cœtu urbe egressus, ad hostilia castra profectus est. Venientes igitur à longè conspicatus Henricus, attonitus & quasi numine afflatus de papilione exilijt, ad pedes Episcopi sese abiecit, & culpam supplex deprecatus est, augustius quiddam humana specie in uultu Episcopi contemplatus: Episcopus uerò benignè eum humo attollit, amplexatur & exosculatur, non sine lachrymis: & ueniam, si eum factorum pœniteat, pollicetur. In proximã deinde ædiculam, diuo Nicolao dedicatam, ingrediuntur: ibi semotis arbitris inter se in gratiam redeũt, quum Henricus redderet, quæcunque Episcopo, Ecclesijs, & uniuerso Ordini sacro ademerat.

Sed eum Episcopus,

Vestes Pōtificias indutus,

Mirabiliter uincit.

DE OPPRESSIS À LESCO CONTRA se Procerum motibus. Cap. IIII.

PORrò in minori Polonia cõtra Lescum rursus Proceres insurgunt: turbante maximè Paulo Episcopo Cracouiensi, & omnium odia in Lescum Ducem inflammãte, propterea quòd sub Boleslai Pudici Principatu à quibusdam Equestris ordinis iuuenibus captus, Siradiæ à Lesco (in honesta tamen custodia) mensem unum seruatus esset. Accersitur itaque Conradus Cirnensium Masouiorum Dux, ad suscipiendũ Principatum. cui cum exercitu uenienti Varsius Castellanus & Zegota Palatinus, & Cristinus Castellanus cum Paulo Episcopo, &

Cōiuratione contra Lescũ facta, &

Conrado accersito,

 maxima

maxima Nobilitatis multitudo, ad Sēdomiriam obuiam progreſsi, in uerba eius iurarūt. Itaq; nullo negotio Cracouienſi & Sendomirienſi Dominatu omni tunc potitus eſt: ſola reſtabat Cracouia, in qua ſe Leſcus cum uxore continebat. Deſertus autem ab omnibus, ad Cracouienſis ciuitatis miſericordiam confugit: cuius fidei atq; tutelæ Cracouienſem arcem commendauit: ipſe in Vngariam ad Ladislaum Regem profugit. Suſcipiunt arcis defenſionem Cracouienſes ciues: & quia ciuitas non bene inſtructa propugnaculis erat, & multitudo diſtracta imbecillior futura erat ad ſuſtinendam uim aduerſariorum, urbe commigrant in arcem, cum uxoribus, liberis, & facultatibus ſuis. Cognita Cracouienſium ciuium uoluntate, Proceres mittunt ad eos, ut cœpto deſiſtant, & Conrado ſeſe & arcem dedant: ſin recuſent, minas adijciunt. Reſpondent Legationi Procerum: Non licere ſibi fidem & iuſiurandum, Leſco ſemel datum, uiolare: „ ſcirent, omnia chariſsima & uitam ipſam prius amittere, „ quàm fidem frangere, decreuiſſe. Hoc reſponſo irritati, & multum frementes, cum Conrado ad Cracouiam caſtra admouent: quumq; perdifficilem ſibi eius expugnationem ſcirent, urbem uacuam incendunt, ut ſic ciuium pertinaciam priuatorum malorum aſpectu frangerent. Impetrauerat Leſcus à Ladislao Rege non contemnenda Vngarorum & Cumanorum auxilia, & cum ijs aduentabat, ut arci Cracouienſi ſubueniret: occurrit ergo ei cum exercitu Conradus, & collatis ſignis, apud Bogucice pagum ad Rabam flumen uincitur, ac in Maſouiam uſq; profugit. Sic euentus tunc oſtendit, uter iuſtius arma ſumpſiſſet. Leſcus autē moderata uſus uictoria, captiuos omnes dimiſit: Proceribus deprecantibus ueniā dedit: Cracouienſibus ciuibus gratias egit: urbem

Leſcus in Vngariam profugit:

Et dum ciues Cracouienſes fidem ei ſeruant,

Ipſeq; cum impetratis Vngarorum auxilijs

Conradum uincit,

Moderataq; uſus uictoria

fortius muniuit, eiusq; regimen proprium Theutonibus ſolis, qui fidem ipſi præclarè ſeruaſſent, deinceps attribuit. Hęc anno poſt Chriſtum natum 1285 geſta ſunt.

Vrbem Cracouienſem munitam Theutonibus commendat.

DE VERMIBVS PRVSSICIS, LESCI fortuna mutata & morte, atq; miſerabili Tartarorum & Ruſſorum clade.

Caput V.

PRuſsiam hoc anno, nouo uermium genere per æſtatem infeſtatam ferunt: qui caudis cancrorum prædi ti, quoſcunq; aculeo pupugiſſent, intra tertiū diem extinguebant. Sequenti anno Maſouiam longè lateq; depopulatus eſt Leſcus, aſtu uſus, quum ſe iniurias fratris ulciſci uelle ſuper Lituanis, qui Dobrinenſem tractum (qui in ditione Zemouiti erat) uaſtarūt, ſimulaſſet. Atque ex eo tempore prior illa fortuna ab eo receſsit, & ſecundæ res aduerſis commutatæ ſunt: ne impunè ferret, Deum & homines fefelliſſe, & prætextu pietatis iræ ſuæ impenſius indulſiſſe. Itaq; & tunc complures, in traiectu fluminum, de ſuis amiſit: & Tartari cum Ruſsis & per Ruſſos in Lublinenſem oram & Maſouiam atq; omnes Leſci ditiones delati, locuſtarum in modum eas regiones, cædibus & incendijs nuſquam abſtinentes, depopulati ſunt: & Leſcus ipſe in Vngariam fuga ſibi conſulere, coactus eſt. Tantam autem hominum prædam tūc abegiſſe dicuntur è Polonia, ut, quum eam ad Vuladimiriam recognoſcerent & partirentur inter ſe, unum & uiginti millia innuptarum puellarum cenſa eſſe dicantur: prouectiores autem tum uiros tum mulieres, & pueros immaniter trucidant. Ne Ruſsi quidem, quamuis ſocij ac tributarij, expertes malorum à Barbaris fuēre. Nam exceſſuri è Ruſsia aquas omnes infecerunt, exſectis ca-

Pruſsia uenenoſis uermibus infeſtata.

Leſcus Maſouiā aſtu depopulatus,

Ex fortunato fit infelix.

Tartari crudeliter Poloniam uaſtantes cum Ruſsis coniuncti,

Ingentem hominū prædā abigunt:

Et aquas omnes Ruſſorum, tametſi

ptiuorum cæſorum cordibus, & præſentiſsimo ueneno imbutis, & uerubus ſubter aquas defixis: unde plurimi mortales miſerabiliter extincti ſunt. Leſcus autem, aduerſis rebus & ſugillationibus hominum afflictus, ex mœrore & angore animi in morbum incidit: quo ſenſim tabeſcens, ultima demum die menſis Septembris anni ſequentis, qui fuit poſt Chriſtum natum 1289, uitam cum morte commutauit, & in templo S. Trinitatis apud Fratres Dominicanos honorifice ſepultus eſt, bonus & modeſtus Princeps, & felix, ſi extrema cum primis contexuiſſet.

ſociorũ & tributariorum, inſiciunt.

Leſci mors.

DE BOLESLAO PRIMVM, HENRICO deinde, Vuladislao Locticopoſtea, & Henrico rurſus poſt Leſcum mortuum Principibus. Cap. VI.

LEſco Nigro ſine liberis defuncto, Cracouienſis & Sendomirienſis atque Siradienſis Dominatus in medio erant: quos alius iure agnationis, alius gratia populari, alius ui & potentia uſurpabat. Primùm omnium Vuladislaus Locticus, Leſci mortui frater, eodem patre, ſed alia matre prognatus, Siradienſem Dominatum ultrò ſe ipſi ſubdentem occupauit: uerùm Cracouienſis & Sendomirienſis Conuentus Boleslaum Ducem Plocenſem, Conradi fratrem, Principem creauêre, poſthabito Conrado, cui ſe bis antea, uiuente Leſco, ſubiecerãt. Accitus igitur Boleslaus poſſeſsionem Principatus adit, Cracouiam'que ſolenni pompa deducitur. Nec multo pòſt Henricus Dux Vuratislauienſis, à Cracouienſibus ciuibus clàm accerſitus, cum iuſto exercitu aduenit: uenienti ciues portas urbis aperuêre. Ibi Boleslaus, noua & inopinata re perculſus, ex arce Cracouienſi

Vuladislaum Locticũ Siradienſes,

Cracouien. uerò & Sendomirienſes Boleslaum Ducẽ Plocenſem, Principem creant.

Henricus Dux Vuratislauienſis Boleslaum Principatu exuit:

uienſi ſe proripuit: & nequicquam renitentibus Proceribus (qui copias ad eijciendum Henricum cogebant) iratus in Maſouiam redijt, dictitans, Se non ad bellum, ſed ad pacatum Principatum ſuſcipiendum, accerſitum ueniſſe. poſt cuius diſceſſum arx quoq; Henrico dedita eſt: nec tamen diuturna ei ea Principatus poſſeſsio fuit. Vuladislaus enim Locticus, iam Siradienſis Dux (indignum ducens alienum fratri ſuo Leſco ſucceſſorem in Principatu quæſitum eſſe) exercitum cogit: Cracouiam primo Vere contendit, ad deijciendum Henrici præſidium. Nam redierat Henricus in Sileſiam, relicto Cracouiæ præſidio. Factus autem certior de conſilio & apparatu bellico Vuladislai, quum ipſe ægrotaret, Henricum Legnicenſem Ducem cum expeditis copijs Cracouiam mittit. Occurrit his Vuladislaus ad Seueriam oppidum: & commiſſo prælio, multis utrinq; cadentibus, ad extremum Vuladislao ceſsit uictoria. Cracouiã itaq; uictor profectus, apertis portis receptus, omnium conſenſu & acclamatione Princeps renunciatus eſt. Sed hic item non diu poſſeſsionem Principatus obtinuit. Henricus enim non deiectus clade priori, rurſus nouũ exercitum Cracouiam mittit: qui quũ nocte intempeſta Cracouiã acceſsiſſet, in urbem ab ijs qui Henrico fauebant, recipitur. Clamore igitur ſublato à Sileſijs, tumultuatur tota ciuitas: Locticus, proditionem metuens, ad Fratres Franciſcanos ſe recepit: ubi uerò, ſuos paſsim per uicos & plateas cædi, & ſe quæri, didicit, ſumpto monachi habitu, de muro à Franciſcanis demiſſus euaſit: pòſt uerò, cæſorum malis adacti cæteri, certatim omnes in poteſtatem Henrici redierunt. qui conſequuto Principatu, paulo pòſt mortuus eſt, anno Domini 1290.

Henricũ uerò Vuladislaus Locticus,

Et contrà.

Henrici mors. An. 1290.

DE MORTE S. KINGAE, ET A' PAVCIS *Lituanis magno damno.* Cap. VII.

An.1292. *Kingæ mors, &*

Sanctitas Diuinitùs comprobata.

An.1293. Lituani pauci quàm multam prædam abducunt.

POrrò annus 1292, insignis fuit morte Kingæ siue
Kunegundis, uxoris Boleslai Pudici, sanctæ & reli-
giosæ fœminæ. quæ quũ in perpetua uirginitate, etiam
uiuo marito, uixisset: post mortem mariti in Sandecensi
monasterio, plus duodecim annis, duram exegit uitam.
Sanctimonia uerò eius multis stupendis miraculis, cùm
ab ea uiuente, tum post mortem ad sepulchrum eius edi
tis, Diuinitùs comprobata fuisse memoratur. Anno se-
quenti, qui fuit 1293, Lituani impetum in Cracouiam fe-
cêre: tantamq; hominum prædam abduxêre, ut uiginti
capita singulis cederent. Numerus uerò Barbarorum e-
xercitus mille & octingenti fuisse perhibetur.

LIBER IX.

DE PRAEMISLO REGE. Caput I.

An.1295. *Præmislus Maioris Poloniæ Princeps*

Rex creatus,

Dum de Regno uniendo cogitat,

INtermisso apud Polonos 215 annis Re-
gno, anno Christi 1295 indictis Gnesnam
comitijs, Præmislus totius maioris Polo-
niæ Princeps, uir acer & ad res magnas ge-
rendas factus, tricesimum octauum annum
agens, Rex creatur: ac mox solenni ritu inunctus, diade-
ma Regium à Iacobo Suinca Archiepiscopo Gnesnẽsi
accipit. Suscepto autem Regno, mox cogitationes suas
omnes eò cœpit intendere, ut Poloniam uniuersam pa
caret, & in concordiã unumq; corpus redigeret: uerùm
tam præclaros conatus eius mors immatura præcidit,
dum septimo uel octauo Regni suscepti mense, à Mar-
chionibus

Interficitur.

Ptochodochium Calissiense.

Cœnobiũ Virginum Posn.

chionibus Brandeburgensibus per insidias interfectus
est. Corpus porrò eius Posnaniam relatum, in basilica
cum maioribus eius conditũ est. Condidit ipse ptocho
dochium in suburbano Calissiensi: Posnaniæ uerò, cœ-
nobium puellis instituti S. Dominici.

DE VVLADISLAO LOCTICO, REGE *electo & repudiato.* Cap. II.

Rixa Præmisli filia.

Vuladislaus Rex electus,

A Regis tamen nomine abstinens,

Boemos uexat, & Silesiam uastat:

Sed postquã dedit se otio ac uoluptatibus, &

Militum licentiam non cohiberet,

AD nonum Calendas Maij, qui dies diui Adalberti
memoriæ apud Polonos dicatus est, Proceres cũ
Nobilitate & Pomeranis de nouo Rege creando fre-
quentes Posnaniam conuenerunt. Iniecta quidem fuit à
nonnullis Rixæ, filiæ Præmisli, mentio: sed metus belli,
quod à Marchionibus atq; etiam à Crucigeris impende
bat, uiro forti potius & potenti, quàm puellæ, Regnum
mãdare suadebat. Vuladislaus ergo Locticus inter Du-
ces Polonos potissimùm idoneus ad eam rem uisus est:
quare magno cõsensu eum Regẽ creant: & in uerba no
ui Regis omnes iurãt. distulit tamen is coronationis ri-
tum: nec Regis, sed Hæredis Regni Poloniẹ nomẽ usur
pauit. In Maiorem Poloniã primùm ac Pomeraniã, dein
de anno sequenti in Minorẽ profectus, Boemorũ præsi
dia fautoresq; uexauit: Silesiam longè lateq; depopula
tus, luculentã prædam, nemine prohibente, auexit. Post
hanc uerò Silesitanam expeditionẽ, in Maiorem Polo-
niam cum copijs uenit: quieti se & otio uoluptatibusq;
dedit. quæ res ei perniciosa fuit non immeritò. Milites
enim in bello rapto uiuere assueti, ne in pace quidem à
uexationibus tenuiorum, & Ecclesiasticorũ bonorum
direptionibus, ingenuarumq; matronarum et uirginum
stupris, sibi temperabant: eam licentiam ille non modò
non coercebat, sed indulgentia magis etiam alebat. qui-

Negligeretq; Posnaniensis Episcopi admonitionẽ & interdictum, Regno exuitur. bus de rebus quũ frustra admonitus & reprehẽsus esset aliquoties ab Andrea Posnaniensi Episcopo, toti diœcesi suæ Sacris interdixit Episcopus: deinde Conuentu apud Posnaniam habito, cõsensu omnium Regnum ipsi, in minorem Poloniam tunc forte profecto, abrogatum est, ad Venceslaum' que Boemorum Regem delatum. *An.1300.* Id autem anno Christi nati 1300 factum est. quo etiam anno Ottomanus quispiam, obscuro loco natus, apud Turcas Dominatum arripuit, & rebus magnis gestis, posteris suis Regnum atq; nomen reliquit.

DE VENCESLAO POLONORVM Atque Boemorum Rege, & Russis ex arce Lublinensi depulsis. Cap. III.

Venceslaus Rex factus, ACcitus splendida Legatione Venceslaus, adfuit sine mora: Gnesnæq; à Iacobo Archiepiscopo de *Rixa uxore ducta,* more inunctus, ac Regio diademate cinctus est. Duxit uero uxorem, Procerum suasu, Rixam (quæ & Elizabetha dicta est) Præmisli Regis defuncti filiam: quò magis eius coniugio Regnum suum apud Polonos stabiliret. *Post subitam à Russis oræ Sendomiriensis infestatio nem,* Dum autẽ omnia alienata à Regno in ditionẽ suam redigit, Russi magnis copijs Sendomiriensem tractũ infestarũt, raptimq; cum ingẽti præda se receperunt, prius fere quàm ad Venceslaum Regem de eorũ excursione nuncius perferretur. Constitutis uerò rebus suis in Polonia, relictisq; præfectis Boemis, penes quos rerũ sum- *Boemos præficit utriq; Poloniæ.* ma esset (in Minore quidẽ Polonia Nicolao Duce Opauiense, in Maiore uerò Fricio Silesio) in Boemiã rediit, *Poloni minores cõtra Russos bellum gerentes* nec post id tempus Poloniam unquam aspexit. Fuerunt aũt, Venceslao regnãte, quietæ res in tota Polonia: præter, quòd minores Poloni, cùm uetusta Lublini ereptione,

ne, tum noua in Sendomiriensem oram excursione irritati, expeditionem aduersus Russos susceperunt. cuius non ignari Russi, magnum & ipsi exercitum coegerũt, Lituanorum ac Tartarorum auxilia sibi adiunxerũt, & apud Lublinum nostris aduenientibus occurrentes, pu- *Apud Lublinum,* gnandi copiã fecerunt, freti multitudine sua: nec nostri, quamuis longe impares, pugnam detrectarunt, & summa ope adnixi, uictos hostes in fugam egerunt præcipi- *Pauci multos uincunt,* tes. Magna tunc ea strages Russorum atq; Barbarorum fuit: fuissetq; maior, ni propinqua arx Lublinensis rece- *Et arcem Lublinensem* ptum eis præbuisset. tametsi ne munitio quidẽ satis eos tutata est. Nam obsessi à nostris, fame inualescente, deditionem fecere. Ita Lublinensis arx, post septimũ & quin- *Recuperant.* quagesimum fortassis annum, posteaquam à Russis capta erat, à nostris recuperata est.

DE VVLADISLAO LOCTICO ITERVM Rege, Venceslai Regis morte, & Basilica Cracouiensi. Cap. IIII.

COepit deinde noua spes recuperandi Regni Vula- *Arrepta occasione Vuladislaus Locticus,* dislao Loctico affulgere, quum Polonis iam esse odiosa inciperet Boemorũ superbia & auaritia, & Venceslaus Vngarico bello implicatus esset. quare in Poloniam cum aliquanta Vngarorum manu contendit: adueniens' que arcem Pelciscam, Visliciæ imminen- *Dum arces quasdam occupat, &* tem, occupat: ac Boemorum præsidium Vislicia, fauentibus ciuibus, deturbat: tandẽ uero & Lelouiam arcem in suam potestatem redigit: unde uicinia omnis, ui & metu adacta, ad eum deficiebat. Adiuuit autem & Fortuna hunc conatum eius. Nam Venceslaus mor- *Venceslaus Rex moritur,* bo correptus, Pragæ lenta tabe absumptus est, nono Calend. Iunij, anno Christi Iesu 1305. Res igitur Vuladislai *An.1305.*

A Cracouiensibus & Proceribus atq; Nobilitate aliquanto meliore loco esse cœperunt: cui etiam uenienti cum exercitu Cracouienses ciues, Alberto Aduocato auctore, portas urbis aperuere. Nec mora, arcem quoque Boemi dedidere: hinc etiam Primores cum Nobilitate ei se coniunxerunt. Itaque comitijs Cracouiæ indictis, magno omnium conuentuum consensu Vuladislaus Locticus Rex iterum creatur: Posnanienses modò & Calissienses aberant (quòd abhorreret ab Imperio Vuladislai, pristinorum flagitiorum & iniuriarum memores: & ueriti, ne is grauius in se animaduerteret, quòd eum prius eiecissent:) Posnanienses igitur atque Calissienses à cætera Polonia sese segregarunt, & Henrico Duci Glogouiensi, Conradi filio, quòd è sorore Præmisli natus erat, se subdiderunt. Fecit autem bellum Henrico Vuladislaus: uerùm illo nusquam in dimicationem prodeunte, uastatis per æstatem aduersariorum agris, in Pomeraniam descendit, & Gdanì ab uniuerso Pomeranorum Conuentu iusiurandum accepit, quòd in potestate eius semper futuri essent. Eodem anno, qui fuit 1306, octaua die Maij, basilica Cracouiensis & arx tota, quæ lignea erat, conflagrauit: quæ, dirutis ueteribus muris, in eam quam nunc obtinet formã & amplitudinem, post quartumdecimum annum reædificata est à Nauclero Episcopo, nobili Silesio, gente Oxio, conferente in eam rem pecuniam non modò Collegio & Episcopo, uerùm etiam uniuerso Ordine Ecclesiastico in diœcesi Cracouiensi: ad hæc semestribus fructibus omnium Sacerdotiorum, quæcunque per illud tempus uacare contigit, in eum usum conuersis.

In comitijs Rex iterum creatur: Posnanienses uerò & Calisienses

Henrico Duci Glogouiensi adhærent,

Et Pomerani Vuladislaum suscipiunt.

An. 1306. *Ecclesia Cathedralis Cracouiensis cum arce conflagrat, et reædificatur.*

DE

DE GDANO À MARCHIONIBVS ACCEPTO, & Crucigeris malè in auxilium accitis.

Caput V.

NOn diu uerò pacatam Pomeraniam tenuit Vuladislaus. auctor enim nouorum motuũ fuit Petrus Cancellarius Pomeraniæ, Palatini Gdanensis filius: sed proditis re nondum matura consilijs, aduolat Vuladislaus, captumq; Petrum Cracouiam secũ abduxit. quem tamen non multo pòst, à fratribus eius exoratus, dimisit, quum ij se obsides pro fratre fore obtulissent: atque ij quoq;, quum negligentius obseruarentur, breui euaserunt. Acciti itaq; ab ijs Ioãnes & Voldemarus Marchiones, cum exercitu Pomeraniam ingressi sunt: nec mora, munitiones plerasq; accepere. Ad Gdanum deinde castra admota sunt: & oppidani, quum magna iam ex parte Theutones essent, Saxonibus portas urbis aperuerunt. Arcem tenebat Bogussa Iudex cum Nobilitate Pomeranica, quæ se perfidia Petri non contaminârat: is ueritus, ne obsessi extrema pati cogerentur, cum Nemira honestissimo Equite maximis itineribus ad Vuladislaum, commendata alijs arce, excurrit: repertumq; Sendomiriæ, de statu rerum Pomeraniæ, ac de periculo Gdanensis arcis, edocet, opemq; eius implorat. Pollicetur Vuladislaus: sed quia tardius id fore iudicabat Bogussa, suggerit Vuladislao, ut Crucigerorum Prussiensium opera ad defendendam arcem uteretur. Itaq; approbat consilium Bogussæ Vuladislaus: extemploq; ipse cum Regijs mandatis ad Magistrum Crucigerorum proficiscitur. Prolixè illi omnia polliciti, constituerunt cum Bogussa, ut dimidiam arcem ipsi tenerent, ac annum unum suis sumptibus defenderẽt: deinceps uerò post exactum annum, quæcumq; impendia facerent, ut ea Vuladislao expensa

Petro Cancellario Pomeraniæ auctore,

Ioannes & Voldemarus Marchiones cùm alia tum Gdanum accipiunt: sed

Arx quam tenebat Bogussa,

Per Crucigeros Prussienses,

Certis conditionibus in auxilium aduocatos,

expensa referrent:nec prius arce decederēt, quàm exso-
luta illa sibi essent. His igitur conditionibus in arcem re
cepti, magnam uim commeatus secum importarunt: ac
munera cum Pomeranis (quemadmodum conuenerāt)
Est defensa.
partiti, non habebant satis defendere munitionem, ue-
rùm crebris etiam eruptionibus hostem lacessebant, ita
Pulso autem hoste,
ut is in oppidum se recipere cogeretur, & ad extremum
instante hyeme obsidionem solueret, relictoq; in oppi-
dulo aliquanto præsidio discederet. Et iam non opus e-
Crucigeri ferocius gerunt omnia, & Suam rem agunt:
rat defensione Crucigerorum: sed tamen, quum se supe-
riores Pomeranis animaduerterent, ferocius se gerere,
ac cum illis rixari cœperunt: ad extremum arcem sibi to
tam uendicarunt, & Primores Nobilitatis Pomeraniæ,
ipsumq; Præfectum arcis Bogussam, in carcerē compe-
gerunt. qua necessitate adactus Bogussa, hæc pacta cum
ipsis iniuit: nimirum, totam arcem ipsis concessit: ita ta-
mē, ut eam Vuladislao, ad primam eius postulationem,
Vuladislausq; pœnitens consilij,
redderent, quum is impensas belli ipsis exsoluisset. Hac
autem re ad Vuladislaū Cracouiam perlata, cœpit eum
pœnitere consilij de acciendis contra Saxonas Crucige
ris (uidebat enim lupis se, quod dicitur, oues commen-
dasse: & non sublatum, sed duplicatum sibi esse bellum:
duosq; se, pro uno, hostes cepisse) existimabat tamen, si
ipse in colloquium cum illis ueniret, facilè auctoritate
sua ad æquas conditiones rem perduci posse. itaq; con-
stituto loco & tēpore conueniunt Rex & Magister Cru
cigerorū Henricus, ad pagum Craiouice in tractu Cuia-
Cum eorum Magistro expostulat
uiensi, cum Primoribus uterq; suis. Ibi Vuladislaus ex-
orsus, longa oratione cum Magistro de iniuria occupatę
arcis expostulabat: qui paratum se esse eam reddere, si
impendia illi persoluerentur, respondit. Aequum eum
postulare Vuladislaus affirmat, & edere impendiorum
summam

Frustra.
summam iubet: tum ille conceptum animo dolum dete-
gens, centies mille marcas latorum grossorum (genus
est Boemici numismatis, quarta parte nostratem gros-
sum excedens) poscit. Negare Vuladislaus, iustam esse
eam æstimationem, bonorumq; uirorum arbitrio in ea
stare uelle: recusare autem id Magister, & quantum edi-
disset, poscere. Ingens tunc ea summa fuit, in magna an-
nonæ uilitate: itaque re infecta & irritatis magis animis
disceditur.

DE CRVCIGERORVM PRVSSIENSIVM ET Liuoniensium iniquitate, Poloniaq; Maiori recuperata, & Templarijs deletis. Caput VI.

Ann. 1310. Crucigeri Prussienses, facto fœdere cum Marchionibus Brandemburgensibus,
CRucigeri omnem iam Pomeraniam animo comple
xi, anno Christi 1310, magnas è Germanis suis co-
pias conducunt: cum Marchionibus Brandemburgen-
sibus fœdus iciunt, ea lege, ut ij retinerent, quidquid su-
periore bello in Polonia occupassent: Gdanū uerò, Der-
sauiam & Suece, munitiones in ripa Vistulæ sitas, sibi
bello quærendas concederent. Et sanè facile est de alie-
In Gdanum
no esse munificum. Deinde uerò Crucigeri ad Gdanen-
se oppidum castra admouent, eo potissimùm tempore,
quo plurima hominum multitudo undique ad anniuer-
sarias nundinas confluxerat. Defendebatur quidem ci-
uitas strenuè, plurimumq; negotij in expugnanda ea ha
bituri uidebantur Crucigeri, ni proditio interuenisset.
Proditione captum
Etenim nocte quadam, à ciuibus quibusdam Theutoni-
ci generis aperta porta, hostes intromissi oppidum ce-
Sæuiunt,
perunt, ingentemq; cædem hominum omnis generis e-
diderunt, ita ut, nulla expugnatione plus Polonici san-
Dersauia quoq; & Suece capta.
guinis effusum esse, dicatur. Gdano autem potiti, Dersa-
uia quoq; dolo potiuntur: Suece uerò arcem, diu obses-
sam, per deditionem capiunt. Hoc eodem anno Polonia

Polonia Maior recuperata. Maior in fidem Vuladislai uenit: ex qua prȩsidia Silesiorũ, opera Dobrogosti Samotuli, Thomislai Posnaniensis Palatini filij, strenuè eiecta sunt. Suscepit eodem anno Vuladislaus Cazimirum filium ex Heduigi uxore: *Cazimirus natus.* Magister uerò Crucigerorum (quum à Rege Polonorum, certis conditionibus, Pomeraniæ Dominatum iure sempiterno obtinere non posset: ut aliquem tamen, duntaxat in speciem, iustum titulum sceleri suo prætexeret) à Marchionibus Brandemburgensibus Ioanne, & patruo tutoreq́ eius Voldemaro, decies mille Marcis latorum grossorum eandem Pomeraniam, de cuius inuasione eos depulerat, emit: eamq́ emptionem ab Henrico Cæsare sibi & Ordini suo confirmari, curauit. *Magister Crucigerorũ* *Dolo malo Pomeraniã emit.* Nec dissimili scelere Liuonienses quoq́ Crucigeri, eodem ferè tempore, Rigam urbem atq́ territorium Rigensi Archiepiscopo per summam iniuriam eripuêre. qua de re quum Romæ lis plus octoginta annis ducta esset, tandẽ Bonifacius nonus Rigam Ordini Crucigerorum, quindecim millibus aureorum acceptis, addixit. *Liuoniensiũ quoq; Crucigerorũ scelus.* Per idem ferè tempus Templariorum Ordo, potens & ipse ac locuples, ob nefanda quædam scelera & opiniones prauas de Religione, per uniuersum orbem Christianum, quasi dato à Pontifice signo è Viennensi Cõcilio, deletus est. *Templarij deleti.*

DE CRACOVIA PRODITA DVCI OPOliensi, & acerba fame diraq́ peste. Cap. VII.

Quò minus autem Prussienses Crucigeros Vuladislaus ulcisceretur, suaq́ ab eis erepta recuperaret, motibus quibusdam ciuilibus, & Cracouiensis ciuitatis defectione, impeditus est. Hæc enim, Alberto Aduocato auctore, Boleslao Opoliensium Duci se subiecerat, accitumq́ in urbem receperat: arx uerò quum defenderetur, nec expugnari posset, Aduocati domum, in ipsis mœnibus urbis (prope portam, quæ à Diuo Nicolao nomen habet) eminentem, pro arce Boleslaus cum suis occupauerat. *Albertus Aduocatus prodit Cracouiã Boleslao Duci Opoliensi, arce ex domo sua facta:* qua de re certior factus Vuladislaus, Legatos ad Boleslaum præmisit, qui eum monerent, ut sua sponte excedere, quàm arma sua experiri, mallet. Paruit monitis Vuladislai Boleslaus, deductoq́ domo Aduocati præsidio, urbe excessit: *Vuladislaus uerò Boleslao repulso,* quem auctores defectionis secuti, in Silesia & in Boemia exulauerunt. Profugorum itaq́ bona Vuladislaus in fiscum suum redegit: Aduocatiæ reditus peramplos ademit: primarios quosdam ciues diris supplicijs affecit, partim equis discerptos, partim rotis implicatos: ciuitati Ius omne creandi Senatus abstulit, & in Palatinum transtulit. *In noxios animaduertit, &* Insimulatus est etiam Ioannes Muscata Episcopus Cracouiensis, conscius fuisse illius defectionis: quod eò facilius creditum est, quòd esset Silesius: ac propterea Biecense territorium ademit illi Vuladislaus, ex eoq́ tempore id in Regum potestate mansit. *Episcopo Cracouien. Biecensia bona adimit.* Anno Christi 1315, fames tam acerba Poloniam omnem annis aliquot afflixit, ut nullo quamuis fœdo edulij genere, ac ne cadaueribus quidem humanis, uulgò abstineretur: & ut Dlugossus prodidit, parentes in liberos, & hi uicissim in illos sæuirent. *An. 1315. Fames grauissima, &* quam famem, ut par erat, dira pestis consecuta est. *Post eam dira pestis.*

DE VVLADISLAI ET VXORIS EIVS coronatione, paceq́ cum Lituanis per affinitatem facta. Caput VIII.

Missus est autem postea ad Pontificem Maximum Legatus, qui Vuladislao diadema & nomen Regium impetraret. *Vuladislaus impetrato à Pontifice diademate Regio,* Existimabant enim, inauspicatò id sibi Præmislum iniussu Pontificis assumpsisse: quòd non

ignorarent, interdictum esse ea re nomini Polono post cædem diui Stanislai. Concedente uerò Pontifice, comitijs Cracouiam indictis, Vuladislaus cum uxore Heduigi in basilica Cracouiensi ab Archiepiscopo & cæteris Episcopis ritu solenni coronatur, anno Christi 1320. atque ex eo tempore Ius coronandi Reges atq; ipsa Insignia Regni Gnesna Cracouiam, propter amplitudinem splendoremq; urbis, & maximas commoditates, translata sunt. Nec multo pòst Vuladislaus Elizabetham filiam Carolo Vngarorum Regi, bis uiduo, in matrimonium collocauit, & Budam ad sponsum cum splendido comitatu misit. Quum uerò assiduis excursionibus Lituani oras Poloniæ uexarent, per illud etiã tempus Pultuscum, Episcopi Plocensis oppidum, ac centum triginta pagos in Masouia diripuerunt & incenderunt. non facilè autem tum illi domari poterant, quum neq; foris dimicandi copiã facerent, sed rapta præda fugerent: & domi, fluminum obiectu, syluarumq; & paludum latebris, ita tuti essent, ut si quis eis bellum inferret, ei non magis cum hoste fugaci & insidioso, quàm cum uiarum difficultatibus, confligendum esset. Itaq; quod erat reliquum, placuit tentare, si fortè eos mitigare ulla ratione, & in societatem pertrahere posset Vuladislaus. quam sententiam quum frequens Senatus comprobasset, mittuntur ad Gediminum, Principem gentis siue Magnum Ducem, Legati, qui fœdus cum illo feriant, & filiam eius Cazimiro Regis filio uxorem petant: nec dotem aliam ab egeno Principe, quàm captiuorũ omnium Polonici generis missionẽ, postulent. Non grauatè Gediminus Legatorum postulatis annuit: initaq; cum Polonis societate, sine longa procrastinatione sponsam cũ eis misit. quę ingentibus omnis cõditionis sexusq; & ætatis captiuorum

Cum Heduigi coronatur Cracouiæ.

An. 1320.

Elizabet Vuladislai nubit Carolo Regi Vngariæ.

Lituanis assiduè Poloniam deuexãtibus, & Pultusco direpto,

Filiam eorũ Ducis Gedimini Cazimirus uxorem accipit:

Captiuorum multitudine comitante eã,

rum cateruis comitata, aduecta Cracouiam, Religionẽ Christianam à Nauclero Episcopo edocta, & sacro Lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Cazimiro sextum decimũ annum agenti nupsit, anno Christi 1325. Atq; ex eo tempore Polonia, magna ex parte uastata & inculta superioribus bellis, populosior & cultior esse cœpit, dimissis ac deductis quoquouersus agricolis, qui ex captiuitate redierant.

Annam uocatam & baptizatã, unde

An. 1325.

Polonia facta est populosior.

DE MASOVIA ET MARCHIA BRANDEburgensi & Culmensi tractu uastatis, Crucigerisq; cum Masouijs uictis, & forti facinore monachæ. Caput IX.

PAce & societate cum Lituanis constituta, maiore iam fiducia studioq; in Crucifericum bellum Vuladislaus Rex cœpit incumbere: primumq; Masouios & Saxonas Brandeburgenses, qui utriq; fœderati erant Crucigeris, aggreditur: Masouiam ferro & igni longè lateq; uastauit: sequenti autem anno, per se ipse in Marchiam Brandeburgensem expeditionem fecit, magna Lituanorum ac Russorum auxilia secum habens: & ad Francofordiam usque cum infesto exercitu progressus, magnum captiuorũ numerum & cæteram prædam ingentem abegit. Crudelius se in eo bello gessere Barbari, & magnam hostium cædem fecerunt. Memoratur autem forte & pręclarum monachę cuiusdam facinus: quę capta à Lituano quopiam, quũ ad stuprum traheretur, rogauit eum, ne sibi uim faceret: mercedis autẽ loco promisit, se eum edocturam esse, quî corpus eius uulnerari nullo unquam ferro posset. quod quum discere ille percuperet, iugulũ ei fortis puella præbuit (ut in se eius rei periculũ faceret) ille uerò credulus stricto gladio caput eius

Vuladislaus uastat Masouiam &

Marchiam Brandeburg. habens Lituanorum & Russorum auxilia.

Barbarorum crudelitas: &

Monachæ singularis astus.

Crucigeri cũ Masouijs facto impetu in Cuiauiã, Couale capiunt:

Contra quos cum Vngaris & Lituanis & Rußis Boleslaus progressus,

Et Culmensem tractum depopulatus,

In Cuiauia eos uincit,

Fugientes & cæsos.

eius amputauit. Sic itaq; illa barbari libidinẽ ſtuprumq; turpe honeſta morte euaſit. Crucigeri uerò ſequenti anno, cum Venceslao Maſouiorum Duce facto impetu in Cuiauiam, Couale arcem ceperunt & incenderunt: non putauitq; ſibi diutius differendum eſſe bellum in Cruci geros Vuladislaus: uerùm & à Carolo Rege Vngarorũ genero ſuo, & à Lituanis item atq; Rußis finitimis non contemnẽda auxilia impetrat: cum quibus omnibus copijs hoſtium fines ingreſſus, Culmenſem tractum omnem, uſque ad Oſſam amnem, flammis, cædibus, & populationibus peruaſtauit. Excurrerunt uiciſsim nõ mul to pôſt Crucigeri cum Maſouijs in Cuiauiam: quò quũ properè noſtri accurriſſent, collatis ſignis, funduntur hoſtes. & Maſouij quidem, cum Duce ſuo Venceslao, diffugerũt: Crucigeri uerò fortiter dimicantes, ad internecionem unà cum Cõmendatore Torunenſi cęſi ſunt.

DE IOANNE REGE BOEMORVM CVM *Crucigeris coniuncto, Crucigerorumq; crudelitate & repulſione, Prußia uaſtata & inducijs.* *Caput X.*

Ioannes Rex Boemorum Crucigeros adiuuans,

Episcopo tũc Vuladisl. Golanceuio miraculosè nato,

Venceslaum Ducem Masou. sibi subijcit: &

Crucigeris Pomeraniam, quam nõ habet, donat.

Crucigeri, aucto eis exercitus ex Germanis et Boemis numero, in Viſſegradum & Naelũ & Racianzum

Sæuiunt:

Sed à Vuladislao repulſi,

Post uaſtatã ab ipſo Pruſſiam

INſequenti anno Ioãnes Rex Boemorum, à Crucigeris in auxilium uocatus, cum grandi exercitu Vere ineunte in Prußiam aduenit: arcem Dobrinenſem per deditionem cepit, ac Cechocinenſe territorium, quod in ditione Epiſcopi erat, abſtulit. Erat autem tunc Epiſcopus Vuladislauienſis Mathias Golanceuius, gente Topus Vuladislauienſis Mathias Golanceuius, gente Toporus: de cuius prodigioſo ortu illud memoratur, matrẽ eius duodecim filios uno partu edidiſſe, uerùm hunc unum ex ijs uixiſſe, reliquis mox, ut nati erant, mortuis. Maſouiam deinde Crucigeri ac Boemi ingreßi, eò adegêre gentis Ducem Venceslaum, ut ſe Ioanni, quaſi iuſto Po-

ſto Polonorum Regi, ſubijceret: ac deinde Crucigeri, ne iniuſtè Pomeraniam uſurpaſſe dicerentur, perfecerunt apud eundem Ioannem Boemorum Regem, ut ſibi Pomeraniam iure ſempiterno donaret. Aeſtate ſequenti conuenit rurſus magnus Germanorum & Boemorum militum mercenariorum numerus ad Crucigeros: cum quibus copijs facto impetu in oras finitimas Poloniæ, Viſſegradum Cuiauienſe & Naclum arces ui, ſed nõ ſine magna ſtrage ſuorũ, cepêre et exuſsêre: apud Racianzum, Epiſcopi Vuladislauienſis arcem, diutius morati ſunt (quòd ea nauiter à multis defendebatur:) ad extremum tamen ea quoq; potiti ſunt, puteo adempto, qui ſolus aquam ſuppeditabat: magnamq; ibi in omne genus hominum exercuêre crudelitatem. Tandem ubi aduentare Vuladislaum Regem, cum magnis copijs, & Vngarorum Auſtriorum atq; Lituanorum auxilijs, Crucigeri accepêre: omiſſa oppugnatione alienorum, ad ſua defendenda redierunt: nec pugnandi tamen copiam noſtris fecerunt. Ibi noſtri effuſè agros pagosq; hoſtiles uaſtarunt: ne ullum crudelitatis genus ab iratis omiſſum eſt. Pruſsia ultra Oſſam, quæ iam Crucigeris parebat, erat reliqua: quam quum noſtri intactam dimiſſuri non eſſe uidebãtur, tum demum Magiſter cum Primoribus Crucigerorum, qui Grudenti ſiue Gruzanzi erant, de pace uel inducijs cum Vuladislao Rege agere cœperũt.

Inducias anni unius impetrant, Dobrinenſi arce & Bydgoſtia redditis.

Induciæ igitur in annum factæ, ea conditione, ut Dobrinenſem arcem atq; tractum, & Bydgoſtiam, Crucigeri Vuladislao mox redderent.

DE POLONIA A' CRVCIGERIS AVCTORE *Vincentio Samotulio grauiſſimè uexata, iiſq; rurſus opera eiuſdem proditis & cæſis, atq; de Vicino malo.* Caput XI.

Crucigeris pacem negligentibus,

An. 1331.

Dum Vuladislaus

Cazimirum filium, Maiori Poloniæ præficit,

Vincentius Samotulius

Crucigeris fit auctor

Vaſtandæ Poloniæ Maioris:

REduxit ergo Vuladiſlaus exercitum: Crucigeri uerò minus pacem iam cupere, & paruo deinde momento (ut fit) ad renouãdum bellum in ſequentem annum, qui fuit 1331, impulſi ſunt. Comitia Vuladiſlaus Rex, æſtatis initio, apud Chencinos habuit: atq; ibi, ex conſilij ampliſsimi ſententia, ætatem ſuam ingraueſcentem & uires magnis laboribus & aduerſis rebus attritas conſiderans, Cazimirum filium, unum & uiginti annos natum, Maiori Poloniæ toti præfecit, remoto ab ea Vincentio Samotulio, ut fama eius nominis non tam facilè ſe Boemi & Saxones commouerent: adhæc, ut in tuto is eſſet, ſi quid aduerſi in Pruſsico bello accideret. Grauiter tulit Vincentius Samotulius Palatinus Poſnanienſis, gente Nalencius, Præfecturam illam ſibi adeptam eſſe, ignominiæ loco id ducens: itaque ira & metu peſsimis conſultoribus uſus, clàm ad Magiſtrum Crucigerorum Margeburgum profectus eſt. Expoſitis autem aduentus ſui cauſis, facilè perſuaſit molienti ſua ſponte bellum aduerſus Polonos, ut in Maiorem Poloniam expeditas copias mitteret. Pyſdros itaque ſtatim contendunt, in quo oppido Cazimirum eſſe didicerant: magno'que impetu adorti oppidum non munitum, facilè eo potiuntur. ſed euentus eorum ſpei non reſpondit. Cazimirus enim, paulo antè de aduentu hoſtium certior factus, cum paucis comitibus oppido ſe eiecerat, & in proximam ſyluam receperat: quamobrem irati Crucigeri, ac dolore amiſſæ prædæ, omni crudelitate in oppidanos deſæuierunt, & uiciniam

Confluête autê maiore ex Germanis exercitu, et tractu Lencicienſi atq; Caliſsienſi &

Siradienſi uaſtatis, Caliſsio tamê intacto,

Vuladislaus inops conſilij,

Per illum ipſum Vincentium Samotulium

uiciniam omnem cis & trans Vartam ferro & igni depopulati ſunt, atque inde cum ingenti præda retrò abiere. Quum autem maior militum numerus ex Inferiori Germania, & è Liuonia, ad eos confluxiſſet: per Cuiauiam in Lencicienſem tractum inſultum faciunt, arcem ui capiunt & incendunt. Deinde in Caliſsienſem oram iter flectunt: eaq; omni peruaſtata, oppido tamen potiti non ſunt, non ſine cæde inde reiecti. ubi quinque dies commorati, progreſsi longius populando, Gneſnam, Znenam, Naclum, Srodam, Pobediſcos, Cleccum, Coſtrinum oppida diripuerunt, & pagos exuſſerũt: ne templis quidem & monaſterijs, ſacriſq; rebus, ſacrilegas manus abſtinentes. Reliquias tamen diui Adalberti cupidè quæſitas, ſed occultatas à miniſtris tẽpli, non inuenêre. Siradienſi etiam tractu uaſtato, ad Caliſsium deinde expugnandum reuertêre: ſed amiſsis nonnullis militibus, poſt paucos dies re infecta diſceſsêre. Eſt enim permunitum id oppidum ſitu & natura loci: nempe à Proſna flumine latius, ut in magna planicie, reſtagnante ambitum. Porrò Vuladiſlaus cum non contemnendis ſuorum copijs aderat: ſed nuſquam certo loco pedem figebat, nec audebat rem prælio cõmittere. quum autem animum in omnes partes uerſaſſet, neque opem ullam rebus ſuis tam calamitoſis afferre potuiſſet: una tandem uia rei expediendæ ipſi ſe oſtendit, nimirum, ut Vincentium ſibi reconciliaret. Itaque per internuncios eum hortatur, ut afflictæ ac penè perditæ patriæ miſereatur, impunitatem admiſsi ſceleris pollicens. nec malè ipſi hoc conſilium cecidit. Subijt enim animum Vincentij patrati ſceleris pœnitentia, quum reputaret ſecum diligentius, quantam infamiæ ſempiternæ notam nomini ſuo familiæ'que ad poſteros eſſet tranſ-

transmissurus. Quamobrem defectionis memoriã oblíterare, & recenti beneficio priorem iniuriam obscurare cupiens, nocte quadam per speciem exploratoris castris egressus, ad Regem uenit: ueniam supplex petijt, & impetrauit: deinde Regem, ad conserendas cum hoste manus, animat: docet, in tanta multitudine plurimam esse fæcem hominum inermium & imbellium: sibi uerò eas partes sumit, ut hostem, ab omni suspicione prælij auersum, fallat: ac deinde intentum in pugnam, à tergo cum suis adortus, noua re perturbet. His ita constitutis, in castra Crucigerorum reuertitur: nihil periculi à Polonis, ipsis renunciat: Regem pauidum non diutius exercitũ tenere statuisse. quod ubi accepêre Crucigeri, sublata spe prælij, reuerti in Prussiam incipiunt. Iam extremum agmen ad Blerum siue Plouuce pagum, prope Radeouiam peruenerat: ubi latè patens est planicies, ita ut opportunior is locus ad prælium esset nostris, equitatu maximè ualentibus, quàm hosti: ibiq; subitò illucescente die ij qui extremas seruabant excubias, renunciant in castra, Polonorũ exercitum adesse. Non creditum est narrantibus, Vincentio maximè omnia sibi exploratiora affirmante: donec strepitus aduentantium & hinnitus equorum exaudiri cœptus est. Non credebant etiam hostes, nostros rem uniuersæ dimicationi cõmissuros, sed tantùm abeuntium iter impedituros: ubi uerò aciem ad dimicandum instructam sensere, tum demũ tumultuari, & ad arma conclamare cœperunt. Perturbata autem re noua multitudo, nec spatium armãdi habebat: instructis tamen utcunq; primis ordinibus, in aciem prodeũt: catenisq; per balteos primorum militum immissis, ordines & phalangem colligant, ne perrumpi & perturbari ab equitibus nostris posset. Rex etiam graui oratione milites

Crucigeros

Reuertẽtes ac securos

Subitò inuadit, &

milites ad pugnam excitauit. Prima igitur de quinque Aulicorum acies, quæ erat firmissima, magno impetu & infestis animis in hostem inuehitur: pugnatur utrinque summa contentione: neque quisquam pedem referebat, sed magis quisque ferire hostem, quàm ictum declinare, studebat. Adest omnibus locis Vuladislaus, suos animans, & fessis integros submittens, ipse indefessus, quamuis effœto & senili corpore. Ibi Vincentius à tergo hostium, sublato clamore, cum suis impetum in extremos auersos (quemadmodum conuenerat) fecit. turbari illi, noua re perculsi: primi quoque exaudito post se clamore ac tumultu, respicere, ac sciscitari inter se, quid'nam esset: instant nostri acrius inspectantibus, & remissius pugnantibus. Nec mora, cæsis Ducibus, acies ancipiti prælio perterrefactas conuertunt: fit longè maior fugientium strages, quàm quæ dudum pugnantium fuerat: nec multi euadere potuêre, graui armatura equis pariter & militibus defatigatis, alioqui etiam laboris impatientibus. Cæsa feruntur hostium supra uiginti millia (tametsi Dlugossus quadraginta millia refert:) de nostris quingenti, uel (ut alij uolunt) triginta tantùm de promiscua multitudine, ac duodecim de Nobilioribus, cecidêre. Tam paruo tam insignis uictoria nostris constitit. Castra hostium opulenta capta ac direpta sunt: cæsorum numerus recognitus, & spolia lecta sunt. Ibi Rex obequitans fortè conspicatus est unũ de suis hominem Equestris Ordinis, multis uulneribus debilitatum, resupinato corpore iacentem, & ilia per uulnus effluentia manibus cohibentem: conuersusq; ad comites, Quàm magnus hic est, inquit, huius uiri cruciatus. Respondit ille, Maiorem esse eius, qui in eodem pago malum Vicinum habeat: qualem ipse expertus sit.

Strenuè uincit, &

Acriter cædit.

Vicinus malus.

Rex contrà: Bono, inquit, animo es: isthoc ego te malo liberabo, si uixeris. & sublatus curatusq́;, totum pagum, amoto malo Vicino, Regia munificentia adeptus est: insuper præclarum uirtutis testimonium consecutus, ad posteros trāsmisit: ut stemma eius familiæ, quæ tres Hastæ transuersæ sunt, Ielitorum, hoc est, Ilium nomine appelletur: quum prius Kozlerogi, ab Hirci cornibus, diceretur. Fuit autem is Florianus, cognomento Sari.

Vincentius Vincentius quoque Palatinus, ob nauatam bene operam, non modò impunitate donatus, uerùm etiam abrogata infamia, pristino honori restitutus est: hic tamen *Pristino honori restitutus* insequenti anno, conspiratione nōnullorum Equitum, quos ira & dolor amissarum rerum charissimarū in eum *Interficitur.* stimulabat, interfectus est.

DE BELLO ITERVM CVM CRVCIGERIS ac Silesijs, Cazimiri fortitudine, & Vuladislai morte. Cap. XII.

Pace frustra tentata, TEntata est deinde pax inter Vuladislaum & Crucigeros, Carolo Vngarorum, & Ioanne Boemorum Regibus arbitris: quæ tamen non conuenit, Crucigeris Pomeraniam non reddentibus. Et paulo pòst ij, *Crucigeri Cuiauiam populantur,* quum è Germania nouis copijs aucti essent, Cuiauiam populabundi infestarunt, & ignobiliora oppida facilè in potestatem suam redegerūt: Pacossum autem arcem *Pacossum Coscelecio defendente:* Albertus Coscelecius (quæ clara familia est) Palatinus Brestensis, egregiè tutatus est, & non paruis incommodis hostes affecit. Postea & Vuladislaus per Masouiam *Vuladislaus quoq; uastat illos, &* in Culmensem tractum infestum duxit exercitum, & uastare eorum regionem longè latè que cœpit. quo exciti Crucigeri, annuas inducias à Rege impetrarūt: quibus *Datis annuis inducijs,* constitutis, Rex, ut Silesios (qui superiore anno Poloniæ

niæ arma intentarant) ulcisceretur, in Silesiam copias *Silesiorum* duxit: ac nemine pugnandi copiam faciente, quinquaginta & amplius munitiones hostium cepit & incendit: *Munitiones capit unà cū* Costenum quoq́; oppidum cum arce, inter stagna & pa *Costeno.* ludes situm, quod ualido hostium præsidio tenebatur, obsidione cinxit. Irridebant nostrorum obsidionem ij qui erant in præsidio, fisi uiribus suis & situ arcis: motusq́; hac indignitate Cazimirus Regis filius, audacius *Cazimiri fortitudo.* cum ea manu, quam circum se habebat, ad mœnia progressus, ui expugnare munitionē adortus est: quod conspicatus reliquus exercitus, Ducem sequutus, non prius oppugnare arcem destitit, quàm ea per uim potitus est. quo facto, mox oppidani se dedidere. Extremū id operum Vuladislai fuit. Nam reuersus ab eo bello Cracouiam, ad sextum Idus Martias, sacris Christi mysterijs ritu Christiano perceptis, mortuus est, & in basilica Cra- *Vuladislai mors & sepultura.* couiensi ad leuam aræ maximæ sepultus, anno Christi 1333. Fertur corpus eius, pluribus post mortem diebus, *An. 1333.* dum solennes exequiæ parantur, insepultum, nihil pu- *Sanctitatis eius signum.* tredinis ac tetri odoris contraxisse. Regnauit autem ab *Quandiu regnârit, &* eo tempore, quo diademate cinctus est, annis tredecim & paulo amplius: Princeps singulari patientia & man- *Qualis fuerit.* suetudine animi præstans, & adeuntibus perfacilis: statura perbreui: cæterùm manu promptus, uirtute uerò tanta & animi magnitudine usq́; ad decrepitam ætatem uaria fortuna exercita, ut cū maximis Regibus rectè comparari posit: ac eò quidem magis, quò turbulentius & mutilatius Regnum accepit.

LIBER X.

DE CAZIMIRO SECVNDO *Magno, & niue ac locustis.*

Caput I.

Cazimirus unà cum uxore sua,

CAzimirus omnium Procerum & Equitum uoluntate, patri in Regnum sufficitur: de uxore uerò noui Regis scrupulus iniectus est. Negabat enim Heduigis Cazimiri mater, se Regina superstite eam coronari debere: tamen exorata à filio, cessit: atque, ut iniectum scrupulum prorsus demeret, Sandeciam antiquam secedens, diui Francisci institutum uitæ professa est. Itaque Cazimirus unà cum uxore Anna in basilica Cracouiensi ab Ianislao Archiepiscopo solenni ritu inunctus, diadema accepit. Datus est autem illi iuuenilium consiliorum moderator Iascus siue Ioannes Melstinius, Castellanus Cracouiensis, uir grauis & prudēs, & amans Reipub. neque quidquam memorabile, eo & sequenti anno, in Polonia gestum est: nisi quòd uicesima tertia die Aprilis, intra annum à coronatione Regis, ingens nix decidit: quæ quum quinq; dies durasset, prœter omnium exspectationem singularem fertilitatē agris attulit. Insequenti uerò anno, qui fuit 1335, tanta uis locustarum peruagata est, ut uolantes Solis aspectum hominibus adimerent: humi uerò stratæ, equorum ungulas crassitudine superarent: quę depastæ maturescentes segetes, angustiorem annonam fecêre.

Heduigi matre cedente et in monasterium secedente,

Coronatur:

Additurq; ei Magister.

Nix ingens agros reddidit fertiles.

An. 1335.

Locustarum uis magna.

DE

DE PACE CVM CRVCIGERIS FACTA, *& eius conditionibus ab ipsis non seruatis.*

Caput II.

NOuembri uerò mense eiusdem anni pax inter Cazimirum & Crucigeros, arbitrio Caroli & Ioānis Regum Villegradi in Vngaria facta est, iniquior Cazimiro quàm Crucigeris: accepit tamen eam pacem Cazimirus, plus quàm dignum erat, quietis & otij cupidus. Fuit autem in conditionibus, ut Crucigeri Pomeraniā, concedente Rege, retinerent, atq; etiam Nessouiensem arcem in Cuiauia supra Vistulam: Regi uerò Dobrinensem, & Cuiauiam relinquerent (nec ea quidem portione exclusa, quæ ad Cazimirum Ducem, Zemouiti filiū, pertinebat) ac decem millia florenorum pro damnis datis annumerarent: non steterunt tamen his pactis Crucigeri. Non enim reddebāt, ex Decreto, Cuiauiam & Dobrinum Cazimiro. quod quum ille ad Senatum & Comitia retulisset, omnibus indigna res uisa, post tam iniquum arbitrium nouas res durioresq; eos moliri: itaque bellum malle, quàm tam iniquam & ignominiosam pacem. Placuit tamen, non inferre bellum: sed, si inferatur, propulsare: ad Pontificem uerò Max. Benedictum, eius nominis duodecimum, de ui & iniurijs Crucigerorum, propter Religionem ad eius iurisdictionem pertinentium, missus est Legatus Ioannes Grotus Slupecius Episcopus Cracouiensis: qui diligentia sua perfecit, ut is Galardum Titulensem Præpositum, & Petrum Geruasium Aniciensem Canonicum, Legatos & Iudices ea de re in Poloniam & Prussiam mitteret: qui, Polono Regi Cuiauiam & Dobrinum reddi, & decem millia florenorum adiudicata numerari à Crucigeris, curarent. Crucigeri uerò (ut prætextum aliquem iniuriæ, & neque arbi-

Pace per arbitros inter Cazimirum & Crucigeros facta,

Eius conditionibus non satisfaciunt Crucigeri,

Etiam ipsum Pontificem

Ac Legatos eius,

 trorum

trorum decreto neq; Pontificis mandatis parendi, haberent) perfecerunt apud Ludouicum Cæsarem, ut is Magistro Theodorico Aldemburgio & uniuerso Ordini, grauissima pœna adiecta, interdiceret, ne cuiusquã pręcepto quidquam de ijs terris cuiquam concedant, præter assensum suum. Quum autem Iudices, à Pontifice delegati, Varsauiæ cognoscendæ causæ aliquãdiu operam dedissent: refutata friuola detrectatione & prouocatione, anno Christi nati 1339 adiudicarunt Cazimiro & Polonis Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinensem, Culmensem, & Michalouiensem ditionem: Crucigeros autem ad centũ nonaginta quatuor millia, & quingentas marcas Polonicas, pro damnis datis, itemq; ad mille sexcentas marcas impensarum nomine, condemnarũt: ad hæc, ut templa & monasteria, superiori bello in Polonia diruta & exusta, instaurarent. quumq; iudicata non facerent, anathemate deuoti sunt.

Cæsarem causæ iniquæ patronum quærentes.

An.1339.

Obstinatè nolentes audire.

DE SVCCESSORE REGNI DESIGNATO, & Russis in formam Prouinciæ redactis.

Caput III.

Cazimirus carens liberis,

QVum uerò Cazimirus nullos ex Anna uxore mares liberos susciperet, ac de successore in comitijs Cracouiæ habitis consultaretur, omniũ sententiæ in Carolum Regem Vngarorum, sororis Cazimiri uirum, & filios eius inclinauerũt. qua re confecta ex animi sententia, Cõuentuq; dimisso, mox Vissegradum ad Carolum se contulit Cazimirus cum splendido comitatu: ibi fœdera inter uicinos populos duos renouata & confirmata sunt, & pacta cum Rege & Regijs filijs de sententia totius Conuentus Polonici inita. Sequenti anno quum in Russia Meridionali mascula progenies Danielis Regis libero-

Successorem Regni constituit:

Cum Vngaris fœdera & pacta cõfirmat.

Danielis Russi progenie deficiente,

liberorum, quorum summa erat in Russis auctoritas & potentia, defecisset: Cazimirus Rex (ratus uenisse tempus, quo Russiam, Maiorum suorum negligentia amissam, facilè in potestatem suam posset redigere) subitario exercitu de aulico suo Procerumq; comitatu coadunato stipatus, mense Aprili magnis itineribus in Russiam contendit, Leopolimq;, caput gentis, circunsedit. Nec longum tempus intercessit, quum sese, arcemq; superiorem & inferiorem, atque oppidum, Russi dedidêre, illud unum pacti, ut retinere sibi ueteris Religionis ritus liceret. Ingens ius auri & argenti, uetusta Russorum Ducum gaza, in ijs arcibus reperta est: in qua insignes erant duæ cruces aureæ, plurimis & pretiosis gemmis distinctæ: quarum altera portionem ligni, in quo Christus Iesus pependit, inclusam habuit, quæ extat etiamnum in basilica Cracouiensi. Nec multo interiecto tempore indicta expeditione uniuersali Cazimirus, ad subigendam reliquam Russiam reuertitur: nulloq; negotio, Præmislia, Sanoco, Halicia, Trebouula, Lubassouia, cæterisq; omnibus munitionibus potitus est, ita ut ad Cameneciam usq; arma circumferret. Atque his ita gestis, Rex Conuentu Russorum habito, in formam Prouinciæ Russiam à se subactam redegit: Palatinos, Castellanos, Præfectos, Iudices, & alios Magistratus, Polonorum more, instituit, Russosq; eodem cum Polonis iure esse iussit.

Cazimirus Russiam recuperat:

Leopolim capit, cum

Magnis thesauris &

Duabus crucibus:

Russiamq; subactam

In formam Prouinciæ redigit.

DE ALTERA VXORE AC LIBIDINIBVS Cazimiri, bello cum Tartaris ac Boemis.

Caput IIII.

REuersus à Russico bello Cazimirus, Anna uxore amissa, alteram duxit Adleidam siue Heduigim, Hẽrici Hessorum Landgrauij filiam, cum dote duũm millium

Anna uxore mortua, Altera fit uxor Cazimiri Adleida:

lium ſexagenarum Pragenſium. quæ quum eſſet deformior, mox eam deſpicatui habere cœpit: & ſegregatam à ſe, in Zarnouecenſem arcem relegauit, quò maiore licentia libidinibus indulgeret. Nam hæ ſic animum eius emollierunt, atq; dementarunt, ut iniquas pacis conditiones à Crucigeris acciperet potius, quàm erepta ab his bello repeteret: facileq; conceſsit petentibus, ut Iure omni, quodcunq; à Maioribus ſuis haberet, in Pomerania, Culmenſi, & Michalouienſi ditione, ſeſe poſterosq; ſuos, iureiurando interpoſito & literarum monumentis conſignatis, abdicaret. quod Diploma Rex & primariæ ciuitates conſignarunt: Epiſcopi uerò, neq; ut ſignarẽt, neque ut approbarent, adduci ulla ratione potuêre. Annus quo hæc acta ſunt, fuit 1343. Quo quidem anno ingentes Tartarorum copiæ in Rußiam & Poloniam inundauêre: de quorum aduentu quum tempori Cazimirus à ſuis è Rußia certior factus eſſet, coacto celeriter exercitu, in Sendomirienſem tractum obuiam eis profectus, poſitis in ripa Viſtulæ ſtatiuis, tranſitu fluminis arcere eos ſatis habuit, non auſus cum longè maioribus copijs manus conſerere. Eminus modò, hinc baliſtis, illinc arcubus, uelitatum eſt: in eaq; uelitatione Albertus Palatinus Sendomirienſis, gente Habdancus, ſagitta ictus cecidit: Tartari uerò fruſtra tentato in multis locis tranſitu Viſtulæ, ferro atq; igni obuia quæq; uaſtantes, per Lublinẽſem tractum retrò abiêre. Anno deinde, qui fuit poſt Chriſtum natum 1345, Ioãnes Boemorum Rex Polonis bellum intulit: & tanto quidem ardore animi, ut (quamuis ſenio laboribusq; confectus eſſet, ac alterũ quoq; oculum iam amiſiſſet) tum deniq; ſe moriturum affirmaret, quum Cracouię muros manu uictrice palpaſſet: ſed fortuna uotis ſuis non reſpõdente, turpiter à noſtris

Eaq; Cazimirus Zarnouũ relegata, libidinibus indulget,
Cum magno Regni malo,
Epiſcopis repugnantibus.
An. 1343.
Tartaris Cazimirus obuiam profectus,
Viſtulæ tranſitu eos arcet:
Caſoq; Palatino Sendomirienſi,
Tartari domũ redeunt.
An. 1345.
Ioannes Boemorum Rex, magna minatus Cracouiæ,
Turpiter fugit:

ſtris fuſus & in fugã actus eſt. Palma rei tunc bene geſtæ Prendotæ Galcæ, gente Odrouanzo, data: itaq; magnis præmijs & militari baltheo à Cazimiro is ornatus eſt.

Galca Odrouanzo, propter rem bene geſtam, honorato.

DE LEGIBVS VISLICENSIBVS, TEMPLO Corporis Chriſti & Cazimiria, Ioanneq; Epiſcopo Cracouienſi. Caput V.

Leges, in comitijs Viſlicenſibus, hoc eodem anno ſcriptæ ſunt: quibus Palatinorum & Iudicum infinita poteſtas certis cancellis coercita eſt, ut ne ex moribus aut libidine ſua, ſed è ſcripto Iure deinceps iudicarent. Nec hoc ſilentio prætereundum eſt, quod apud Cracouiam per eadem tempora accidit. Nam quum ſcelerati quidam homines, ſacrilega cupiditate adducti, ſanctiſsimum Corpus Chriſti cum ferculo, è templo omnium Sanctorum memoriæ dicato, ſuffurati eſſent: atq; id ferculum, non aureum (ut crediderunt) ſed æreum inauratum eſſe comperiſſent, apud Bubalum ſiue Bauolum pagum ſuburbanum, qui erat in ditione Collegij baſilicæ Cracouienſis, in cœnoſam paludem id impiè & irreuerenter abiecerunt: moxq; locus crebris ignibus atq; faculis, dies noctesq; aliquot perpetes, colluſtratus eſt. Id miraculum poſteaquam ad Epiſcopum perlatum eſſet, neq; cauſa tamen eius pateret, poſt indictum triduanum ieiunium Epiſcopus eò cum ſolẽni pompa ſacerdotum & ſupplicationibus profectus eſt: repertumq; ſanctiſsimum Corpus, ingenti cum ueneratione illò, unde ſublatum erat, retulit: in eo uerò loco, ubi id repertum eſt, Cazimirus inſequẽti anno auguſtum templum titulo Corporis Chriſti de coctis lateribus ædificauit: ſucceſſuq; temporis peramplum ſpatium muro cõplexus, nouum oppidum cõdidit, & Cazimiriam de ſuo nomine appellauit,

Leges in comitijs Viſlicenſibus.
Corpus Chriſti ex omniũ S. templo ablatum,
Et in paludẽ proiectum mirabiliter,
Repertum refertur reuerenter,
Conditq; ibi Cazimirus templum Corporis Chriſti, & Cazimiriam cum monaſterio.

lauit. in quo oppido monasterium etiam aliud excitauit Ordini monachorum, siue eremitarũ, Augustinẽsium.

An. 1347. *Mors Ioannis Grothi Episcopi Cracouiensis magnanimi.*

Porrò anno post Christum natum 1347. Ioãnes Grothus Episcopus Cracouiensis mortuus est. Fuit autem hic excelsi & constantis animi, ita ut Cazimirum Regem, nouum oppidum Socolnicos prope Scarbimiriam cõdentem, auctoritate Ecclesiastica (quemadmodũ Dlugossus memorat) desistere à cœpto cogeret: propterea quòd futurum erat, ut eo oppido condito, Scarbimiria (quæ est in ditione Præpositi Scarbimiriensis) desereretur.

DE RVSSIA RELIQVA SVBACTA, REGNI *successore designato, libidinibus Cazimiri incorrigibilibus, & graui pestilentia. Cap. VI.*

An. 1349. *Cazimirus reliquam Russiam sibi subijcit,*

ANno deinde 1349. fecit Cazimirus Rex expeditionem in Russiam: ac magna felicitate usus, una æstate expugnatis arcibus, Lusco, Vuladimiria, Breste & Chelmo, ac ceteris in deditionem acceptis, Voliniam omnem, Belsensemq; & Brestensem tractum, in potestatem suam redegit: Russos Duces, deditionem facientes, retinere sua iussit: primarijs modò munitionibus Polonos præfecit. Vngarorum quoq; Regem Ludouicũ, Successorem in Regno designauit, si ipse sine masculis liberis decederet. Misit autem tunc Ludouicus matrẽ suam in Poloniam, ut suo nomine iusiurandum à Polonis exigeret. Reuersus à Russica expeditione Cazimirus, secũdis rebus laudibusq; hominũ insolescens, de libidinibus nihil omnino remisit: sed palàm cõcubinas, Opocini & Cressouiæ, alebat: & quum à Bozenta Episcopo Cracouiensi officij admoneretur, non modò non resipuit, sed etiam subiectos illi homines in territorio Sendomiriẽsi, per Ottonem Pilecium, gente Toporum, Palatinum & Præfe-

Polonos munitionibus præficiens, & Ludouicum Vngarorum Regem successorem sibi designat. Cazimirus libidinis seruus, Bozentam Episcopum se admonentem persequitur:

Præfectum eius loci, indebitis tributis & laboribus uexauit. Porrò quum his de rebus Episcopi Polonici Pontifici Maximo indicassent, isq; moneri eum suo nomine uellet: Martinus cognomento Barisca, unus de Vicarijs basilicę Cracouiẽsis, qui solus id facere ausus est, in profluentem Vistulæ demergi ab eo iussus est: uerùm id scelus non diu Diuina Maiestas inultum esse siuit. Nam & Rex diris deuotus est à Bozenta Episcopo: & pestis acerba duobus illis annis Poloniam omnem peruasit, tanta ui grassata, ut pagos atque oppida hominibus uacua redderet. Increbruẽre tunc per uniuersum ferè Christianum orbem, greges uirorum pariter & mulierum, nudis umbilico tenus corporibus obambulantiũ & flagellantium sese, Diuinam clementiam miserabilibus uocibus implorantium, uexillis præeuntibus: itaq; in Poloniam quoq; ij tunc uenẽre ex Vngaria: sed quum ea religio, siue superstitio, à flagitijs & prauis dogmatibus non penitus immunis esse deprehenderetur, pœnis coercita & extincta est.

Monitum autem à Pontifice, Vicarium Cracouiẽsem necat, Excommunicatus, & Peste afflictus, Greges uirorum ac mulierum, Sub Pietatis prætextu Impij, Pœnis coercentur.

DE LITVANORVM PER PRODITORES *Polonos excursionibus, Podolia à Tartaris uastata, & Cazimiri Pœnitentia. Caput VII.*

INfestarunt deinde & uastarunt Lituani crebris excursionibus Sendomiriẽsem tractum penè omnem: nec deerant de nostris, qui Barbaris duces se ad uastandam patriam præberent: qui locorum & rerum periti, clàm excursiones Lituanorum dirigebant. Fortè autem accidit, ut Petrus quidam gente Ianinus à Barbaris, in interiorem Poloniam excurrere destinantibus, ad explorandа Vistulæ uada præmitteretur: inuentumq; uadum, infixis in alueo fluuij prælongis stipitibus, notauit, & quũ renun-

Lituani Sendomiriensem tractum uastant, Polonis ducibus; Petrusq; Ianinus, Dum imprudens

renunciasset Lituanis, rediijt: paulò uerò pòst quum piscatores, ad eum locum nauiculis aduecti, animaduertissent, id quod erat suspicati, euulsos stipites non longè in profundiori & uerticoso flumine infixerunt. Nocte ergo intempesta Lituani, quò facilius nostros fallerent, monstrante Petro transire incipiunt: & non pauci, qui in flumen primi se præcipitarant, eius altitudine absorpti, unà cum equis perierunt. quod ubi Duces animaduerterunt, dolum subesse rati, Petrum proditorem in ripa capite plexerunt: maioresq; insidias ueriti, interdiu latitantes, nocturnis itineribus recesserũt. Fertur autem postea Iagello, quum esset Rex factus, Petri bona propter proditionem illam confiscasse. Tartari quoq; per idem tempus Russiam inferiorem, quæ Podolia dicitur, quæ & ipsa iam in Cazimiri Regis ditione erat, depopulati sunt. His itaq; tot tantisq; calamitatibus admonitus Cazimirus, tandem admissum in sacerdote necando scelus lachrymis & austeriore uita expiare instituit: missoq; Albrico siue Alberto Cancellario Dobrinensi, absolutus à Clemente sexto Pontifice Maximo, Societati Ecclesiasticæ recõciliatus est: condiditq; complura templa, Sendomiriense, Vislicense, Sidlouiense, Stobnicense, Sagoscense, & Gargouiense: ac multa præterea ad placandam Diuini Numinis iram, pia & præclara opera tunc edidit.

Lituanos in periculũ præcipitat,

Capite plexus,

Bonis insuper priuatur.

Podoliam uastãt Tartari.

Cazimirus agit pœnitentiam, &

Absolutus à Pont. Max. Templa confirmit.

DE NIVE FERTILI, MASOVIA REGNO adiuncta, Theutonibus & Iure Saxonico. *Caput VIII.*

ANno Christi 1353, quum Martius, Aprilis & Maius, ultra medium, uerno ac penè æstiuo calore, ad calamos & aristas segetes perduxissent: coorto derepẽtè acri frigore

An. 1353. Pòst calores æstiuos nix delapsa

frigore & gelu, nix duos cubitos alta terram operuit, & in sextum usq; diem durauit: qua soluta postea, quũ corruptas esse segetes omnes existimarent, tanta præter spem ubertas frugum, quãta uix unquam aliàs, fuit. Accessit eodem anno Masouia ad societatem cæteræ Poloniæ, Zemouito Duce ijs pactis in Regni Regisq; potestatem se submittente: ut totius quidem Masouiæ Dominatum ipse obtineret: uerùm nõ hæreditario iure, sed Regia munificentia, & in Feudum (ut uocant) se eum habere, Regisq; maiestatem se cum posteris suis comiter conseruaturum, & contra quosuis hostes, Barbaros iuxtà atq; Christianos, auxilio semper Polonis affuturum, neq; cum quodam fœdus ullum inconsulto Rege sanciturum, solenni ritu & iureiurando profiteretur. Acta sunt hæc Calissij, ad V I. Calendas Ianuarij, anno Christi 1355. His autem peractis, Cazimirus, quum Poloniam atq; Russiam, partim bellis superioribus & excursionibus Barbarorum, partim pestilentia exinanitam, minus cultã minusq; populosam esse cerneret: Teutonici generis hominib. siue accitis, siue ultrò uenientibus, agros attribuit (quorum non exiguæ reliquiæ in Submontana & Vngaris finitima regione, & Russia, in hodiernum usq; restant diem) eorumq; cura & opera, frequentior Polonia & cultior esse pagis & oppidis cœpit. Sunt enim frugales & diligentiores in re parãda ac tuenda, quàm Poloni, & lautius habitant. Fuit in eos Teutonas, in cæterosq; oppidanos & agrestes, propensior & indulgentior Cazimirus, ita ut uulgò Rusticorum siue Plebeiorũ Rex uocaretur. Non solùm autem eos Teutonas Iure suo Saxonico seu Magdeburgensi uti permisit, sed suis quoq; Polonis id indulsit. Quoniam uerò ab ijs Iudicijs ad Magdeburgense tribunal prouocabatur,

Frugum ubertatẽ attulit.

Masouia Zemouito Duce ad Regni societatem accedit.

An. 1355. In Poloniam & Russiam ex[illegible] ...itam

Teutones inducti: &

A Cazimiro ipso Rege Plebeio,

Iure Saxonico uti permissi,

In arce Cracouienſi ſupremo Iudicio conſtituto.

non ſine infamia Polonorum ac ſumptu: in arce Cracouienſi ſupremum & prouinciale Iudicium Teutonicum conſtituit, ad quod Prouocationes omnes ab inferioribus Iudicibus ex tota Polonia fierent: eiq; Iudicio prȩſidet eius Iuris Aduocatus cum ſeptem Scabinis, quos Magnus Procurator arcis legit.

DE TERTIIS CAZIMIRI NVPTIIS, *Valachica expeditione infelici, peſte graui, & Leopolienſi Eccleſia Metropolitana.*

Caput IX.

Heduigis altera uxor Regis à patre reducta

HEduigis ſecunda (ut dictum eſt) Cazimiri uxor, quum quindecim annis in Zarnouecio caſtello quaſi relegata, honeſtè tamen & lautè habita, uixiſſet, ad extremum à patre, nemine prohibente, domum reducta eſt, & paulo pòſt è uiuis exceſsit. Nec diu cunctatus Cazimirus, tertiam duxit uxorem Heduigim, Henrici Glogouienſium Ducis filiam: poſt cuius nuptias, anno 1359, ignominioſam fecit expeditionem in Valachiam, huiuſmodi de cauſa. Mortuo Stephano Voieuoda Valachorum, duo filij eius Stephanus & Petrus de Principatu contendebant: Petro'que, quamuis natu minori, tamen propter liberalem indolem & morũ ſuauitatem plures fauebant. & acceperat is etiam ab Vngaris auxilia: itaq; nullo negotio Dominatum occupauit. Excluſus itaq; Dominatu Stephanus, in Poloniam cum nõnullis ſuæ factionis Valachis ad Cazimirum Regem profugit: & quum ſe in poteſtate & clientela eius fore polliceretur, facilè ab eo impetrauit, ut ſe ad paternum Dominatum ui & armis reduceret. Igitur Cazimirus conſcriptum è Minore Polonia & Ruſsia exercitum initio menſis Iulij in Valachiam cum Legatis & Stephano miſit:

Moritur: Et tertiam, Heduigim quoq;, Cazimirus ducit.

An.1359. In Valachica expeditione

Propter Stephanum Stephani Voieuodæ filium facta.

miſit: Petrus autem ubi ſe imparem eſſe animaduertit Polonis, ad dolum ſe conuertit, & quò facilius incautos falleret, cum exulibus redit in gratiam. Superanda erat Polonis, interiorem Valachiam ingreſſuris, ſylua denſa & impedita, quæ Ploniny à ſoli ſterilitate uocatur: eam Petrus cum ſuis inſedit, & quà noſtri iter facturi erant, arbores ſuccidit, ita ut truncis tamen utcunque hærerent. Vbi ergo noſtri indaginem illam ingreſsi ſunt, ibi coorti ex inſidijs Valachi arbores ſuccisas ui impellunt, ab extremis ita orſi, ut cæteræ mutuò ſeſe impellerent. qua quidem ruina noſtri ſic obruti ſunt, ut qui obtriti & extincti non ſunt, uiui tamen, ferè debilitatis & colliſis membris, in hoſtium poteſtatem uenerunt. Cazimirus autem clade hac ad ſe perlata mœſtus, ac de proditione exulum queſtus, de redimendis captiuis ad hoſtem miſit, & facilè impetrauit. Hanc cladem Valachicam alia non minor domeſtica, poſt unum annum, conſecuta eſt è peſtilentia: quæ quum latè per Poloniam ſex menſibus ſerperet, in oppidis atque pagis dimidiam fermè partem hominum abſumpſit. Cracouiæ quidem uiginti millia mortuorum cenſa ſunt: magis tamen ea in locupletes & nobiles, quàm in uulgus graſſata eſt. Anno ſequẽti, qui fuit 1361. Cazimirus Rex, miſsis ad Vrbanum quintum Pontificem Max. Oratoribus, impetrauit, ut in Ruſsia Cathedra Metropolitica Leopoli inſtitueretur: primuſq; Criſtinus, homo Equeſtris Ordinis, à Gneſnenſi Archiepiſcopo, prȩſente Rege, conſecratus eſt.

Per dolum

In ſylua Ploniny

Omnes Poloni abſumpti:

Cazimirus autem captiuos redimit.

An.1360. Peſtilentia ſex menſium grauiſsima.

An.1361.

Leopolienſis Eccleſia Metropolitana.

DE FAME GRAVI, NVPTIIS SPLENdidè à Cazimiro celebratis, Iure ſuccedendi remiſſo, & metallis Bythomienſibus. Caput X.

An. 1362.
Fames grauis, Regis beneficentia mitigata: indeq;

INſequens annus annonæ penuria & fame inſignis fuit: quæ tamen Regis beneficentia mitigata eſt. Nam in eius prædijs erat ingens uis frumenti, è ſuperiorum annorum ubertate reliqua: idq; frumentum ditioribus quidem iuſto pretio uendi iuſsit: plebs uerò egena partim commutatione rerum frumentum accipiebat, partim opus faciendo merebat. quo quidem tempore complures arces & oppida muris, uallis atque foſsis munita ſunt: piſcinæ, aggeres, & aquæductus, multis in locis facti.

Opera multa facta,

Et pecunia magna collecta.

Redegit autem & pecuniam non modicam Cazimirus è frumento uendito: quæ ſplendori eius, ſequenti anno, non minimum ſuffragata eſt.

An. 1363.
Caroli Imperat. nuptiæ,

Carolus etenim Imperator Elizabetham neptim Cazimiri Regis, Boguslai Ducis Scecinenſium filiam, uxorem ducere inſtituit, Ioanne quodam Franciſcano id procurante: qui ab Vrbano Pont. Max. ad componendas inter Carolum Imperatorem & Ludouicum Vngariæ Regem inimicitias, atque adeò maximum iam utrinque oriens bellum ſopiendum, miſſus fuerat. Et iam Ludouicus cum Ruſſorum ac Tartarorum auxilijs Cazimirum, & per eum Sigiſmundum Danorum Regem, Boguslai propinquum, in ſocietatē belli pertraxerat: Carolus uerò Boemiam, Morauiam & Germaniam omnem ad arma concitabat: ſed Ioannis Franciſcani prudentia (qui impigrè iam ad Carolum, iam ad Ludouicum & Cazimirum recurrebat) non modò pacem inter inimicos Reges, uerùm etiam affinitatem confecit. Nuptijs igitur dictus locus Cracouiæ,

Cracouiæ magno cũ ſplendore à Cazimiro

uiæ, ad Liberalia, quod Carniſpriuium uulgò uocant: quò conuenęre inuitati à Cazimiro Reges, Ludouicus Vngarorum, Sigiſmundus Gottorum ſiue Danorum, & Petrus Cypriorum, Ponto & aduerſo Iſtro in Valachiam, & inde terreſtri itinere per Ruſsiam, Cracouiam aduectus: Duces præterea Otto Bauarorum, Zemouitus Maſouiorum, Boleslaus Suidnicenſium Bernardi defuncti frater, Vuladislaus Oppolienſium, & Boguslaus cum ſponſa filia: ad extremum autem uenit Carolus cum ſplendido comitatu: ei'que uenienti omnes Principes atque Reges cum Cazimiro Cracouia ad unum milliarium obuiam profecti, & non modicum ſpatium pedibus progreſsi (quòd idem facere Imperatorem cognouerant) amicè inter ſe conſultarunt.

Celebratæ:

Quum autem urbi appropinquaret Carolus, ſponſam cum patre & magna puellarum ac matronarum caterua obuiam habuit: deductus'que cum ingenti pompa Cracouiam, in arcem, Cazimiro rogante, diuertit. Omnes liberaliter ac magnificentiſsimè habiti ſunt, durantibus uſque in uiceſimum diem nuptijs & conuiuijs. & quum omnia ad nutum abundè ſuppeditarentur hoſpitibus, Regiorum Procuratorum atque Diſpenſatorum prouidentia: tamen ne quid magnificentiæ deſideraretur, magna dolia in foro ſeu circo urbis collocata ſunt, alia uini, alia auenæ plena, unde ſumerent, quantum quiſque uellet. Præerat autem Procuratoribus Verincus Germanus, Conſul Cracouienſis. qui quum eſſet ditiſsimus, non habuit ſatis, nuptias illas Regio nomine quàm ſplendidiſsimè adminiſtrare: ſed ut ſua quoque magnificentia Poloniæ ſplendorem adderet, Imperatori, Regibus, Ducibus, & Proceribus eorum, domi ſuæ conuiuium magnifico appa-

Verinco Conſule Cracouienſi multum quoq; ſplendoris eis addēte.

ratu dedit, & ampla munera omnibus largitus est, inprimis autem Regi suo Cazimiro, ita ut, quæ ei donauit, plus centum millibus florenorum æstimata esse dicantur. Nuptijs rite peractis, & fœdere sempiterno inter Reges icto, Cazimirus sororis filiæ centum millia florenorum dedit. Quoniam uerò habebat is uxorem, & ex ea iam filiam unam atque alteram susceperat: remisit ei Ludouicus Ius succedendi, ea conditione, si quem is filium post se relinqueret. Per hoc tempus metalla Bythomiensia, plumbi cum argento intermixto feracia, euanuerũt, post interfectos ab oppidanis publico cõsilio duos sacerdotes, Petrum, Parœcum oppidi: & Nicolaum, qui ipsi erat à sacris concionibus.

Cazimiri munus sponsæ datum. *Cazimiri filiæ, & Ius succedẽdi remissum.* *Metalla Bythomiensia euanescũt, propter interfectos sacerdotes.*

DE CAZIMIRI MORTE ET REGNO *ac uita, & Iudæorum prærogatiuis.*

Caput XI.

An. 1370. Cazimirus die Natiuitatis Mariæ Venatum profectus,

PORrò anno 1370. Cazimirũ in Siradiensi tractu grauis casus afflixit. Fortè enim ad VI. Idus Septemb. (qui dies, Mariæ matris Dei natalis, anniuersario & solenni ritu à Christianis celebratur) uenatũ in proximas syluas, frustra dissuadentibus nonnullis pijs hominibus, profectus erat: ubi quum cupidius ceruum fugientem, impedito loco & inter uepres, persequitur, labente magno cum impetu equo, quo uehebatur, uehementer homo senex & carnosus conquassatus est, ita ut febre exagitaretur. Cracouiam deinde aduectus, & magis ac magis languens, Medicos rogat, ut uerè ac liberè sibi dicerent, an de uita sua desperarent: sed ijs (ut fit) bonã spem ostentãtibus, nihilominus (quum destitui se uiribus animaduerteret) accito Episcopo Cracouiensi Floriano, ac non-

Cũ equo concidit: &

nonnullis alijs de cœtu sacro basilicæ Cracouiensis, ad hæc & aulicis ministris suis, in Christiana Religione, uti Christianũ decet, se mori professus, quædam Gnesnensi & Posnaniensi basilicis, Cracouiensi uerò Crucẽ illam insignem, quam Leopoli deportarat, cum inclusa portione ligni Crucis Christi, donauit: tandemque sacris mysterijs de more procuratus, Nonis Nouembris uitam cum morte commutauit: ac tertia die pòst, in basilica Cracouiensi ad dexteram aræ maximæ honorificè sepultus est: ubi extat eius adhuc monumentum, cum imagine sculpta in marmore. Regnauit autem Cazimirus annos triginta septem, uixit sexaginta, pacis quàm belli artibus & operibus clarior: inde etiam Magni cognomentum solus hic inter Polonorum Principes, non tam uirtute bellica & uictorijs meruisse uidetur, quàm operibus magnificis, & plurimarum arcium ac oppidorum munitione: & quòd omnium, summorum pariter & infirmorum hominũ erga se beneuolentiam, ijsdem quibus collegerat uirtutibus (hoc est, iustitia, facilitate, humanitate, elegantia, & clementia) ad extremum retinuit. Etenim, ad gloriam quidẽ plus ualent bellicæ uir- „ tutes, præsens uerò hominum beneuolentia lenioribus „ his uirtutibus facilius comparatur: magis illas ferè ho- „ mines admirãtur, sed has gratiore memoria prosequun- „ tur. tametsi bellicæ quoque gloriæ non expers fuit, cùm „ alibi, tum in Russia maximè: quam à Maioribus suis amissam, maiore facilitate, quàm sudore, recuperauit. Arcium & oppidorum in Polonia plerorumque omnium munitiones, ac templa latericia, eius sunt opera: & monasteria itidem aliqua: quibus omnibus amplam & luculentam supellectilem, ad Cultum Diuinum accommodatam, attribuit. Cæterùm domestica uita

Moritur, sepultus Cracouiæ. *Regnum eius quale: &* *Cur Magnus dictus.* *Opera ab ipso facta.* *Vita eius qualis: &*

uita impurior fuit, in cibo potu'que intemperans, in libidines proiectus, ita ut etiam Iudææ cuiusdam Hester consuetudine uteretur. cuius opera gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à Rege adepta est, cùm nouas, tum quas ipsis olim Boleslaus, Dux Calissiensis, in sua ditione concesserat. Cazimiro etiam regnante (ut ne pios homines suis laudibus defraudemus) Mathias Golanceuius, gente Toporus, Episcopus Vuladislauiensis, basilicam Vuladislauiensem nouam condidit in oppido, quum prius sub arce fuisset: aliud item templum, S. Vitalis martyris memoriæ dicatum, in eodem oppido extruxit: arces Vuladislauiensem & Racianzum cocto latere muniuit. Iaroslaus quoque Scotnicius, gente Bogorius, Archiepiscopus Gnesnensis, permulta præclara monumenta reliquit.

Iudæorũ prærogatiuæ.

Ecclesia Vuladis. cõdita, &

S. Vitalis tẽplum, & Vuladis. atq; Racianzum arces.

Iaroslaus Scotnicius.

LIBER XI.

PROOEMIVM.

Per nongentos aliquanto plures annos semper Polonia, ad Cazimirum usq; Regem, sui generis Reges atq; Principes habuit, Venceslao Boemo, de quo Libro IX. & Cap. III. egimus, excepto: deinceps uerò à Cazimiro exteri apud Polonos regnarunt, quorum posteritas ad hunc usque diem durat atque feliciter regnat.

Princeps atq; Reges nostrates, &

Externi.

DE

DE PORTIONE LIGNI CRVCIS À Lituanis restituta, & Ludouico Vngarorum atq; Polonorum Rege. Caput I.

POst uulgatam Regis Cazimiri mortem, Lituani in Lublinensem ac Sendomiriensem tractum excursionem fecere, atq; inter cætera Calui Montis monasterium diripuêre: unde quum, inter aliam prædã, portionem Crucis Christi auro inclusam asportarent, & ad fines Poloniæ peruenissent, memorabilis res accidit. Plaustrum enim, quo Crux cum cætera præda uehebatur, nulla ui, neq; iumentorum neq; hominum, loco moueri potuit, quin subitò conciderent exanimati homines, equi & boues, quicunque id plaustrum attigerant. Cognita autem ex Russo quodam miraculi & cladis suæ causa, Barbari mox Crucem, cum Chorabala quodam Nobili captiuo libertate donato, ad locum suum remiserunt. Cæterùm Ludouicus Rex Vngarorum, quem Cazimirus multo antè successorem sibi designarat, licet mox de morte auunculi certior factus esset: tamen continuit se domi, & quorsum Polonorum consilia uergerent, exspectabat. nec ita multo pòst uenerunt ad eum Vissegradum è comitijs Polonorum Oratores, Florianus Episcopus Cracouiensis, & Ioannes Strelcius Cancellarius Poloniæ, rogantes, ut primo quoq; tempore in Poloniam ueniret, Regnumq; destinatum susciperet. Audita illa Legatione, aliquandiu, quid faceret, deliberauit: cunctanti uerò quum & nostri orando, & Vngari Proceres suadendo instarent, tandem respõdit: Non satis intelligere, neque hos, quid suadeant: neque illos, quid petant. È neutrorum enim id re fore: sicuti ne duobus quidem gregibus

Lituani post res multas direptas,

Crucis Christi portionem,

Miraculo coacti,

Per Chorabalam remittunt.

Ludouicus Rex Vngarorum, à Cazimiro successor designatus,

Post longam deliberationem,

bus expediat, unum habere pastorem. Sed tamen, uictus precibus Oratorum annuit. Venientem Proceres Poloni, cum frequenti Nobilitate ad Sãdeciam obuiam progresſi, excepêre, & Cracouiã deduxere. De coronatione dein noui Regis, ab Archiepiſcopo & Maioribus Polonis ſcrupulus iniectus: quòd ij contendebant, ut ea Gneſnę more ueteri fieret: ſed Ludouicus, proximorum Regum, Vuladislai aui, & Cazimiri auunculi, exemplũ in ea re ſequuturũ ſe eſſe, dixit. quo reſponſo ſedatis Maioribus Polonis, ab Iaroslao Archiepiſcopo Gneſnenſi in baſilica Cracouienſi Diadema ſolenni ritu accepit.

Rex fit Poloniæ: *Et coronatur* *Cracouiæ.*

DE CAZIMIRI DESIDERIO AC EXEQUIJS, & modo gubernati à Ludouico Regni. Caput II.

NEc tamen deſiderium Cazimiri, defuncti Regis, ex animis hominum Rex nouus euulſit, imò plus etiam accêdit: quum non modò diſsimilis eſſet Cazimiri, ſed ne adiri quidem à noſtris ſine interprete poſſet. quin res quoq; Polonicas negligere ac parui facere uidebatur: ac non modò non intenderet animum ad recuperanda ea quæ auulſa à Polonia erant, uerùm etiam anormem donationem adijceret: qua Vuladislao Duci Opolienſium, Vngarię Palatino, Oſtreſouienſem & Veluneſem tractum omnem, itemq; Olſtinenſe, Crepicẽſe, & Bobolicenſe territoria in tractu Cracouienſi, ad hæc Breſnicenſe in Siradienſi ditione, donauit. Exequias deinde magnificentiſsimas & ſumptuoſiſsimas auunculo mortuo apparauit: ubi permultum argenti facti baſilicę Cracouienſi oblatum atq; donatum eſt, & infinita pene hominum multitudo lachrymis, planctu & eiulatu deſiderium defuncti Regis teſtata eſt: præſertim quòd cũ eo ſucceſsionem Regum uetuſtiſsimam, à Piaſto uſq; propagatam,

Cazimiri deſiderium. *Ludouicus Rex qualis: &* *Quas ditiones Vuladiſlao Duci Opolien. donauit.* *Exequiæ Cazimiri* *Lachrymabiles: &*

pagatam, extinctam eſſe cerneret: Regnumq; ad externum Regem perueniſſe, qui lõgè abfuturus eſſet. quod quum Ludouicus animaduertiſſet, ueritus, ne quam filię Cazimiri nouandarum rerum occaſionem Polonis darent, ablegauit eas in Vngariã. Vt uerò poſtulatis Maiorum Polonorum ſatisfaceret, in Maiorem Poloniam poſt paucos dies profectus eſt: & biduum Gneſnæ commoratus, paratum ſibi in Gneſnẽſi baſilica ſolium aſcendere noluit. Affirmabat enim, neq; ſibi neq; Polonis id decorum fore, ut coronationem, Cracouiæ peractam, quaſi in dubium reuocaret. Deinde Cracouiam reuerſus, mox in Vngariam redijt, omni gubernatione Poloniæ matri Elizabetæ commiſſa.

Filiæ in Vngariam ablegatæ. *Ludouicus reſpuit coronari à Maioribus Polonis.* *Gubernatrix Poloniæ.*

DE ELIZABETAE MVLIEBRI DOMINATU, Iaroslao Archiepiſcopo, & filia Ludouici promiſſo Regno. Caput III.

ELizabet, muliebri uſa conſilio, iuuenes & imperitos homines in Senatum allegit: compluresq; graues & bonos uiros Magiſtratibus mouit, & nihili homines aſſentatores eis ſuffecit. Iaroslaus autem, Gneſnenſis Archiepiſcopus, quum Archiepiſcopatu ultrò ceſsiſſet, uita Caliſsij exceſsit. Permultum hic Archiepiſcopatum amplificauit & ornauit. Nam Louicium, Opatouicium, Vneouiam, & Camenũ arces, cõdidit: aulas quoque Archiepiſcopales, Gneſnæ, Caliſsij, Curelouiæ, Opatouici, & Vneiouię (ubi & collegium ſacerdotum inſtituit) templa etiam Gneſnæ, Caliſsij, Curelouiæ, Opatouici, Vneouię, & ibidem monaſterium Benedictinis, ædificauit. Fuerat is quoq; Bononienſis Academię Rector, ubi de eo, adhuc iuuene, hoc excelſi animi facinus memoratur: quòd auctoritate ſua Bononia tranſtulerat Academiam, propter Anglum quẽdam ſcholaſticum, à

Senatus & Magiſtratus qualis. *Iaroslai Archiepiſcopi mors, &* *Opera, &*

Magiſtratu urbis capite plexũ: nec prius eam reſtituit, donec pro cæde Angli ſatisfactũ eſt. Fertur autem mandaſſe moriens idem Iaroslaus, ut cadauer ſuũ non oſtio, ſed pertuſo pariete, in baſilicam ſepeliẽdum inferretur: quòd non ritè neque ordine Archiepiſcopum ſe factum eſſe, diceret. Porrò Ludouicus Rex quum duas filias duoq; Regna haberet, utriq; uiuens cupiebat proſpicere, ita ut altera apud Vngaros regnaret, apud Polonos altera. cui rei fortuna talem occaſionem obtulit. Poſcebat is Polonos uectigal, quod Regium & Poradlne dicitur, duodenos groſſos latos, & ſingulos modios ſiliginis & auenæ in iugera ſiue laneos, quemadmodum antiquitùs pendi ſolitum erat: negabant Proceres, quòd ab eo Poloniam immunem factam eſſe liberalitate Cazimiri, dicerent: ille uerò promiſſam modò, non etiam datam eſſe à Cazimiro immunitatẽ illam, oſtendebat, quum quoad uixerit, id uectigal ſolutum ſit. tandem eò rem deduxit per internuncios, ut, ſi alterutram de filiabus ſuis regnare deinceps apud ſe Poloni permiſſuros ſe eſſe reciperent, binos tantùm groſſos quotannis deinceps in iugera penderent, quibus Regem agnoſcerẽt. Accepêre conditionem Poloni: atq; inde in hodiernum uſq; tempus manet uectigal hoc Regi.

Sepultura nõ per oſtium. *Ludouicus habens duas filias,* *Dum uectigal Regium duodenorum groſſorum* *In binos groſſos cõmutat, alteri ex filiabus conciliat Regnum.*

DE VULADISLAO MONACHO, LITVAnorum excurſione, Elizabetæ uoluptatibus, & Vngarorum uiolentia. Cap. IIII.

MOtus deinde quidam in Polonia extiterũt. Nam Vuladislaus Cazimiri & Vuladislai Regũ agnatus, à Maioribus quibuſdam Polonis ſeditioſis accitus, quum iam monachus & Diaconus fuiſſet, ut erat homo leuis, reiecto habitu, arces quaſdã in Cuiauia cepit, plurimumq; negotij Sẽdiuoio Maioris Poloniæ præfecto, dum eius turbulentos conatus reprimit, faceſsit: uerùm is poſtea, pœnitentia fortaſſe ductus, in ſuum redijt monaſterium: ibiq;, reſumpto monachi habitu, uitam finiuit. Hæc circa annum 1374, facta ſunt. Lituani per eadem tempora cum ualida manu, ducibus Keiſtuto, Iagellone, Vitoudo, Lubarto, & Georgio, quidquid loci in Sẽdomirienſi tractu eſt inter Sanum & Viſtulam flumina, populabundi magna celeritate peruagati ſunt: Elizabeta uerò Regina, quamuis à Proceribus de Lituanorum excurſione admonita, de luſibus & choreis atq; ſymphonia, quibus mulier octogenaria indulgebat, nihil utique remittebat, donec eam præſentius aliud malum perculit. Vngari nanq;, qui cum Regina erant, domeſtica conſuetudine fœnum atq; auenam (quum Cracouiam, ſiue ad mercatum, ſiue ad priuatum cuiuſq; uſum, importaretur) paſsim diripiebãt: id autem Prædborius Brezius, nobilis adoleſcens, ne ipſe quoque pateretur, familiam ſuam armatam ante domum, quæ ad portam urbis Cazimirienſis ſita erat, obſeruare iuſsit: ibiq;, quum Vngari in fœnum quod aduehebatur impetum facerent, Prædborij uerò miniſtri prohiberent, iurgium atq; prælium inter Vngaros & Polonos ortum eſt. quod quum concurſu, utrinq; ſuis opem ferentibus, atrocius fieret: miſſus à Regina ad ſedandum tumultum Iaſcus Kmita Præfectus Cracouiẽſis, ſagitta Vngarica in turba in collum percuſſus, ex equo defluxit & expirauit. Hîc iam neceſſarij & familiares eius dolore propè furentes, facto undiq; concurſu in Vngaros coorti, magnam cædem fecère, non eorum tantùm, qui ſe in tumultu illo obtulerant, ſed eorum quoq;, qui in hoſpitijs & diuerſorijs inuenti ſunt. Centũ ſexaginta Vngari eo die trucidati feruntur: atq;

Vuladislaus agnatus Cazimiri poſt excitatos motus *In monaſterium redit.* *An. 1374.* *Lituanis Sendomiriã populãtibus,* *Elizabeta à ſuis choreis non abſtinet:* *Vngariq;, dũ fœnum & auenam diripere pergunt,* *Iaſco Kmita in tumultu cæſo,* *160. trucidati.*

atq; ij modò salui fuerunt, qui in arcem effugere potuere. Triduo deinde arx clausa, & ab armatis obsessa fuit.

An.1376. Elizabet in Vngariam.

Annus autem quo hæc acta sunt, fuit post Christum natum 1376. Elizabeta igitur mœsta in Vngariam reuersa est, Petro Kmita, Iasci filio, in solatium necis paternæ, Præfecto Lencicienſibus dato.

DE LITVANIS CVM DVCE BELZENsium repreßis, & Episcopis in Rußia auctis. Caput V.

Noui in Polonia Præfecti.

Bello contra Lituanos & Ducem Belzensium instituto,

SEquenti anno Ludouicus nouos Præfectos in Polonia, de sententia matris, instituit: & excursionibus Lituanorum in Poloniam & Belzensium Ducis defectione motus, bellum contra eos parabat, indicta toti Poloniæ expeditione. Omnibus itaq; ad Sendomiriam conuenire iussis, ipse cum non contemnenda Vngarorum manu transmissis Sarmaticis montibus, per Sanocũ recta Sendomiriã profectus est. ubi Conuentu habito recensitisq; copijs, quum abundaret uiribus & multitudine: partem exercitus cum Sẽdiuoio ad recipiendã Chelmam misit, ipse uerò cum reliquo ad Belzum castra mouit.

Chelmaq; capta,

Sendiuoius intra octauum diem Chelma potitus, alias etiam munitiones cepit. Rex uerò fame pręsidiarios ad deditionem cõpellere decreuerat, nisi Keistutus Dux Lituanorum, ad castra Regis ueniens, pacem certis legibus impetrasset.

Pax Lituanis datur, & Belzum redditur.

Quibus expletis, Ludouicus, Georgij Ducis blãdicijs & pollicitationibus delinitus, non modò Belzum ei reddidit, sed etiam Luballouiam, accepto ab eo iureiurando, quòd in fide atq; clientela Polonorum semper futurus esset. Quum autem Regi uber & fertile solum Rußiæ placuisset, & frequẽtari eam à Catholicæ Fidei cultoribus animaduertisset: apud Gregoriũ, eius nominis undecimum Pontif. Max. Legatione effecit, ut

In Rußia Episcopales Cathedræ duæ, & Archiepiscopalis.

cit, ut

cit, ut duæ ibi Cathedræ Episcopales, nimirũ Præmisliæ & Vuladimirię, Haliciæ uerò Archiepiscopalis institueretur. Ita quidẽ Dlugossus scribit: sed si prius Metropolis Leopoli constituta fuit (quemadmodũ nos superius, ex eiusdem Dlugossi sententia, prodidimus) Episcopalẽ Haliciæ constitutam esse oportet. Vna enim Archiepiscopalis est in Rußia, & ea quidem Leopoli. Ego initiò Leopoli Episcopalem Cathedram, regnante Cazimiro, institutam fuisse dixerim: sed quum Ludouici opera plures Episcopi fierent, Metropolim Haliciæ constitutam esse, quæ postea Leopolim translata sit, Episcopatu Cameniciam translato.

DE LICENTIA PER REGIS ABSENtiam crescente, Bombarda inuenta, & Elizabet morte. Caput VI.

Licentia crescente in Polonia per absentiam Regis,

REge autem in Vngariam abeunte, latrocinia increbuerant: creuerat audacia perditorum hominum: uis, non ius, ualebat: iudicia uel silebant penitus, uel potentiorum iniurię contra tenuiores suffragabantur. Crebris itaq; nuncijs & querimonijs multorũ cum Rege de his malis publicis actum est: commotusq; his malis fuit quidem Ludouicus, uerùm quòd auram Polonã se ferre posse negaret, Vuladislaũ Oppoliẽsem Ducẽ pro se gubernatorẽ misit.

Qui auram Polonam aduersam habebat, Vuladislaus Gubernator datus repudiatur.

Et erat quidem id non ingratũ plebi ac tenuioribus: cæterũ Nobilitas cum Proceribus, duobus Conuentibus, altero Vislicię, altero uerò Gnesnæ actis, negarũt se homini externo, quem ipsi sibi Principẽ non constituissent, parituros esse, propterea quòd id contra leges & instituta Maiorũ suorum esset: atq; cũ his mãdatis Legati de Primoribus è Comitijs ad Regẽ missi, effecerũt, ut is Vuladislaum reuocaret. Per hoc tẽpus (quod certè silentio prætereundum non est) circa annum 1380,

Bombarda inuenta. machinam æneam, quam à sono terribili Bombardam uocant, certissimo uitæ & uirtutis humanæ exitio Germanus homo apud Venetos excogitauit: insequens autem annus Elizabetæ senioris Reginæ, matris Ludouici, morte insignis fuit. *Elizabeta mors.*

DE COMITIIS BVDENSIBVS ET Triumuiratu. Caput VII.

LVdouicus Rex, matre defuncta, quum assiduis Polonorum querelis fatigaretur, ut Reipub. Polonæ constituendæ, Iudiciorumque aliquã rationem iniret: Budam eis comitia indixit, ad medium Quadragesimæ. *Budam indictis comitijs,* Erat res noua, multaque secum ferebat incõmoda: frequentes tamen eò Proceres profecti sunt, frequentiores multò, quos priuatæ iniuriæ factaque spes Iudicij Regij excitarat. Multa ibi uariaque de administratione Reipub. iactata: ad extremum, de sententia Regis, summa rerũ Polonicarum Iudiciorumque tribus (nempe Zauissæ Curosuantio, gente Roseo, Episcopo Cracouiensi: & Dobeslao Castellano Cracouiensi, Zauissæ fratri germanò: & Sendiuoio Subinio Palatino Calissiẽsi, & Præfecto Cracouiensi) mãdata. *Et Triumuiris electis,* Iudicia ibi nulla exercuit Ludouicus, sed ad Vicarios illos tres reiecit: ad hæc fecit potestatem Zauissæ Episcopo omnium magistratuũ & honorum, quicunque uacaturi essent (exceptis Castellania & Palatinatu Cracouiensi) in Polonia conferendorum. Ita Conuẽtus ille solutus est: & calamitosi homines, spe Iuris sui obtinendi frustrati, mœsti domum reuertêre. *Calamitosi homines frustrati sunt sua spe.* Triumuiri uerò illi, in Poloniã reuersi, audierunt quidem compluribus in locis magno hominũ cõcursu querimonias, sed nusquã Ius dixerunt. quare omnis illa querentiũ multitudo, maledictis incessẽs Regẽ atque Triũuiros, dilapsa est.

DE

DE SVCCESSORE REGNI FILIA LVDOuici, & morte huius. Cap. VIII.

INsequenti anno, qui fuit 1382. Ludouicus Rex, quum languere se, ac sensim uiribus destitui sentiret, ut uiuens adhuc res filiarum stabiliret, indixit Polonis comitia Zuolenum, siue Zolium (quod oppidum est in Scepusio.) *Ann. 1382. Ludouicus languens* quò quum frequens Senatus conuenisset, successores sibi designat in Regno Polonorum, Mariam filiam natu maiorem, cum Sigismundo sponso eius, Marchione Brandeburgensi, Caroli Imperatoris & Regis Boemorum, ex Elizabeta nepte Cazimiri Regis, filio, quartum decimum annum tunc agente: *Successorem Polonis designat Mariã filiam cũ Sigismundo, et* in quorum uerba Proceres Poloni, iussu Regis, statim iurarunt. Soluto conuentu Zoliensi, profectus est Sigismundus in Poloniam cum Primoribus & non contemnenda Vngarorum manu, ad sedandos intestinos motus, & adeundam uiuente adhuc socero possessionem: interim uerò Ludouicus Rex, tertiadecima die Septembris, Tarnauiæ seu Tirnauiæ, quò Conuentum Vngaris edixerat, uitam finiuit. *Moritur.* quo nuncio accepto, Sigismundus Posnaniam se recepit: Ludouici uerò funus Albam Regiam, ubi Regum Vngarorum ferè sepultura est, solenni pompa elatum est. Regnauit autem Ludouicus apud Polonos duodecim annis, apud Vngaros uno & quadraginta, uixit sex & quinquaginta: pietatis autem atque religionis ita fuit obseruans, ut non in postremis duceret, Iudæos & Cunos, falsorum deorum cultores, ad Christianam religionem adducere. *Qualis Rex fuerit.* quod in Cunis quidem assecutus est: Iudæos autem, quum neque minis neque præmijs propositis illis persuadere posset, omnes proscripsit. Plebis non minorem, quàm Nobilitatis, curam gessit: itaque nonnunquam, dissimulato

A 3 habitu,

habitu, uicos & oppida perluſtrauit, ut cognoſceret, quid de publicanis & exactoribus, iudicibus & magiſtratibus ſuis, ac de ſe denique, uulgus hominum aſſentandi neſcium ſentiret, multaq́ ex huiuſmodi ſermonibus, in ſe ſuisq́ caſtigauit.

LIBER XII.

DE VOLINIA AB VNGARIS PRO-dita, & Sigiſmundo Rege repulſo.
Caput I.

Per Vngarorũ perfidiam auro corruptorum,

Diuulgata morte Ludouici Regis, Vngari, qui Ruſsiæ pleraſque præfecturas obtinebant, Cremeneciã, Oleſcum, Grodlum, Lopatinum, & Suatinum arces cum territorijs ſuis, Lubarto Lucenſium Duci, magna ui auri & argenti ab eo accepta, prodidêre, atq́ ex eo tempore Lituani Volinenſem oram ſibi uſurpare cœperunt.

Lituani Volinia potiti.

In Polonia quum Sigiſmundus Marchio Rex iam eſſet deſignatus, non magna re facta eſt uoluntatum mutatio.

Polonorũ animus à Sigiſmũdo alienatus,

Noluit is, Proceribus & Nobilitate poſtulante, Domaratum à præfectura Maioris Poloniæ amouere: quare Conuentu apud Miloslauiam habito, Maiores Poloni mittunt Legationem ad Minores, ut ij Conuentũ ſecum pariter, de ſtatu Reipub. ac de nouo Rege apud Radomſcum agere uellent.

Poſt comitia Maioris Poloniæ Radõſcia, &

Obſecundatum eſt: decretumq́ in comitijs, ut memores pactorum cum Ludouico initorum & iuriſiurandi ſui eſſent, neq́ progeniem Ludouici à Regno Poloniæ excluderent: cæterùm eum de genere Ludouici Regem crearent, qui in Polonia præſens per ſeipſum Regnum adminiſtraturus eſſet.

Minorũ Viſliciẽſia, &

Altera deinde comitia Viſliciæ habita: quò uicisſim Legati Maiorum Po-

lonorum uenerunt: uenit & Sigiſmundus Marchio cum Bozenta Archiepiſcopo, & Domarato Præfecto. aduenerunt autẽ & à Regina Elizabetha Oratores, qui facta dicẽdi poteſtate, gratias egerunt Polonis, ꝙ fidem datam Ludouico, de filiabus eius, ſeruarent: idemq́ deinceps ut facerẽt, hortati ſunt.

Poſt auditos Oratores Reginæ Elizabetæ,

Cupidè hæc oratio à Conuentu audita eſt: placuitq́, alia comitia Siradiam indici, nequicq̃ deprecãte Sigiſmundo, qui offenderat iam Polonorum animos, tũ propter Domaratũ, tum ꝙ eijci Polonos, cùm cibũ ſumpturus eſſet, patiebatur, & ꝙ ſacerdotiũ quoddam in Polonia, repudiatis Procerum precibus, Boemo contulerat.

Indictis iterũ Siradiam comitijs, Sigiſmundus

Quocirca repulſam paſſus, Viſlicia diſcedẽs Cracouiã diuertere uoluit: ſed eũ Dobeslaus Curoſuancius, Caſtellanus Cracouienſis, non intromiſit. Ita acceptus ille à Polonis in Vngariam redijt:

Cogitur in Vngariã redire.

ſumptus tamẽ illi de publico ſuppeditati ſunt, quoad ꝑ Poloniã iter fecit.

Sumptu tamen publico.

DE HEDVIGI NATV MINORE LVdouici filia, in Reginam electa. Cap. II.

In comitijs Siradienſibus,

INſtabat uerò tempus præſtitutum comitijs: quapropter Elizabeta Regina Veſprimienſem Epiſcopum, cum alijs duobus Proceribus Vngaris, miſit Siradiam, qui Polonos de uoluntate ſua certiores facerẽt.

Iuriſiurandi Religione Poloni ſoluũtur, &

Reginæ igitur mandato, Proceres atq́ Nobilitatẽ iuriſiurãdi Religione, quo ſe Mariæ natu maiori Ludouici filiæ & Sigiſmundo ſponſo obſtrinxerãt, primũ ſoluerunt: deinde ut Regnũ ad Heduigim natu minorẽ decreto comitiorũ deferret, poſtularũt:

Regnum Heduigi poſtulatur.

ſed quũ nõ contẽnẽda pars Senatus atq́ Nobilitatis ex Maiore Polonia, bello ciuili diſtẽta abeſſet, rurſum Siradiã comitia indicunt. quò poſteaq̃ frequentes Proceres atq́ Equites cõueniſſent, omniũ penè ſentẽtię in Zemouitũ Maſouiorũ Ducẽ inclinarũt, ut ei cum Heduigis Ludouici regis filię coniugio regnũ

Eodem iterũ indictis comitijs, In Zemouitũ animos inclinatos.

mandaretur : cui fauebat & Bozenta Archiepiſcopus: atq; ei roganti, Placerétne Regnum Zemouito mandari, magna acclamatione uniuerſus Conuentus aſſentiebatur:ſed unus homo oratione ſua mox omnium uoluntates conuertit.

Ioannes Tencinius auertit oratione prudentiſsima.

Iaſcus is fuit,ſiue Ioannes Tencinius,Caſtellanus Voinicenſis,Andreæ(qui fuit Palatinus Cracouienſis)filius: qui,negotium Regis eligendi differendum,graui oratione perſuaſit(periculoſam enim eſſe,in re qualibet,inconſultam feſtinationem: & præceps conſilium fere pœnitentiam ſequi: tum & religionem iuriſiurandi,ſanctiſsimum ſocietatis humanæ uinculum,maximi faciendum eſſe) ac Elizabetæ Oratoribus in eam ſententiam reſpondendum cenſuit:Polonos libenter,in Heduigi minore filia Ludouici, fidem ſeruaturos eſſe: ſed quòd Polonia tamdiu orba Rege in maximo uerſetur diſcrimine, etiam atq; etiam à Regina ſeniore petere,

Heduigis ad Pentecoſten mittenda,

ut Heduigim filiam primo quoque tempore,ad Pentecoſtes feſtum ſcilicet, mittat, diadema ritu ſolenni ſuſcepturam, & nupturam uiro ſibi nobiſq; grato : quòd ni illa deſiderio noſtro ſatisfaciat,tũ demũ teſtari,nõ per nos ſtare,quò minus pacta conuẽta cum Ludouico ſeruentur.Cunctis ſententia Ioannis placuit: igitur in eam itum,& decretum factum eſt: in quo illud adiectum, ut Heduigis aduenĩẽs (ſi Regina eſſe uellet)reciperet ſe de conſilio Procerum nupturam, & in Polonia cum uiro manſuram.

Et ſecundum arbitriũ Polonorum nuptura,

Et cum hoc reſponſo Oratores dimiſsi ſunt, ſolutusq; conuentus.Regina Oratoribus aſſenſa,inſtante tamẽ Pentecoſte Heduigim ad conſtitutum tempus non ſiſtit.

Non mittitur:ſed

cuius moram Palatinus Caliſsienſis,cũ mandatis ueniens, excuſauit: quòd diceret,eam cupientem uotis ipſorum ſatisfacere, Caſſouiam uſque perueniſſe: inde porrò commodè progredi non potuiſſe, imbrium

ui

ui & inundatione prohibitam : orare autem, quod ſine incommodo eorum fiat,ut ipſi Caſſouiam ad ſe ueniant, & melius atq; certius præſentes cum præſente omnibus de rebus conſtituant.

Caſſouiam euocãtur Proceres,&

Efficax fuit oratio Palatini:quocirca cætera multitudine domos reuerſa, Primores de Senatu(nẽpe Dobeslaus Curoſuancius Caſtellanus,Spitco Melſtinius Palatinus Cracouiẽſis, Iaſcus Tarnouius Sendomirienſis, Vincentius Kempius Poſnaniẽſis,Sendiuoius Subinius Caliſsienſis Palatini, ac Domaratus Caſtellanus Poſnaniẽſis & Pręfectus Maioris Polonię) Caſſouiam profecti ſunt.Ibi antiquato quadantenus decreto comitiorum Siradienſium, noua pacta cum Regina inita ſunt : nimirum ut ad tertium Idus Nouembris (quæ dies diui Martini Epiſcopi memoriæ ſacra eſt)Heduigis in Poloniam ueniret, ac de ſententia ampliſsimi Conſilij matrimonium iniret:quòd ſi ea deinde,nullis liberis relictis,decederet, ut Maria ſoror, cum ſua poſteritate,ipſi in Regno Polonorum hæres eſſet:uiciſsimq; idem ius eſſet Heduigi, ſecundum Mariæ mortem, in Vngaria.

Pacta noua ineunt.

DE LITVANORVM IN MASOVIAM *excurſione,ac Heduigis aduentu rurſus dilato.* Cap. III.

DVm hæc ita geruntur, Lituani, Iagellone Olgerdi filio Duce,Maſouiam inuaſêre:Drohicinum arcem,Melnicum,Cameneciam,Suraſſum,obſidione uallauêre. Annus autem quo hæc acta ſunt, fuit à Chriſto nato 1384. Turbauerat uerò Polonorum mentes Elizabeta Regina,quòd Heduigim filiam ad conſtitutũ tempus non mittebat itaq; Sendiuoius Subinius Palatinus Caliſsienſis & Præfectus Cracouienſis, de ſententia E-

Lituanorum in Maſouiã excurſio.

An.1384.

Heduigis ad tempus conſtitutum non miſſa,

B piſcopi

Et Sendiuoij Legati postulationib. neglectis,

piscopi ac aliorũ Procerum Cracouiensis Conuẽtus ad Elizabetã Iaderã usq; Dalmatiæ profectus, statum rerũ Polonicarum & postulata Procerum diligenter exposuit: petebat ab ea, ut quamprimũ Heduigim, ad breue tempus, in Poloniã mitteret: coronatã mox ipsi remissum iri, pollicebatur, ut cũ ipsa esset, donec adolesceret. Quum uerò moras Elizabeta necteret, & aliam ex alia excusationẽ quæreret: exacerbatus ille, iram non obscurè præ se ferre, uelleq; discedere, cœpit. quod ubi Regina animaduertit (uerita, ne is, in cuius potestate erat Cracouia, reuersus turbas cieret) Iascum siue Ioannem Tarnouium, Castellanum Sendomiriensem, ad occupãdam arcem Cracouiensem misit: Sendiuoium autem discedere uetuit. Non latebat Sendiuoium Reginæ consilium: itaq; unũ de comitibus fidelem curriculo mittit Cracouiã, qui Tarnouij aduentũ anteuerteret, curaretq;, ne arx ipsi dederetur: ipse uerò clàm sese Iadera euoluens, ferè intra uiginti quatuor horas sexaginta milliaria bene longa (ut sunt Vngarica) crebrò mutando equos emensus, Cracouiã lassus peruenit, & Proceres de omnibus rebus certiores fecit.

Comitia indicuntur Radomscum:

Indixerant Lelouiã comitia minores Poloni: sed adueniente Sendiuoio, Radomscum ea transtulêre, ut Maiores quoq; Poloni ad ea uenirent, & in commune de Repub. consulerent:

Indeq; iterũ ad Reginam

quum autem sententijs uariaretur, ad extremũ tandẽ placuit, ut Reginæ animum adhuc leniore Legatione pertentarent.

Prædislao misso, Sigismundus

Missus est itaq; cum mandatis Prędislaus Vauelius, Equestri familia nõ illustri: qui cõmouit Reginam ita, ut Sigismundum generum suũ, uiris, equis armisq; instructũ, ad gubernandã Poloniã tantisper, dum adolescat Heduigis, mitteret. quod ubi apud Polonos Proceres percrebuit, indignati se ludibrio esse fœminę, eiusq; & Vngarorum arbitratu sibi

Correptis armis

sibi Præfectos atque adeò Dominos imponi, & Sigismundum peculiariter perosi, exercitum contrahunt: ad Sandeciam cõtendunt: inde Lubouuliam siue Liblium, quæ tunc Vngaricæ ditionis erat, Legationem ad Sigismundum mittunt: monent, ne se inuitis in Poloniam ueniat: si aliter faciat, pro hoste se eum habituros esse.

Repulsus,

Itaque repressit gradum Sigismundus: sed tamen id precibus effecit, ut Heduigis aduentus usque ad Pentecosten exspectaretur.

Heduigis aduentũ ad Pentecosten differt.

DE HEDVIGIS CORONATIONE, ET *mariti eligendi deliberatione.*

Caput IIII.

Heduigi adhuc non ueniente, Sendiuoius priuatim profectus bene rẽ conficit: & deducta honorificè.

QVum uerò Heduigis iterũ pro tempore illo non ueniret, placuit in commune Proceribus, ut neq; Legationem ad Reginam mitterent, & à creando Rege ad tempus supersederẽt: Sendiuoius uerò Subinius, priuatim in Vngariam profectus, perfecit tandem, ut Heduigis in Poloniam ueniret. Comitati sunt eam, Demetrius tituli sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis & Archiepiscopus Strigoniensis, & Ioannes Canadiẽsis Episcopus, & plures alij Proceres Vngari: ad cuius aduentus famam exciti Polonorum Proceres, cum frequenti nobilitate Cracouiam accurrêre: & qui tempori aduenêre, uenienti usque ad fines Vngariæ obuiam profecti sunt.

Susceptaq; hilarè ac reuerenter,

Die S. Heduigis

Coronatur magna cum omnium lætitia.

Deducta igitur Cracouiam honorificè cum perampla ac splendida aurea atque argentea, & stragulæ uestis supellectili, Idibus Octobris (qui dies memoria diuæ Heduigis Legnicensis, apud Polonos festus est) Regina Poloniæ renunciata, & à Bozenta Archiepiscopo solenni ritu inuncta & coronata est, magna omnium lætitia & fausta acclamatione: Regni que amplissimi administratio teneræ puellæ

puellæ commissa. Lenitum erat in animis Polonorum
Heduigis mores & Forma. Regis desideriū, propter suaues & liberales mores Heduigis Reginæ, cum uerecundia, modestia, prudentia, decentiaq; suauitate coniunctos: quarum uirtutum non uulgare condimentum erat, forma corporis eximia: neque grauatim uiri muliebri imperio parituri esse uidebantur, nisi ad domesticas Procerum dissensiones sedandas, & externorum bellorum impendentium motus, parum auctoritatis & præsidij fore in puella iudicassent. Itaq; noua cura Procerum animos incessit, de adiungendo nouæ Reginæ marito, qui Regiam dignitatem, molemq; rerum maximarum, rectè sustinere posset. Destinarat quidem Ludouicus Rex adhuc uiuens generum
De Vilelmo Duce Austriorum sibi & successorem in Vngaria, siue in Polonia, Vilelmum Austriorum Ducem, promisso ei Heduigis filiæ matrimonio: sed nō magnopere Polonis placebat eum habere Regem, qui propter paternum Principatū lon-
Deliberantibus Polonis. go & interiecto terrarum spatio à Polonia distantē, longius aliquanto à Regno abfuturus esset: nec multū opis Princeps tenui fortuna, & potentia domestica, Poloniæ in rebus dubijs afferre posset. Dum autem diutius de re
Iagello Magnus Dux Lituanorum in coniugiū Heduigim exposcit: tanta consultatur: commodùm aduenerūt Oratores ab Iagellone, Magno Duce Lituanorum: perampla munera Heduigi Reginæ attulerunt: coniugium eius Regnumq; dotale Principi suo petiuerunt: multa magnaq; pollicentes, quæ ad amplitudinem Reipub. Polonæ, & ad incrementum Religionis Christianæ pertinere uidebantur. Non surdis auribus oratio illa à Proceribus Polonis audita fuit: cæterùm Heduigis abhorrebat à Barbari matrimonio. Propositæ erant Oratoribus causæ, quamobrem non impetrarent, quibus de rebus uenis-
Dumq; conditiones sibi propositas sent: nimirū quòd Christianæ cum Barbaro nuptæ esse

non

non liceret: & quòd pacta iam quædam cum Vilelmo Austriorum Duce de matrimonio prius intercessissent, adiecta ducentorum millium florenorum pactione, ni pactis conuentis statum esset. ad quas Oratores ita responderunt: Quod ad Religionem Christianam attine- *Suscipit.*
ret, Iagellonem cum cæteris fratribus Christiana matre natum, iam inde ab ineunte ætate Christiana Religione imbutum, non alienum ab ea gerere animum, quamuis eius mysterijs de more initiatus non sit: illa uerò ducenta millia ipsum præstaturum ac exsoluturum esse, thesaurosq; suos omnes & Maiorum suorum in Poloniā comportaturum, & Lituaniam Poloniæ adiuncturum, ut eodem deinceps cum ea Imperio censeatur. Permouebant hæc magnoperè Polonorum animos: magna uidebatur fore ad amplitudinem Regni accessio: perutile, non modò pacem, uerùm etiam auxilium sibi eius gentis adiungere, cuius hostiles excursiones perdifficulter cohiberentur: præclarum & gloriosum nomini Polono, si eius opera Lituani Religionem Christianam susciperēt: uerumtamen nihil præter senioris Reginæ sententiam ijs de rebus statuendum esse, uisum est. Itaq; missi ad Eliza- *Assentiente Elizabeta Regina.*
betam Oratores in Vngariam, optatum responsum retulêre. Respondit enim eis Elizabeta: Si id Poloni ex re sua publica fore existimarent, non remoraturam se esse eorum cōmoda, neq; Religionis Christianæ incrementa præcisuram. Hoc responsum Elizabetæ quum in Poloniam relatum esset: de uniuersi Conuentus sententia, Lituani Oratores dimissi, & Vulodicus atq; Cristinus, itemq; Petrus Safranecius, & Hincia Rostouicius, Legati ad Iagellonem cum eis missi sunt, ut eum ad coniu- *Voti compos effectus.*
gium Heduigis & Regnum Polonorum uocarent, si supra memoratas conditiones iureiurando suo stabilisset,

 una

una insuper adiecta, de recuperandis ijs quæ in eũ diem à iurisdictione Polonorum Regum quomodocunque exciderant.

DE VILELMI CRACOVIAM ADVENTV, & Iagellonis Vuladislai baptizati atq; coronati nuptijs. Caput V.

Vilelmus Austrius nutu Reginæ à Gneuoßio admonitus, DVm hæc ita fiunt, interim Vilelmus Austrius certior factus de statu rerum Polonicarum, ac de propensa Reginæ erga se uoluntate, eius ipsius nutu (ut creditũ est) à Gneuoſsio Daleuicio gente Stregomio Succamerario Cracouiensi (cui se illa concredebat) admonitus, ne ipse sibi deesset, cum splendido comitatu & apparatu, magnisq; diuitijs, Cracouiam inopinatus aduenit: *Cracouiam aduenit:* sed arcis ingressu Dobeslai Curosuancij Castellani Cracouiensis auctoritate prohibitus, in urbe diuertit: conuenitq; cum eo identidem Heduigis Regina in cœnobio diui Francisci luce clara, aulico suo uirorum ac puellarum comitatu stipata, & choreis indulsit: & in urbe optatis nuptijs cum eo defungi tentasset, nisi Demetrius Goraius Thesaurarius Regni ei dissuasisset. *Et cum Regina choreis indulgens,* Intelligens autem Vilelmus, aperte sibi Polonos Proceres aduersari, clàm sese euoluit Cracouia, depositis apud Gneuoſsium thesauris, quos secum apportarat: *Dum Polonos à se auersos uidet, Thesauros relinquit Gneuoßio.* unde Gneuoſsius postea multas amplasq; posseſsiones sibi comparasse existimatus est, sed quæ tamen à liberis eius deinde turpiter distractæ & dilapidatæ sunt. Aduẽtabat iam cum fratribus Iagello, & cum magno comitatu Lituanorũ: *Iagello cum suis susceptus,* obuiam ei pauci Proceres profecti sunt, in quibus principẽ locum Spitco Melstinius obtinebat (quare magnam is apud Iagellonem gratiam inijt:) plures cum Cracouiæ exspectabant. Aduenit autẽ Cracouiam duodecima die Februarij, anno Christi 1386, habens in comitatu Duces & Proceres Lituanos atq; Russos, tum Borissum & Suitrigellonem fratres germanos, & Vitoudum patruelem: *An. 1386.* aduenìens in thalamo Heduigim Reginam, magna cum admiratione eximiæ formæ eius, salutauit: *Reginam salutat: &* postridie uerò perampla ei dona, cum Vitoudo, Borisso, & Suitrigellone misit. Priusquam autem cum Heduigi matrimonium iniret, unà cum fratribus & Proceribus atque uniuerso comitatu suo (exceptis ijs qui iam apud Russos initiati erant) quarta decima die mensis Februarij à Bozenta Archiepiscopo & Ioanne Episcopo Cracouiensi sacro fonte ablutus, & Christiana Religione initiatus, Vuladislai nomen accepit: *Baptizatus cum suis,* atq; ita matrimonium mox cum Regina solenni ritu contraxit, Lituaniamq; omnẽ, cum Samagitia, & ea parte Russiæ quæ in ditione eius erat, Poloniæ Iure sempiterno adiunxit, & in unum corpus redegit, iureiurando interposito. *Contractoq; matrimonio & facto iureiurando,* Ad hæc Vitoudus cum Michaele Duce Zaslauiensi, & Lubarto Duce Lucensi, pro ipso his ipsis de rebus Reginæ & Proceribus Polonis fidem suam obstrinxêre, & obsidum loco fuêre: *Datis insuper obsidibus,* quarto autem die pòst inunctus ab Archiepiscopo, Diadema Regium nouum accepit. *Coronatus corona noua,* Nam uetus in Vngariam à Ludouico asportatum, nondum ad eam diem reportatum erat. Sequenti die in urbem solenni pompa deductus, & in foro posito solio collocatus, iusiurandum à Cracouiensibus & cæteris oppidanis de more accepit: *A Cracouiensibus, &c. iusiurandum accipit,* Lituani quoque Duces atque Proceres, qui tunc aderant, in uerba Regis & Reginæ iurarunt: *Et nuptias celebrat.* indultumq; est conuiuijs & lusibus complures dies.

DE CRVCIGERORVM IN LITVANIAM *inuasione, & Iagellonis in Maiore Polonia gestis.*

Caput VI.

Crucigeri neglectis Regijs nuptijs, Lituaniam populantur & occupant,

PEr hos autem dies Magister Crucigerorũ Prussienſium Conradus Celner, ſpreta inuitatione Regis & Reginæ, qua ad nuptias per Demetrium Goraium inuitatus erat, hoſtiliter in Lituaniam, uacuam tunc Ducibus & militibus, duplici agmine inuaſit: & longè lateq́ eam depopulatus, Lucomliam arcem ui cepit, & Andreã Iagellonis fratrem, quo cõcitatore expeditionem illam ſuſceperat, ei præfecit: cui ſe Polocenſes quoq; dediderunt. Hęc ubi accepit Iagello, mox Skirgellonem & Vitoudum cum Lituanis & cum Polonis uolũtarijs in Lituaniam miſit: qui Lucomliam, partim trucidato, partim eiecto Andreæ præſidio, receperunt: Meſcislauiã quoque, Smolenſcum, & Poloſcum, recuperarunt: ac de auctoribus defectionis pœnas ſumpſerunt. Cęterùm Rex ipſe Iagello, perfectis ritè ſolennibus Regni mandati cerimonijs, ad pacãdam Maiorem Poloniam animum intendit: Grimaliorum atq; Nalenciorum familias, capitalibus odijs diſsidentes, cum Ducibus ſuis Domarato & Vincentio Palatino, in concordiam redegit: bona Eccleſiaſtica, à quibuſcunq; per uim ſiue dolum occupata erant, iuſtis dominis reſtituit: Bartholomæum Coſminium, prædonicam exercentem, proſcripſit: Odalanouiam uerò eius arcem in ſuam poteſtatẽ redegit. Quum autem Gneſnam ueniſſet Vuladislaus, & commeatum ſiue ſtationem à Collegio eius baſilicæ petiſſet, nec impetraſſet: fertur, more Barbarico pigneraſſe facultates adſcriptitiorum Eccleſiæ: uerùm ob id à Nicolao Stroſbergo Præpoſito & Vicario Archiepiſcopi, atq; à Regina reprehenſus, pignora capta reddi iuſsit. Ibi Regina ſuſpirans:

Andrea Iagellonis fratre auctore: ſed

Repelluntur & deturbantur ſtatim.

Iagellonis geſta in Maiore Polonia, &

Ob denegatam ſtationẽ

Indignatio.

ſuſpirans: Pignora quidem reddemus, inquit, agreſti- «
bus, cæterùm lachrymas quis eis reddet? Pium Reginæ «
dictum, & ſempiterna memoria dignum. Sic itaq; tunc res Maioris Poloniæ perturbatas admodũ placidè Vuladislaus compoſuit.

DE RELIGIONE CHRISTIANA IN LItuania *propagata, & reliquis ibi Vuladislai actis.*

Caput VII.

HYeme ſubſequẽtis anni Vuladislaus, nouus Rex, ingenti Procerum atq; Equitum Polonorum caterua ſtipatus, unà cum Regina in Lituaniam ſe cõtulit: Archiepiſcopum Gneſnenſem, & multos ſacerdotes & pios homines ſecum duxit. Conuentu Vilnę, ad initium quadragenarij ieiunij, habito, de Religione Chriſtiana populariter ſuſcipienda, ac de exterminando cultu falſorum deorum & omni ſuperſtitione, diligenter actum, ipſo Rege maximam ei rei nauante operam, non ſolùm hortando & orando & præmijs inuitando, ſed etiam docendo: quum noſtri ſacerdotes linguæ imperiti eſſent, ipſe autem Ruſsicam callens, Polonos loquentes intelligeret. Aegrè gens Barbara maiorum ſuorum Religiones relinquebat: ſed quum iuſſu Regis ſacer ignis extinctus, templum araq; eius diruta, & adytum (unde oracula à ſacerdote edebantur) euerſum Vilnæ eſſet, necatiq; ſerpentes & ſucciſi luci, quos pro dijs colebant, nulla cuiuſq; læſione (quod præter opinionem Barbarorum acciderat) tum uerò Barbari, uanitate ſua agnita, alacriores ad Principum ſuorum Religionem facti, & aliquot diebus capita Religionis (pio Rege nullum laborẽ ſubterfugiente) edocti, Chriſtianis myſterijs de more initiati ſunt. Quoniam uerò immenſi laboris erat, ſingulos

Iagello profectus in Lituaniam, &

De Fide Christiana populariter ſuſcipienda ſolicitus,

Extirpata Vilnæ omni idololatria,

Turmatim plebem baptizat: &

sacro Fonte tingere: Nobilioribus tãtùm hic honor habitus: reliquum uerò uulgus turmatim distributum, aqua lustrali siue sacra à sacerdotibus conspersum est, unumq; nomen cuique turmæ, tam uirorum quàm mulierum, inditum. Basilica deinde Vilnæ condita est, & reditibus amplis atq; sacerdotijs locupletata, ac diui Stanislai memoriæ à Bozenta Archiepiscopo consecrata est: septem præterea Parœciæ à Rege constitutæ & dotatæ sunt, quarum templis Regina plurimam supellectilem, ad cultum Diuinum accommodam, largita est. Totum illum annum Vuladislaus in Lituania Religioni propagandæ uacauit: Dobrogostium, Posnaniensem Episcopum, ad Vrbanum Pontificem allegauit, ciq; se dicto audientem fore, solenni Regum Christianorum more promisit: Skirgellonem, Trocesium Ducem, fratrem suum, pro se, summæ rerum apud Lituanos præfecit: legem condidit, ne Rusis & Catholicis matrimonium inter se contrahere liceret, nisi Russus uel Russa à suis ad nostros transiret: aliam item, qua bona Ecclesiastica omni onere, labore, pensione, & iurisdictione Principis, & profanorum quorumuis, liberauit.

Basilicam Vilnensem locupletat, Septemq; Parochias constituit, Regina adiuuante: Obedientiam insuper Pontifici promittit: Skirgellonem Lituanis præficit: Russos cum Catholicis coniungi uetat, & Ecclesijs libertatem donat.

DE PETRO PALATINO VALACHIAE, *Skirgellonis & Vitoudi æmulatione, & delatore Reginæ.* Caput VIII.

REuertens autem in Poloniam, per Rusiam iter fecit: & Leopoli Petrum Palatinum Moldauiæ siue Valachiæ cum Proceribus ipsius, solenni iureiurando adactos, in fidem & clientelam accepit: quum ij ab Vngaris, sub interregno, defecissent. Nec diu post discessum Regis quietæ res fuerunt in Lituania, propter æmulationem inter Skirgellonem & Vitoudum. Interea quoque

Petrus Palatinus Valachiæ in clientelam Regis Leopoli receptus. Skirgellonis & Vitoudi æmulatio.

quoque lites & simultates inter Regem & Reginam, suspitionibus quibusdam ac susurronum delationibus excitatæ, eousq; increuerant, ut non lõgè essent à dissidio, ni se Primores interposuissent. Conuenit autem, ut delatores utrinq; ederentur. Editus itaque est Gneuossius Daleuicius Succamerarius Cracouiensis: qui sanctissimam fœminam, Heduigim Reginam, clàm apud maritum Regem probri insimularat, quòd diceret, absente illo Guilelmum Austrium Cracouiam secretò uenisse, & aliquot diebus cum Regina consueuisse. qua de re satisfecit Regina Regi iureiurãdo: cæterùm in Gneuossium iudicium de infamia, Visliciæ in Conuentu Procerum, institutum est: ibiq; accusatus & damnatus Gneuossius (quum non probasset, quæ dixerat: nec, dixisse se, negare posset) ex decreto iudicij mentitum se esse, clara uoce & latratu subter scamnum edito professus est. Ita sublata omni suspitione, amor coniugalis est inter Regem & Reginam redintegratus.

Regina ad Regẽ delata, Et delatore Gneuossio edito, Regina se purgat, & Delator damnatus Falsò dicta reuocat.

DE BELLO CONTRA VITOVDVM ET *contra Silesios atq; Vngaros, & Regis atq; Reginæ actis.* Caput IX.

FEcit deinde Vuladislaus Rex, anno Christi 1390, expeditionem in Lituaniam: ac Grodnum à Vitoudo interceptum recuperauit, huncq; cum Crucigeris Lituaniam exercitu infestãtem sæpius fudit. Fertur & Regina Heduigis alterum de Polonis exercitum comparasse, & Iaroslauiam, Premisliam, Grodecum, Haliciam, & alias quasdam arces in Rusia Meridionali in potestatem suam redegisse, eiectis Silesijs & Vngaris, quorum fidei arces illæ à Ludouico Rege olim commendatæ erant. Vitoudum autem Henricus, Zemouiti Masouij

An. 1390. Contra Vitoudum rem Vuladislaus gerit prosperè, Regina itidẽ cõtra Silesios & Vngaros in Rusia: &

 Ducis

Vitoudus Regi reconciliatus summæ rerũ præficitur.

Ducis filius, Plocensis tum Episcopus, Vuladislao postea reconciliauit: summa rerum apud Lituanos atque Russos illi à Vuladislao concessa. Post hæc Rex & Regina studijs pacis occupati, muros arcis Cracouiensis, qui humiles ad eam diem fuerant, altius excitarunt: Præfectis uigilum, quos Burgrabios uocant, stipendia auxerunt, & ut singulos equites sagittarios in prõptu semper haberent, iniunxerunt: Monasterium in suburbano occiduo, titulo sanctæ Mariæ in arena, Carmelitis mendicantibus condiderunt: Psaltarum quoq; siue Psalteristarum collegium, in basilica Cracouiensi, ijdem instituêre, attributo eis de Salinis salario.

Regis & Reginæ acta: Muri arcis, Burgrabij, Monasteriũ in arena, Psalteristæ.

DE BELLO CVM DVCE OPOLIENSI, Vitoudi contra Tartaros expeditionibus, atq; Reginæ Heduigis morte. *Caput X.*

Contra Vuladislaum Ducem Opol. bellum.

CVm Vuladislao deinde Duce Opoliẽsium, quòd is Regias ditiones latrocinantis in modum infestaret, bellum Rex gesit: hunc omnibus ferè munitionibus in Polonia exuit: in ditionem eius paternam cum exercitu impetum fecit: castella quædam & oppida cepit: agros pagosq; depopulatus est. Circa annum uerò 1396, Vitoudus in Tartaros expeditionem fecit: tribum unam Tartarorum, quam illi Ordam uocant, cum pueris & mulieribus abegit: partem captiuorum Regi & Proceribus Polonis dono misit: reliquos autem in media Lituania supra Vacam amnem, prope Vilnam agris attributis, collocauit: qui manent ibi usque in hodiernum diem. Anno postea 1399, Vitoudus, necquidquam dissuadentibus Rege & Regina, alteram expeditionem fecit in Tartaros: ad quam permulti de Polonica

An. 1396.

Vitoudus contra Tartaros primùm feliciter pugnat, Non paucis in Lituaniã deductis:

An. 1399.

Deinde uerò, dũ non audit Regem cum Regina dissuadentem,

nica & Germanica Nobilitate, gloriæ cupidi, nomina dederunt. Recensitis itaque apud Kiouiam copijs, bonæ spei plenus, Scythiam cum infesto exercitu ingreditur. Imperabat tunc apud Barbaros Tamerlanes, humili quidem loco natus, uerùm scientia rei militaris, & felicitate eò potentiæ prouectus, ut duodecies centena millia hominum haberet in exercitu: ac Turcis profligatis, Imperatoreq; eorum Baiazete capto, & in ferrea cauea feræ in modum secum circumuectante, & Iberia, Albania, Armenia, Persia, Mesopotamia, Asia & Aegypto, incredibili celeritate uastatis, orbem terrarum terrore nominis sui impleret: cum hoc Vitoudus congressus, multitudine Barbarorum obrutus fusus est. Cecidêre de nostris plurimi, nec inulti tamen: in his fratres Regis Andreas & Demetrius Coributus, & alij nouẽ Duces Lituani & Rusi: Vitoudus cum Suitrigellone patruele pernici fuga euasit: Melstinius, quum (seu fuga, seu Ducis hostium indulgentia: cui uirtutem & prudentiam suam, inter colloquendum de pace, probarat) saluus esse posset, inter confertissimos hostes honestè occumbere maluit: quemadmodum ipse optarat, & prædixerat Paulo Sciucouio, timorem ipsi exprobranti. Sub idem ferè tempus, Heduigis Regina filiã Elizabetham Bonifaciam primo partu enixa est: ei que, post tertium diem extinctæ, nec ipsa diu superstes fuit, & in læua parte basilicæ Cracouiensis ante aram maximã sepulta est, elata magnificentissimo funere. Fuit autem Heduigis singulari pietate & sanctimonia uitæ prædita, ab omni fastu, leuitate & iracũdia aliena: facultates suas, quas amplissimas è paterna domo secum aduexerat, liberaliter in usus egentium, in Cultum Diuinũ, & in publicas utilitates expendebat: moriens uerò, quicquid habuit in supel-

à Tamerlane Imperatore Scytharum potentissimo Vincitur & Fugit.

Heduigis filia Elizabet: eiusq; Mors, & Mores, & Pietas, &

supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad excitandã Cracouię & consummandã Academiam, quam Cazimirus Magnus Cazimiriæ inchoauerat, legauit: Quadragesimam & Aduentum Domini religiosa abstinẽtia & ieiunio semper coluit: delicias, pompas, & ostentationem diuitiarũ ita contempsit, ut quum propinqua partui, Regali cultu & magnificentia exornare cubiculum Regis absentis literis iuberetur, respõdisse feratur:
" Se pompam omnem & inanem splendorẽ pridem abdi
" casse, nec insciam esse, sæpe mortem partui comitẽ esse.
" Feruntur autem, ob sanctitatem eius, miracula quędam ad tumulum eius postea fuisse edita.

Sanctitas cõprobata.

LIBER XIII.

DE SECVNDIS VVLADISLAI nuptijs. Cap. I.

Vuladislaus de Regno solicitus.

IVstis Reginæ peractis, Vuladislaus Rex mœstissimus, ac de retinendo Regno addubitans, in Russiam secessit: cogitabatq; ultrò se Regno abdicare, & ad paternum Principatum reuerti potius, quàm ut ui & ignominia pelleretur: sed hæc eam cogitantem Primores Poloni placidè consolati confirmauerunt, quum ei sua studia, in posterum quoq;, detulissent: suadebantq;, ut Annam Vilelmi Ciliæ Comitis filiam, cuius sororem iam Sigismundus Rex Vngarorũ post Mariam in matrimonio habebat, secundam uxorẽ duceret. Eam enim iustam Regni hæredem esse, propterea quòd Cazimiri Regis neptis esset. Placuit consilium Vuladislao: quocirca missi Oratores ad Hermannum patruum puellæ, Ioannes

Fauentibus sibi Polonis. *Annam Vilelmi filiam,* *Iustã Regni hæredem,* *Per legatos impetrat*

Ioannes Obychouius Castellanus Sremensis, Hincia Rogouius, & Ioannes Ostrouicius, optata omnia retulêre: simulq; sponsam ad XVI diem Iulij mensis anni sequentis, Cracouiam adduxere: & quũ ea nullius linguæ, præter Germanicam, gnara esset, octo menses cõdiscendæ linguæ Polonicæ operam dedit, priusquam nuptiæ celebrarentur. Quum autem Rex à nuptijs, propter deformitatem sponsæ, abhorreret: Proceribus Polonis interuenientibus, mense Februario apud Biecium oppidum cum Ciliensibus Proceribus Conuentum habuit: nouisq; pactis initis, Liberalib. diebus nuptias peregit.

Sponsam & Vxorem.

DE ACADEMIA CRACOVIENSI, TEMPLO Corporis Christi Posnaniensi, Palatinatu Valachiæ, & Regno Vngariæ contempto. Caput II.

An. 1401. Academiæ Cracouiensis Collegia duo, &

PEr hæc fermè tempora, hoc est circa annum Christi 1401. Academia Cracouiensis ex testamento Heduigis Reginæ & cumulatione liberalitate Regis cõdita est: duę domus, siue Collegia excitata: alterum Philosophis & Theologis, in platea, quæ Iudæorum tunc fuit, nunc Diuæ Annæ nomine nuncupatur: alterum Iureconsultis & Medicis, quà ex urbe ad arcem itur: acciti Magistri & Doctores omnis generis è Pragensi Academia, censusq; ijs in perpetuum attributi à Rege è salinis & telonio, & adiuncta sacerdotia apud ædẽ D. Floriano sacram. Quietæ tunc res erant in Polonia: neque memorabile quidquam gestum, per hæc tempora, memoratur: præter quòd perduellium quorundam, uias publicas infestantiũ latrocinia, tunc Rex Vuladislaus coercuit. Per idem tempus (quod ab alijs ad annum Domini 1399. refertur, apud Posnaniam Corpus Christi in spe cie

Professores. *Latrocinia repressa.*

cie panis, ab infelici quadam muliercula sumptum, Iudæis primò uenditum, deinde uerò in pratis suburbanis eius oppidi abiectum, miraculis quibusdam proditum, est repertū: itaq; templum in eo loco Vuladislaus Rex condidit, & sanctissimi Corporis Christi titulo dedicauit. Anno sequenti, qui fuit à Christo nato 1403. Valachiæ Palatinus Alexander, & mox Romanus Petri filius, unà cum Consiliarijs, se in potestate Regis atq; Regni fore, iuramento professi sunt. Regnum etiam tunc Vuladislaus, ab Vngaris ultrò oblatum, contempsit: quum Sigismundus Rex Vngarorum, in uinculis ab eisdem detentus, opera Sciborij Equitis Poloni liberatus esset.

Templū Corporis Christi Posnani a An.1403.

Palatinus Valachiæ subditur Vuladislao.

Vuladislaus cōtemnit Regnum Vngariæ.

DE LITVANIA À CRVCIGERIS PERVASTATA, SUITRIGELLONIS IMPROBITATE, PACE CUM CRUCIGERIS, & CUM REGE BOEMORUM CONGRESSU. CAP. III.

NEc multo pòst Lituania, hinc à Prussiensibus, illinc à Liuoniensibus Crucigeris uehementer peruastata est, multiq; mortales in seruitutem abacti: quos Vitoudus, permutatione captiuorum, liberauit: Vuladislaus uerò Rex, afflictæ patriæ uicem miseratus, Suitrigellonem fratrem exulem, qui Crucigeros cōcitabat, è Prussia reuocauit, magno ære alieno, quod ibi contraxerat, exsoluto: ac (ne quod ei cum Vitoudo noui dissidij seminarium relinqueret) Podoliam ei, quinq; millibus marcarum Pragensium à filijs Spiteonis Melstinij redemptam, concessit: itemq; Strium & Zidacouiam, in Russia: Sidlouiam, Stobniciam, atque Drugniam, in Polonia: adhæc mille quadringentas marcas annuas è Salinis adiecit. nec tamen ea Regis liberalitas Suitrigellonis animum sanauit. Conuentū postea Rex cum Prussicis

Lituania à Crucigeris afflicta

Rex misertus, Suitrigellonē sua liberalitate sibi deuincire studet:

Sed frustra.

Cū Crucige-

sicis Crucigeris, apud Racianzum Episcopi Vuladislauiensis oppidum, ad Pentecosten anni sequētis habuit: pacem'que fecit. Vuratislauiam deinde, splendido plus quàm quinque millium equitatu comitatus, profectus est: cum Venceslao Rege Boemorum, illo postulante, congressurus. Itaque aduenientem perhumanè lauteq; accepit, non sine admiratione opum eius: ut etiam Sbigneo Brezio cum sexcentis equitibus antecedenti, Regem in eo comitatu adesse ratus, extra urbem prodijsse dicatur. Octo dies de fœdere, inter Consiliarios, tractatum est: & eò res propemodum perducta erat, ut Boemus Polono Silesiam omnem redderet, Polonus illi uicissim cum quadringentis hastatis equitibus, quoties opus fuerit, præstò esset: sed uel indigna res uisa est Polonis Proceribus, Boemis esse obnoxios: uel certè Ioannes Smiritius, consilio & auctoritate prēstās inter Boemos, superueniens rem infecit.

rū Conuētus, & pax.

Vuratislauiā Rex profectus splendidè, cū Venceslao Rege Boemorum

Nihil confecit.

DE SVITRIGELLONIS PERFIDIA, ALEXANDRO ITERUM VALACHIÆ PALATINO, & VITOUDI CONTRA MOSCHOS EXPEDITIONE. CAPUT IIII.

PRofugerat iterum in Prussiam Suitrigello, spe totius Lituaniæ per Crucigeros potiundæ: sed Podoliam nihilominus suis præsidijs tenebat: itaque Rex eò profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit, orto à Camenecia ciuitate initio: Præfecturāq; eius oræ Petro Saffranecio Polono mandauit: & ab Alexandro Valachorū Palatino, iā inde à duobus annis sibi addicto, ab eiusq; Consiliarijs, solenne iusiurādum (quòd in fide & in clientela sua, Reginæ ac filiorum, & Regni Polonici, permansuri essent) ibidem accepit. Vitoudus

Suitrigello perfidus profugit rursus ad Crucigeros:

Rex uerò subijcit sibi Podoliam, &

Ab Alexandro Valacho iterū iusiurandūm accipit.

An. 1406. Vitoudi bellum cum Moschis.

uerò pacem nactus à Crucigeris, eodem anno, qui fuit 1406. transmisso Vgra flumine, primã fecit in Moschos expeditionem: quum uerò illi ad pugnam elici non potuerũt, peruastata eorũ lõgè lateq; regione, prȩda onustus in Lituaniam rediit. Maiore ui postea in id bellum, anno uno intermissum, incubuit, fretus maioribus Polonorum, quibus Sbigneus Brezius Marsalcus præfuit, uiribus: quare usq; ad Occam, fluuium permagnum, populabundus peruenit. quò minus autem fluuium transmitteret, Suitrigellonis, patruelis fratris, armis prohibitus est. Nam is seu leuitate quadam ingenii siue inuidentia stimulatus, Bransco & Starodubo arcibus (quæ in Seueria, Vuladislai Regis beneficio, obtinebat) incensis, ad Basilium hostem Vitoudi transfugerat, bonamq; illi nauabat operam: sed tamen pacem nihilominus à Vitoudo Basilius petiit, & æquis conditionibus impetrauit.

Polonis eum adiuuantib.

Et Suitrigellonis improbitas,

Post arces incensas,

Basilio nauans operã.

DE INSIGNI BELLO CVM CRVcigeris gesto. Cap. V.

MVltis uerò pòst iniuriis Vuladislaus Rex à Magistro Crucigerorum Vlrico Iuningo exagitatus, ad pacem tamen, quamuis iniquam, pronior, quàm ad iustum bellum, erat: quare comitia Lenciciæ ad XVII diem Iulii habuit: indeq; (quum omnia prius experiri, quàm ad arma uenire, in commune placuisset) tres Legati ad Magistrum missi, Nicolaus Curouius Archiepiscopus Gnesnensis, Nicolaus Michalouius Sendomiriẽsis, Ianussius Tuliscouius Calissiensis Castellani. Postulabant hi à Magistro, ut Conuentu constituto, amicè cum Rege de omnibus iniuriis transigeret: sed excandescere Magister, & moram pati nolle, cõfestimq; arma se Lituaniæ illaturum esse, minari. Ibi Archiepiscopus, non

Vuladisl. Rex magnis iniuriis Crucigerorum exagitatus, ad pacem tamen pronior,

Dum tres Legatos ad Magistrũ mittit,

Superbè is agẽs omnia; & Archiepisc.

non ferens Magistri superbiam: Desinas, inquit, nos bello terrere: si arma contra Lituanos ceperis, uicissim arma nostra domi tuæ senties. quibus dictis Magister statim subiecit: Bene se rem habere, quum sentẽtiam Regis teneat: caput se potius petiturum, quàm pedes: & culta magis, quàm inculta. Ita tunc Legati impatiẽtia bellum approperatum est. Nec mora, dictis facta adiecit Magister. Dimissis enim Legatis, ad medium Augusti mensis cum exercitu Dobrinum magna ui oppugnatum cepit & incendit: Polonos qui arcem defendebant, unà cũ Prȩfecto arcis Iacobo Plominio, capitali pœna affecit: inde Ripinum & Lipnum oppida, primo impetu capta, uastauit: magna'que in oppidanos & agrestes crudelitate debacchatus, ne tenerȩ quidẽ ætati & muliebri sexui pepercit. Zlotoria deinde, acriter oppugnata, post octauum diem in deditionem Crucigerorum uenit: sed in Bydgostia oppugnanda quum plusculum laboris sentiret (propterea quòd arx ea munitissima erat) per proditionẽ, corrupto Præfecti uicario, quẽ Burgrabiũ uocãt, ea potiti sunt. Rex ubi hæc crebris certisq; nunciis accepit, minimè cessandum sibi ratus, expeditionẽ & ipse toti Poloniæ, Russiæ & Lituaniæ, cõtra Crucigeros indixit: Minores Poloni cum Russis ad Volboriam, Maiores ad Lenciciam conuenire iussi. quod ubi factũ est, recensito apud Radeouũ exercitu, ad Bydgostiam sub finem Septẽbris castra admouit, arcemq; obsedit: quæ post octauum diem à Polonis expugnata, & mox refecta præsidioq; munita est. Magister uerò ad Suece suos conuenire iusserat. quod ubi Rex cognouit, partem copiarum statim eò misit: pulsi dissipatiq; qui primi de hostibus uenerant, & castris exuti. Interea interuenêre Oratores Regis Boemorum Venceslai, bellumq; induciis con-

unus ex Legatis respondẽs impatienter,

Mox adest hostis cum exercitu apud Dobrinum.

Ripinum. Lipnum.

Zlotoriã, &

Bydgostiam:

Rex etiã generalẽ omnibus expeditionem indixit,

Bydgostiãq; recuperat, &

Apud Suece Crucigeros castris exuit.

Induciæ factæ ad 24 diē Iunij: sed

constitutis (utriusq; partis consensu) usq; ad uicesimam quartam diem Iunij sequentis anni, diremêre: ut interim Venceslaus de tota controuersia inter dissidētes arbitraretur. Venceslaus uerò, quū arbitriū inter dissidētes, ex compromisso ad se delatum, recepisset: ut erat homo nihili & uoluptatibus atq; ebrietati totus immersus, ne cognita quidem causa, de sententia Iodoci Marchionis Morauiæ ita pronunciauit, ut nullam prorsus neq; iustitiæ, neq; æquitatis, ratione duceret. adhæc ineptissimè, quæ extra controuersiam erant, adiunxit: ut Poloni non, nisi ex occidentalibus oris, Regem sibi deinceps peterent: Dobrinensem autem tractum ut ipse uno anno obtineret, atq; interim deliberaret, utri parti eum adiudicaret. quę sententia quum Germanica lingua à scriba recitari inciperet, nostri discessêre, negantes se Germanicæ concioni, propter linguę imperitiā, interesse uelle. Desperata igitur æqua pace, Vuladislaus dimissis in omnes partes literis, restibus alligatis, expeditionem cunctæ Poloniæ edixit: militē mercenariū, cum Ductoribus ordinū atq; Centurionibus, metandorū castrorum & instruendarum acierū peritis, è Boemis atq; Morauis Silesijsq; (inter quos præcipui Niclasius & Fridrosius de Fulstin Herbortones fuisse perhibentur) de sententia Sbignei Brezij Marsalci, acciuit. Erant in aula & ministerio Sigismundi Regis Vngarorum complures Poloni Equestris Ordinis: qui, propter præclara merita sua, non contemnendas facultates & possessiones in Vngaria, beneficentia eius Regis adepti erant: qui omnes, ubi Regem suum Vuladislaum ad Prussicum bellum proficisci senserunt, relictis possessionibus, & ingentibus Sigismūdi pollicitationibus repudiatis, memorabili exēplo in Poloniam uenerunt. Nec malè eis postea respondit Vuladis-

Arbitrio suo Venceslaus Rex, homo nihili &

Iniquus atq; ineptus,

Nihil efficit.

Post desperatā igitur pacem,

Expeditio cuncta Poloniæ indicta:

Miles mercenarius accitus:

Poloni ex aula Sigismundi Regis,

Relictis possessionib. suis et commodis,

Cū Rege suo coniuncti:

Vuladislai gratitudo & liberalitas. Proficiscens itaque Rex ad bellum Prussicum, Nicolaum Curouium Archiepiscopum Gnesnensem Cracouiæ cum Imperio reliquit: & quacunq; iter faciebat, profusa in egenos largitione utebatur. Quum autem Slupia oppidum, sub Lysecensi monasterio situm, peruenisset. biduo ibi commoratus, diluculo ad ædem sacram in excelso monte positam, & ligno Crucis Christi celebrem, pedes ascendebat: quum totū diem precationi, flexis genibus, in templo uacasset. Quum primùm uerò cū exercitu hostium fines attigit, expandit acies in longè patenti planicie: acceptumq; manu sua uexillum maximum, suspirans & lachrymabūdus ita fatur: Deus optime maxime, non modò factorum atq; dictorum, sed & cogitationum omniū cognitor, tu mihi testis es locupletissimus, me inuitum cum Christianis qualibus qualibus, Christianis tamē, ad hoc bellum descēdere, maximis & intolerabilibus Crucigerorum iniurijs prouocatum, & officio meo adductum, ut populos, abs te curæ & fidei meæ concreditos, de rapacibus & cruentis eorū manibus & infandis contumelijs uindicem. tu nosti, consilia pacis me nunquam defugisse, & uel iniqua pace bellum iustum redimere cupiuisse: sed quando apud homines, suæ cupiditati insatiabili & irreligiosæ superbiæ modum nullum statuentes, mansuetudine & patientia nihil proficio, tuę iustitię fiducia, iusta piaq; arma sumpsi, tuisq; auspicijs uexillū hoc nunc explico. tu, quæso, iustiori causæ faueto: & sanguinem Christianorum hominū, qui immaniter à Crucigeris trucidati sunt, quosq; hoc bellum utrinque absumet, ab illis qui causam dederūt expetito. Hæc Rex, collachrymante omni exercitu. Idem fecêre deinde Vitoudus & Masouij Duces, atq; Proceres Poloni & Lituani:

Archiepiscopus cum Imperio Cracouiæ relictus:

Eleemosyna fusa:

Pietati in Monte Caluo singulariter seruitum:

Deus cum lachrymis inuocatus testis,

Et rogatus adiutor:

Post omniū lachrymas

Bogarodzica cantatum: Poloni uerò absterſis lachrymis, Carmen patrium ſiue Pæana, Virgini matri Dei dicatum, Bogarodzica (quod diuus Adalbertus Archiepiſcopus & martyr Polonis tradidit) cecinêre. Quæſitum deinde, cui ſumma adminiſtratio totius belli, ſecundum Regem, committeretur: *Summa belli administratio ſecundum Regem,* detrectantibus autem tantum onus, maximo cum periculo coniunctum, cæteris, ad Zindramum Maſcouiciũ, *Zindramo Maſcouicio commiſſa,* Enſiferum (ut uulgò uocant) Cracouienſem, ortum ex ea familia cuius inſigne eſt Sol, munus id defertur. Erat is quidem ſtatura parua, ſed ingenti ſpiritu, & ingenio ſolertiaq; non uulgari. Huic adiuncti conſiliarij, Vitoudus, *Eiq; adiuncti conſiliarij:* Criſtinus Oſtrouius Caſtellanus Cracouienſis, Ioannes Tarnouius Cracouienſis, Sendiuoius Oſtrorogus Poſnanienſis, Nicolaus Michalouius Sendomirienſis Palatini, Nicolaus Tramba Præpoſitus S. Floriani & Procancellarius, Sbigneus Brezius Marſalcus, & Petrus Saffranecius Magiſter cubiculi ſiue Succamerarius (ut uocant) Cracouienſis. His ergo conſtitutis ad Luterbergam hoſtile oppidum, quod iam noſtri incenderant, *Atq; ita ad Luterbergã caſtris admotis, &* caſtra mota. quo in loco deteſtanda atq; horrenda res accidit. Nam duo Lituani ſanctiſsimum Chriſti Ieſu Corpus, quod in templo de more apud Chriſtianos aſſeruatur, *Profanatoribus Eucharistia* profanè in terram de argenteo ferculo abiecerant: qua re commotus Rex, auctores ſceleris perquiri iuſsit: qui, iuſſu Vitoudi, ipſi ſibi furcam excitarunt, & ſuis utrisq; manibus, Barbaro quidem, ſed patrio more, ſeſe ſuſpenderunt: *Seuerè punitis,* obiurgantes ſeſe mutuò, ne ſua cunctatione iram Principis in ſe accenderent, quaſi is atrocius etiam aliquid in eos poſſet ſtatuere. Nec ferè tale quippiã poſtea deſignatum eſt, territis cunctis duorum ſupplicio. Rex autem quum, non facta re Diuina, præter morem caſtra mouiſſet (propter noctem præcedentem tempe-

ſtatibus

ſtatibus inquietam, & uentos flãtes, qui Crucigerorum etiam tentoria diſiecerant) apud Gruneualdum pagum erecto tentorio, rei Diuinæ uacauit: *Poſt factam Miſſam* interim uerò ei nunciatur ab exploratoribus, alio ſuper alium accurrẽtibus, hoſtes adeſſe: ad extremum ueniens & ipſe Vitoudus nunciat, hoſtes in conſpectu eſſe: ni maturetur, in imparatos impetum daturos: nec tamen auelli Rex ab altaribus, donec Sacra peragerentur, potuit. Poſtea à Zindramo & Vitoudo acies inſtructæ: *Inſtructæ ſunt acies:* læuum cornu Poloni, dextrum Lituani tenuêre: quinquaginta fuêre ſigna Polonica, Lituanica quadraginta. Iamq; Rex, peractis Sacris, armatus in aciem prodibat, quũ ex hoſtili acie duo caduceatores progreſsi, quòd mandata ad Regem à Magiſtro ſe ferre ſignificabant, *A duobus Magiſtri ſuperbi caduceatoribus* intacti ad Regem deducti ſunt. Hortabantur autem Regem ij Magiſtri nomine, ne tam cunctanter & meticuloſè pugnam iniret: & quò incunctantius id faceret, duos gladios ſtrictos & cruentos Regi & Vitoudo obtulêre, *Duo ſtricti gladij* ut uel ijs aduerſus Crucigeros uteretur. Rex placidè & modeſtè caduceatoribus reſpondit: *Humiliter accepti:* Quamuis armorum ſatis habeat in exercitu, accipere ſe tamen in Dei nomine gladios, ab hoſte contumeliæ cauſa miſſos: atque ita accipere, ut omen uictoriæ, quam ſibi armorum traditio portendebat. Accepti gladij in ærario Regio, in hanc uſq; diem, aſſeruantur. Mox Vuladiſlaus, paucis pro tempore milites cohortatus, canere ſigna iuſsit, ſimulq; exercitus omnis patrium Pæana cecinit. *Poſt adhortationem & Bogarodzica noſtrorum,* Editiore loco Crucigeri conſtiterant: quumq; noſtros, emiſsis duabus bombardis, nullo incommodo affeciſſent, *Bombardas uerò Crucigerorum,* per decliue cum infeſtis ſignis decurrerunt. Commiſſum utrinq; ſumma ui prælium, *Pugnatum ſumma ui:* ita ut fragor ſonitusq; armorũ procul exaudiretur. iamq; ad unius ferè horæ ſpatium pugna durauerat, & neutro

D 4 tamen

Debilius cornu dextrum nostrorum

tamen inclinabat uictoria. Ibi Crucigeri, animaduertentes debilius esse cornu dextrum nostrorum (in quo Lituani, Rußi, Tartari instructi erāt) cum aliquot alarum subsidijs maiorem in id impetum dedêre. nec uanus omnino conatus is fuit, Lituanis, Rußis atq; Tartaris sensim (dum cataphracti acrius urgent) pedem referentibus, & ad extremum, quum ad unius tamen iugeri spatium utcunq; hostium impetum sustinuissent, in fugam (necquicquam reuocante Vitoudo) effusis: soli tamen Smolenscij Rußi, qui sub tribus signis in eodem cornu constiterant, fœditatem fugæ detestati, eximiæ uirtutis & fortitudinis laudem meruêre: & una turma penitus deleta, duæ reliquæ cum Polonis in lęuo cornu sese coniunxêre. Alia iam ibi erat rerum facies. Nostri enim acerrimè dimicantes, uexillum Regium (cuius signifer fuit Martinus Vurocimouicius, Vexillifer Cracouiēsis) ab hostibus deiectū, summa ui connixi, recuperarunt: ibiq; primùm inclinari cœpit hostilis acies. Interim uerò Lusacius quidam Dipoldus Kikericius, miles strenuus, totum corpus armis tectus, ex hostili acie procurrens, Regem, & ipsum armis insignem, infesta hasta petere uidebatur: in eum & Rex uicißim hastam direxerat: sed Sbigneus Olesnicius inermis, cum semifracta hasta præcurrens, ut uel suo periculo Regium auerteret, à latere uibrata hasta Dipoldum de equo deiecit: quem Regij satellites interfecêre. Præclarū & memorabile Nobilis adolescentis facinus: quod Rex postea magnis donis & Episcopa Cracouiensi remuneratus est, quum ille, Sacris initiari cogitans, balteum militarem abnuisset. Iam nostri totam hostium aciem, ingenti strage fractam, profligârant: fugientiumq; terga prementes, eodem impetu castra, iunctis carris atque curribus munita, ceperunt, & plures

Dißipatum,

Rußis Smolenscijs exceptis,

Vexillo à nostris recuperato,

Dipoldo in Regem incurrente

A Sbigneo Olesnicio occiso,

Hostes fracti,

Castra capta,

plures ibi mortales contrucidarunt. Cæsa feruntur hostium ea die, quinquaginta millia (in quibus Magister & Cōmendatores, paucis exceptis, fuêre:) capta, ad quadraginta millia: signa militaria relata unum & quinquaginta. nec id mirum cuiquam fieri debet. Nam ad centum quadraginta millia hostium fuisse, auctores sunt. & sanè omnis ferè Germania tunc, auctoribus Crucigeris, in exitium Polonorum conspirauerat: Conradus insuper Albus Olesnicien sium, & Cazimirus Scecinensium Duces, qui soli ipsi per se affuerant, uiui capti: in castris uerò magna uis tædarum ad incendia Poloniæ, magna catenarum ad uinciendos nostros comparatarum, malo dominorum suorum, reperta. Fertur autem, à multis ex utroq; exercitu, per omne tempus prælij, conspectus esse in aere uenerandus Pontificali habitu uir, dimicantes nostros confirmans, hostibus uerò terrorem incutiens: atq; is D. Stanislaus Episcopus Cracouiensis fuisse, creditur. Et affuit sanè Polonis non obscurè Diuinum auxilium, in eo prælio. Nam de Nobilioribus Polonis pauci cecidêre.

Plurimi cæsi atq;

Capti,

Signa militaria relata.

Germania tunc ferè omnis conspirauerat in Polonos,

Et tædæ cum catenis comparatæ.

Diuinitus hanc datam Polonis uictoriam,

S. Stanislaus testatus.

DE ACTIS POST VICTORIAM.

Caput VI.

INsequenti die, Sacris inprimis Deo solenni pompa peragendis hymnisq;, iussu Regis, uacatum est: hinc cæsorum funeribus cura impensa. Exhibiti deinde omnes captiui: ac cæteri quidem omnes, sponsione militari à Sbigneo Marsalco obligati, ut se ad diem S. Martini Cracouiæ sisterent, iussu Regis dimissi: dato etiam, pro cuiusq; conditione, uiatico: Cazimirus uerò Scecinensium & Conradus Olesnicēsium Duces, ac cæteri in Poloniam missi, per arces asseruādi distributi sunt: de duobus modò, Marquardo Salisbachio Cōmendatore Bran

 debur-

Gratiarum actio Deo facta:

Mortui sepulti:

Captiui alij dimißi,

Alij asseruati:

De duobus tantummodò sumptum supplicium.

deburgensi,& Sumbergio,necquicquã deprecante Re-
ge,à Vitoudo sumptum propterea supplicium: quòd ij,
in Colloquio quodam prope Cauunum,matri eius pro
brum obiecissent,& tunc captiui nihil de fastu suo dimi-
nuissent. Dimissus deinde in Poloniã Veredarius cum
nuncio uictoriæ, ad Archiepiscopũ,Episcopos,ac Præ-
sides Academiæ,celeriter cunctam Poloniam immensa
lætitia affecit: quamobrem solemnes supplicationes , a-
pud omnia templa, habitæ : diesq; tam insigni uictoria
memorabilis,quo Diuisio Apostolorum Christi repræ-
sentatur,inter festos relatus.

Victoria nunciata in Poloniam,

Supplicationes sunt habitæ, & Diuisio Apostol. inter dies festos relata.

DE MARIEBVRGI OBSIDIONE, ET Prußia Regi se subijciente. Caput VII.

MOuit deinde castra Rex: & quũ oppida quædam
cum arcibus in deditionem accepisset, septimis
demum castris ad Marieburgum peruenit, & postridie
oppidum expugnauit: parumq; abfuit, quin eodem im-
petu arcem quoq; caperet. quæ deinde, distributo in ter
na castra exercitu, obsideri à nostris cœpta: bõbardisq;
in omnia distributis, undiq; quassata sunt mœnia. Dum
hæc ita apud Marieburgũ geruntur, pleraq; omnis No-
bilitas Prussica, Culmensis, & Pomeranica, cum Episco
pis quatuor, Culmensi, Varmiensi, Pomesaniẽsi, & Sam
biensi, ultrò in potestatem Regis uenit: arces quoque &
oppida in deditionem accepta: inprimis Gedanum, El-
binga, Torunum, Chelmum siue Culma, Kynixberga,
Suece, Gneua, Tysciouum siue Dersauia, ac cætera reli-
qua. Sed Elbingensium maximè studium in Polonos e-
nituit, qui Vernerum Tetingerum Commendatorem
suum ex arce, quò se ex prelio Grunealdensi turpi fuga
receperat, eiecerunt, arcemq; Regi dediderũt: eam uerò
Rex.

Marieburgo oppido expugnato, Arce uerò obsessa,

Nobilitas cũ Episcopis

Et arces cum oppidis,

Elbinga insigniter, In potestatem Regis ueniunt,

Rex Ioannis Tarnouij, Palatini Cracouiensis, fidei com
mẽdauit. Cæterùm Nobilitatem omnem & oppidanos,
quum in uerba sua iurassent, suo sibi Iure Rex utrumq;
Ordinẽ uiuere permisit: arcesq; inter Proceres & Equi-
tes, ne Boemis quidem præteritis, pro meritis cuiusq; di
stribuit. Obsidebatur à nostris Marieburgum: iamq; dif
ficilis atq; molesta Boemis mercenarijs, propter frumen
ti inopiã dysenteria uulgò afflictis, illa obsidio esse cœ-
perat: uerùm Vuladislaus Rex, salutaribus consilijs re-
pudiatis, (quorũ auctor pręcipuus erat Nicolaus Tram
ba Procancellarius, non modò uerbis, sed etiam lachry-
mis suadens, nequaquam ab expugnatione Marieburgi
desistendum esse) ad tertium decimum Calendas Octo-
bris incensis statiuis, & mediocri aulicorum comitum
præsidio, cum Andrea Brochocio Stumæ, ad infestan-
dam oram Marieburgensem relicto, ab obsidione discef
sit. Iucũdum id fuit spectaculum obsessis: qui eò inopiæ
iam redacti fuerant, ut uix pauculos dies Henricus Pla-
uenius arcis Commendator ab eis impetrauerit, ne sese
arcemq; Regi dederent. Quò minus autem lætus discef
sus ille discedentibus esset, non maxima res effecit: nem-
pe quòd equus Regius, qui dudum alacriter hinniens
adstiterat, dum Rex eum abiturus conscendit, subitò ex-
animatus concidit. quæ res mali ominis uulgò est habi-
ta. Discedẽs autem Rex, Radinum arcem permunitam
(in qua oppugnanda pars exercitus à prælio Gruneual-
densi frustra tempus triuerat) in deditionem accepit:
quum iam eam milites facto impetu, portaq; effracta,
ferè cepissent. Quindecim ibi Crucigeri insignes
reperti, in Poloniam captiui abducti sunt:
reliqua multitudo nihil ad-
uersi passa.

Suoq; Iure utuntur: Arcibusq; pro meritis cuiusq; distributis,

Dum molesta esse cœpit Marieburgẽsibus obsidio, Rex neglectis salutaribus consilijs

Soluit eam,

Malum omẽ ueritus.

Radinum arx capta.

DE CRVCIGERIS ITERVM AC TERtiò fusis. Caput VIII.

Henricus Plauenius, adiutus à Gdanēsibus, exercitum cōtrahit: sed

NOn cessabat interim Henricus Plauenius, qui iam Magister Crucigerorum factus erat: sed undique contrahebat exercitum, acceptis mutuis in stipendium centum millibus florenorum à ciuitate Gdanensi, quæ iam rursus in fidem eius inclinârat. Nessouiæ tunc Rex erat, quum hæc ad eum perlata sunt: neque expediebat, quomodo suis succurreret, uastationemq́ ditionis suæ prohiberet: centum modò uel paulò plures hastatos de aulico suo comitatu precibus promissisq́ adduxit, ut cum suis quisq́ ministris Tucholiā, prȩsidij causa, proficiscerentur: quibus Petrus Mezirocius, gente Staríconius, præfectus est. Opportunè autem Sendiuoius Ostrouicius Palatinus Posnaniensis, & Dobrogostus Samotulius Castellanus, & Martinus Labissinius Palatinus Brestensis, cum suis cohortibus sese coniunxere. Erant tunc in propinquo satis magnȩ uires hostium cum Michaele Cochmeistro: atq́ ij quidem, ut de aduentu & paucitate nostrorum cognouerunt, raptim tanquam ad certam prædam contenderunt, ut nostros nec opinātes opprimerent. nec Poloni quidem pugnandi moram fecere. Prius uerò quàm signa canerent, Conradus Nemcius Silesius in medium procurrit, aliquē de Polonis ad singulare certamen prouocans: incunctanterq́ sese ipsi Ioannes Scicius, gente Doliuius, obtulit: uictus atq́ captus à Polono Silesius: confestimq́, sublato utrinq́ clamore, signa collata. Committitur atrox prœliū: bis quasi ex cōposito, defatigatis utrinq́ militibus, pugna intermissa & redintegrata fuit: tertiò uerò, refocillatis uiribus, adeò acriter concursum est, ut obstinatis utrinq́ uel ad uincendum, uel ad moriendum animis, pugnarent. Ibi

A non multis nostris,

Cum Duce exercitus Michaele Cochmeistro,

Victo prius singulari certamine Nemcio Silesio, à Ioanne Scicio,

Post acre utrinq́ certamen,

Ibi Ioannes Ostrouicius, cognomento Nassianus, gente Toporus, adacto equo uexilliferum hostilem obtruncat: uexillumq́, quo uno totus exercitus utebatur, abripit. qua re tandem hostium acies perturbari, ac deteriori loco esse cœpit: tum uerò auersi fugam capessunt, premunt terga fugientium nostri. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia: atq́ ea uictoria ita uires atq́ animi Crucigerorum fracti sunt, ut per multos annos postea nunquam auderent rem uniuersæ dimicationi committere. Porrò nostri motis castris, Inouuladislauiā ad Regem cum longo captiuorum ordine peruenêre: ibiq́ omnibus à Rege gratiæ actæ, ac perampla munera data sunt. Captiuos autem recreatos, & benignè consolatos, ac militari sponsione obligatos, ut se ad diem certum sisterent, dimisit: excepto Michaele Cochmeistero Duce exercitus, quem aliquandiu in arce Chencinensi in uinculis habuit. Fusus quoq́ deinde Crucigerorū exercitus fuit, Maioribus Polonis iussu Regis expeditionē facientibus. quibus cladibus permotus Plauenius Magister Crucigerorum, non ausus denuò fortunam aduersus Regem tentare, reliquias profligati exercitus ad Stumam arcem duxit, atq́ hanc in deditionem accepit. pòst Turonenses quoq́ atq́ Gdanenses ad Crucigeros defecêre: quibus Magister acceptis, arcem Turonensem nequidquam oppugnauit. Nam ea strenuè à præsidio Regio defensa est.

Ioanne Ostrouicio

Vexillum auferente,

Vincitur.

Animi Crucigerorum fracti.

Rex, erga suos gratus,

Captiuos dimittit,

Duce excepto.

Iterum Cruciferi fusi:

Stumamq́; et Torunū cum Gdano recipiunt, sed nō arcem Turonensem.

E 3 DE

DE VOTIS A VVLADISLAO PERsolutis, Pomerania uastata, exercitu Vngarorum profligato, Liuonibus Crucigeris cæsis, pace cum Crucigeris facta, obedientia Pontifici delata, & uexillis suspensis.

Cap. IX.

Gnesnæ et Posnaniæ facta uota Rex persoluit, & REx postea Gnesnam ad sepulchrum D. Adalberti, & Posnaniā ad ædem Corporis Christi, uotorum (quæ ante prælium Gruneualdense nuncuparat) exsoluendorum causa profectus: Equestrem ordinem totius illius tractus denuò exciuit, Pomeraniam'que omnem, omissa arcium & oppidorum oppugnatione, longè lateq; ferro & igni uastauit. *Pomeraniā uastat.* Dum autem hæc in Prussia aguntur, interea Sigismūdus Rex Vngarorum, quò auxilium Crucigeris ferret, promissisq; (ob quæ quadraginta millia florenorum à Crucigeris acceperat) satisfaceret, Sciborium Transyluaniensem Palatinū cum duodecim Boemorum, Morauorum & Austriorum uexillis, ad uastandam Poloniam misit: *Sigismundus Vng. Rex conductus à Crucigeris* sed celeriter nostri ad primum nuncium Regis concurrentes, hostem, præda ex agro Sandecensi capta grauem, abeuntem persequuti sunt, & nō procul à Bartesa siue Bardeouia adepti, magnoq; impetu adorti, profligarunt. *Poloniam uastans, A nostris Profligatus.* Hoc eodem tempore, memorabili rursus uictoria de Liuonibus potiti sunt nostri. Hermanus enim Liuoniensium Crucigerorum Magister, ualidum ex Germania & Boemia in Prussiam adduxerat exercitum: eoq; apud Golubum relicto, ipse cum paucis equitibus Marieburgū ad Brussienses Crucigeros profectus erat. *Hermani Liuoniensium Magistri exercitum ualidum, Golubæ relictum,* id quū comperissent nostri, qui Ripini & Bobrouunicis in præsidijs erant, ausi facinus audax, ductore Dobeslao Puchala, gente Vienauio. *Pauci nostri audacter nimis, Puchala Duce,* Ad hostem enim uiris armisq; longè superiorem contendere: &

re: & insidijs apto loco dispositis, pauci per agros palantes sub Goluba sese ostēdere. Eos igitur hostes auidius persecuti, locum insidiarum incautè præteruecti sunt: quos Puchala à tergo adortus, perterritos usque ad oppidum persecutus est. *Persequuntur: &* Oppidani uerò id animaduertentes (ueriti, ne patentibus portis nostri, permixti suis, in oppidum irrumperent) portas clauserunt. Ita exclusi oppido hostes, quum cæderentur passim in medio, proiectis armis, supplices nostris sese dediderunt: *Cæsos capiunt,* & quadruplo maior numerus captiuorum, quàm eorum qui eos ceperant, fuisse proditur. *Se quadruplo plures,* Pace demum cum Crucigeris (instante maximè Vitoudo) certis conditionibus constituta: *Pace cū Crucigeris facta,* dimissoq; exercitu, Vuladislaus Rex ad Ioānem Pontificem Max. qui Alexandro quinto successit, Oratores suos cum peramplis donis misit: eiq;, tanquā Christi uicario & diui Petri successori, obedientiā suam detulit. *Rex Pontifici nouo Cum donis missis obedientiā defert: &* Venit deinde rex Cracouiam, pedibus (Religionis causa) incedens, uexillaq; & signa militaria unum & quinquaginta de Crucigeris capta, in sempiternā tam insignis uictoriæ memoriam, in basilica suspendit: quæ in hunc usq; diem extant. *Vexilla in Ecclesia Cracouiensi suspendit.*

DE VENETORVM ET TARTARORVM ad Regem Legatione, Sigismundi cum Rege reconciliatione, & Scepusiensi tractu oppignerato.

Cap. X.

SEquentis anni (qui fuit 1412.) initio, aduenit Venetorum Legatio, quingentorū hastatorum stipendium Regi pollicens, si Sigismundo, Vngarorum Regi, bellum facere pergeret (iam enim creatus erat Cæsar Sigismundus, & facessebant ei negotium Veneti in Dalmatia:) quod quum sensisset agi à Venetis Sigismundus, *An. 1412. Veneti Regē urgent ad faciendum bellū Sigismundo, Cæsari iā creato: sed Sigismūdus,*

mißit & ipſe Legatos ad Vuladislaum de renouãdo fœdere, aut certè de Conuentu & Colloquio. Aegrè Conuentu Lubouuliam impetrato, prior Anna Regina Poloniæ eò profecta eſt, Barbaram ſororem, quæ cum Sigiſmũdo nupta erat, uiſum: uenienti autem Vuladislao Sigiſmundus obuiam prodijt unà cum uxore, uſq; ad iugum montis: tandemq; in gratiam Reges, pactis iureiurando mutuo firmatis, redierunt. Budam uerò (Sigiſmundo petente) Vuladislaus profectus, ſplendidam Legationem Tartarorum cum muneribus, maxima ſibi auxilia (ſicubi opus eſſet) pollicentium, habuit. Honorificentiſsima hæc ei fuit Legatio, apud exteros. Ampliſsimis dein muneribus à Sigiſmundo donatus, per Morauiam in Poloniam reuertit, quinto demũ menſe, poſteaquam in Vngariam ingreſſus fuerat. Erant autem præcipua dona, quæ à Sigiſmundo acceperat: Corona, ſceptrum, & pomum, aurea, Boleslai Chrobri gladius, & inſignia Regni, quæ Elizabeta Ludouici Regis mater in Vngariam aſportauerat: ea Rex, Cracouiam ingrediens, publicè ſibi præferri iuſsit. Venerant poſtea ad eũ Legati à Sigiſmundo Rege, qui octoginta millia florenorum Pragenſium ab eo mutua acceperunt, dato ei in pignus Scepuſienſi tractu omni, arce modò excepta. atque ex eo tempore Scepuſium in ditione Polonorũ eſt, uſq; in hanc diem.

Habito cum Rege colloquio, præſente Anna Regina.

Redit cum eo in gratiam.

Budæ Legatio Tartarorum ad Regẽ honorifica.

Rex redit in Poloniã cum ampliſsimis Muneribus.

Regi oppigneratus à Sigiſmundo Scepuſienſis tractus.

DE LITVANORVM ET POLONORVM *fœderibus renouatis, Samagitiaq; ad Religionem conuerſa.* Cap. XI.

REuertens ex Vngaria Vuladislaus, ſuas omnes peragrauit ditiones: & apud Grodlum ſupra Bugum amnem, Polonorum & Lituanorum Conuentũ habuit. ibi

In Conuentu ſupra Bugũ, fœdera cum

ibi fœdera inter has duas nationes renouata: cõceſſumque ius Nobilitatis Lituanis, ijs duntaxat, qui ritus Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ ſeruarent: ijſdem ut inſignibus, ijſdem prærogatiuis, quibus Polona Nobilitas, uterentur: honores uerò & magiſtratus ne alienis ab Eccleſiæ Romanæ inſtitutis mandarentur. Inde porrò in Samagitiam profectus, gentem eam, quæ nondum falſorum Deorum cultum penitus abdicarat, magno ſtudio magnaq; cura, extinctis ſacris ignibus, ſuccíſis lucis, necatiſq; ſerpentibus & alijs ſacris animalibus, ad Religionem Chriſtianam conuertit, non modò pij Regis, ſed etiam Apoſtoli fungens officio: ſuggerentibus ſacerdotibus noſtris, quæ diceret, quæ'ue faceret: quum ipſi Barbaros loquentes non intelligerent, nec ab eis uiciſsim intelligerentur. Epiſcopum etiam apud Mednicos, attributis agris & reditibus, & Parœcos duodecim inſtituit.

Lituanis renouata: & Nobilitati eorum, Romanam fidẽ profitentium, eadem quæ Polonis cõceſſa.

Samagitiam Rex,

Extirpata idololatria,

Chriſtianam facit: &

Epiſcopum Mednicẽſem cum 12 Parochijs inſtituit.

DE NOVA IN CRVCIGEROS EXPE- *ditione, & cauſa iudicio Concilij Conſtantienſis ſubmiſſa.* Cap. XII.

INde porrò poſt anni ſequentis initium, qui fuit 1414, propter multas iniurias Regno illatas, expeditionem nouam in Crucigeros, Polonis, Ruſsis, Lituanis, cunctis indixit: quare conuenerunt copiæ ex omni Polonia, Ruſsia, Lituania, & Maſouia: erat & mercenariorum militum, ex Boemis & Sileſijs, non exiguus numerus: adhæc Sileſiorum Duces. Itaque Rex non moratus diutius, in terram hoſtilem duxit exercitum: oppida & caſtella multa partim ui expugnata, partim in deditionem accepta. Venit interim Legatus Pontificis Ioannis XXIII, Ioãnes Lauſanenſis Epiſcopus: qui impetrauit

An. 1414. Expeditio iterum cõtra Crucigeros indicta,

Dum Rex iã ſubijcit ſibi Pruſsiam,

Legatus Pontif. ab eo impetrat, ut

Causam suã iudicio Conc. Const. subijciat. facilè à Rege, ut duorum annorum inducijs constitutis, Constantiensis Concilij iudicio causam & controuersiam suam omnem cum Crucigeris permitteret. Itaque Rex dimisso exercitu, de Consilij sententia Legatos ad Concilium misit: inter quos Andream Lascarem, qui decreto Collegij, cum uoluntate Regia coniuncto, Episcopatum Posnaniensem ægrè admodũ suscepit: uir bonus, & non ignarus, quantum onus in se susciperet. cuius quum perpaucos similes nostra ætas habeat, hoc libentius tam rarum integritatis & modestiæ exemplum commemorauimus. *Andreas Lascar Aegrè admodum assentitur Episcopus fieri.*

DE TVRCIS COHIBITIS, PALATINO Valachiæ, & Constantinopolitanis à Turcis oppressis. Cap. XIII.

Vuladislaus, absente Sigismundo Turcas ab Vngaria PEr hæc tempora, Vuladislaus Rex erga Sigismundum amici functus officio est. Nam Turcas, illo absente Vngariã infestantes, Bosnamq́ (prius à Sigismundo recuperatã) ipsi iterum (fusis profligatisq́ Vngaris) eripiẽtes, missa ad eos graui & minaci Legatione, cohibuit: & sex annorũ inducias inter eas gẽtes, captiuis Vngaris Proceribus liberatis, confecit: pacem quoq́ perpetuam confecisset, ni Pipo Florẽtinus Themesiensis temerè omnia turbasset. *Cohibet: & liberatis captiuis, pacẽ confecit.* Interea etiã Vuladislaus Rex Lituaniam, Poloniam, Rusiam, continentibus ferè itineribus obiuit: *Obeunte Rege Regnum suum,* & Sniatini quum esset in Rusia, ante Pentecosten anni sequentis 1415, uenit ad eum Palatinus Valachorũ, permagna Nobilitatis suę caterua stipatus: adoratoq́ publicè Rege, & uexillo ad pedes eius proiecto, & dato cõceptis uerbis iureiurãdo, in fide atq́ clientela eius & Polonorũ se fore semper, promisit. *An.1415. Palatinus Valachorũ in clientelã recipitur, & Constãtinopolitani contra Turcas subsidiũ frumentarium à Rege accipiunt.* Venit & ab Imperatore & Patriarcha Constantinopolitano Legatio, frumentarium subsidium petens. Vehementer enim à Tur-

à Turcis infestabantur & premebãtur. Vuladislaus itaque Rex inopia laborantibus Constantinopolitanis liberaliter opitulatus, & in Cacybeio portu maris Pontici, qui in ditione Polonorum tunc erat, frumentum admensus est.

LIBER XIIII.

DE TERTIIS VVLADISLAI NVPTIIS, & Reginæ Elizabetæ coronatione.

Caput I.

ANno sequẽti, Annam Reginam mortuam Cracouiæ Rex sepeliuit: nec multo pòst ingẽs uis Tartarorũ, Duce Ediga in Kiouiensem tractum improuisò effusa, ferro igniq́ omnia depopulata est: urbemq́ ipsam Kiouiam diripuit ac diruit, quæ ex eo tempore splendorem pristinum nũquam recuperauit: *An.1416. Anna Regina mortua, Tartarisq́; Kiouiam populantibus.* Rex uerò pro eo quòd hostes bello persequi debuit, Sanoci nuptias celebrauit, indignas illa ætate, & nomine & dignitate sua: ducta in matrimoniũ Elizabeta Pilecia, Ottonis Palatini quondam Sendomiriensis filia, uidua prouectæ iam ætatis & effœta. *Rex tertias nuptias celebrat se indignissimas.* inde Cracouiam indicto Conuentu, Reginam quoque eam ritu solenni fecit, necquidquam aduersantibus nonnullis Proceribus, & inprimis Sendiuoio Ostrorogo Palatino Posnaniensi. *Regina Elizabet coronata ab Archiepisc. Leopoliensi.* Quoniam uerò ab Archiepiscopo Leopoliensi, Ioanne Ressouio, coronata erat: ueritus Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis, qui tunc in Concilio Constantiensi erat, ne sibi posterisq́ue suis ea prærogatiua Reges & Reginas coronandi surriperetur, obtinuit apud Concilium, ut Archie-

Archiepisc. Gnesnēsis in Concilio Constant. Primas Regni constituitur. Fulmen horrendū in Regem:

piscopus Gnesnensis deinceps Primas Poloniæ haberetur. Post eas autem nuptias aliquanto tempore contigit Vuladislaum Posnania Srodam proficisci: ibiq; subitò atris nubibus cœlum obductum, fulmen magno fragore emisit: & quadrigas carpēto quo Rex uehebatur iunctas, duos que stipatores Regios, & equos complures alios, uno ictu interfecit. Rex quum aliquandiu exanimatus iacuisset, tandem respirauit, cætera sospes, præter quòd surdaster paucos dies, & modico manus dextræ dolore affectus fuit. Creditum est uulgò, propter incestum matrimonium diuinitùs eo terrore correptum fuisse. Nam Elizabetę mater Vuladislaum ipsum de sacro Fonte leuauerat, eiusq; patrina fuit.

Propter incestas nuptias.

DE TVMVLTV PROPTER REGINAM & morte eius, Regnoq; Boemorum repudiato. Caput II.

In comitijs Lencicienfib.

Regina infensa Episcopo Cracouiensi.

COmitia Rex postea Lenciciæ celebrauit: in quibus parū abfuit res à perniciosa seditione & cæde. Infensa erat Elizabeta Regina Alberto Episcopo Cracouiensi, quòd is matrimoniū eius cū Rege inprimis improbabat: tum quòd Ioanni filio eius, quem Vincentio Granouio pepererat, diploma de Comitatu, quo is à Rege contra Leges publicas ornatus erat, non signabat. quare eò Regem perpulerat, ut Episcopo, indicta causa, Cancellarij munus abrogaret. Et mortua quidem est Regina ante diem comitiorum, publica omnium ordinum (pręterquā Regis ipsius) lętitia: iudiciū tamen nihilominus in Episcopum institutum est. Non tulerunt id Episcopi fratres, propinqui & clientes, quorum numerosa turba stipatus aduenerat: crescebat iniurijs & conuitijs mutuis tumultus. Rex cum Primoribus in penitius cubiculum se subduxit: & ni mox porta arcis

Ante comitia tamen mortua,

Tumultus coortus

Vix est sopitus.

Regnum Vuladislao à Boemis delatum,

Propter hæresim non est susceptum, nisi ad Catholicam redirent.

arcis clausa, ponsq; sublatus esset, multum ibi sanguinis effusum fuisset. Postea tamen repressa à Primoribus gliscens seditio, Rexq; reconciliatus est reis. Consultatum deinde est de Repu. & inprimis de Boemis, an eos Rex, iterum atq; iterum petentes, in fidem suam reciperet: & re diligentius in aliquot Conuentibus agitata, placuit, ut Rex Regnum, à Boemis delatum, ne reciperet, propter hæreses, quæ uariæ totam Boemiam infecerant. id tamen adiectum: Si illi in uiam rectæ Religionis, & ad societatē uniuersæ Ecclesiæ redire uelint, Reipub. Christianæ causa, si ita Pontifici Max. uideatur, non esse recusaturum, quin id Regnum suscipiat.

DE HEDVIGIS FILIAE SPONSALIBVS, *quartis Vuladislai nuptijs, pecunia Regi ab Ecclesiasticis denegata, & bello cum Crucigeris gesto.* Caput III.

Heduigis Vuladislai Friderico desponsa.

Quarta uxor Vuladislai Sophia.

Præfecti Ecclesiarum pecuniam à Pontif. concessam Regi denegant,

Propter iustas causas.

DVm hæc ita fiunt, Vuladislaus Rex cum Friderico Marchione Brādeburgensi affinitatem iunxit, despōsa filio eius natu maximo Friderico unica filia sua Heduigi: atq; is, quum impubes etiam tum esset, in aula Regia honestè & liberaliter educatus est. Incōsulto dein Senatu Polonico Vuladislaus quartas nuptias cū Zonca Russa (cui postea Sophiæ nomen fuit) Andreæ Kiouiensium Ducis & sororis Vitoudi filia, celebrauit: id uerò matrimonium sine dote Vitoudus conciliauit. In Poloniam Rex reuersus, poposcerat Ordinem Ecclesiasticum quinq; millia florenorum, quæ ei Pont. Max. exigenda concesserat: uerùm de Synodi sententia, negata sunt, ne quid eiusmodi in consuetudinē ueniret, & quòd nullum tunc bellum Rex aduersus hæreticos Boemos gerebat. Nam in eum usum eam exactionem Pontifex indul-

Ad Crucigeros indulserat. Bellum deinde Regi cum Crucigeris, præter omnem opinionem, exarsit, *Sigismundi literis* Sigismundo etiam Cæsare Crucigeros ad inferendum Polonis bellum, per homines habitu mendicorum ornatos, clàm incitante: sed *Apud mendicum Deprehensis,* literæ, inter uestes unius mendici apud Coninum (quod Maioris Poloniæ oppidum est) forte mortui inuentæ, dolum detexerunt. Intra paucos igitur dies uniuersę Regis copiæ, è Polonia, Rusia & Lituania, quò iussę sunt, *Intra paucos dies* conuenêre: ingressusq́ Rex hostilem terram, composito agmine, perinde ac si hostes in conspectu essent, *Prussiam populatur Rex:* incedebat, & agros eorum longè lateq́ populatus est: hostes etiam ipsos aliquot cladibus affecit: pagos & uillas eorum uastauit, & arces aliquot cepit. tum illi inauspicati belli pertæsi, & Nobilitatis oppidanorumq́ suorum *Paceq́; Crucigeris donata,* clamoribus & querimonijs defatigati, pacē à Rege certis conditionibus impetrarunt: & Sigismundus ipse Cæsar, interuenientibus Vngaris Proceribus cum Vuladislao congressus, pacem cum eo renouauit. *Cum Sigismundo renouat eandem.*

DE CORONATIONE REGINAE SOphia, Vuladislao filio nato, clauo Christi, & peste. Caput IIII.

An.1424. *Sophiæ Reginæ coronatio celeberrima, &*

ANno deinde 1424, duodecima Februarij, Sophiæ Reginæ diadema solēni ritu impositum est. quam celebritatem, præter Polonos & Lituanos Proceres, Sigismundus Cæsar cum Barbara uxore, Ericus Rex Danorum, qui tunc forte Hierosolyma (Religionis ergò) iter habebat, ac multi Germaniæ Duces, cohonestarunt. Natus est demum Vuladislao filius, ingenti patris lætitia: & post quartum demum mensem Religioni Christianæ initiatus, Vuladislai nomen accepit. Adfuerunt autem ei ceremoniæ Pontificis Maximi, Cæsaris, *Vuladislai filij ortus.*

ris, Venetorum, & Mediolanensium Ducum, & nonnullorum aliorum Principum à Rege inuitatorum Legati, cum amplis donis, puerperæ allatis: Vitoudus uerò argenteas cunas centum pondo puero misit: remisitq́ uicissim Vuladislaus omnibus munera. Aduenit postea Legatus Pontificis, Latinus Vrsinus Cardinalis Episcopus Hostiensis, afferens Regi dono unum de clauis, quibus Christus Iesus, auctor salutis nostræ, cruci affixus est: acceptusq́ est summo cum honore, & clauus sacer, uoluntate Regis, in basilicam Cracouiensem illatus. ubi in hanc usque diem asseruatur. Biennio pòst pestis ingens Poloniam & Lituaniam peruagata est, ita ut Rex cum Regina & Vitoudo in syluis degere cogerentur. ubi quum uacaret uenationi, casu equi crus fregit: in quo curando menses aliquot Crasnostaui absumpsit. *Clauus unus crucis Christi donatus Regi.* *Pestis grauissima, &* *Crus Regis fractum.*

DE SVCCESSIONE INFANTIS VVLAdislai, & Regina adulterij insimulata. Caput V.

ANno uerò 1426, ad Pentecosten comitia Lenciciæ habita sunt: in quibus à Rege res magna tentata, sed non impetrata est, quum is promissa, eam ob rem in superioris anni comitijs Brestensibus facta, non præstaret. Promiserat autem, confirmaturum & aucturum se Nobilitatis libertatem & prærogatiuas, stationes Ecclesijs & monasterijs remissurum, Cuiauienses autem auenæ pensione liberaturum, si filium suum, anno superiore natum, Regem post se designarent: ut ijs de rebus Rex, in proximis futuris comitijs, diplomatis in singulos tractus seu Palatinatus datis, diligenter caueret: uerùm is mutato (suasu Cæsaris) consilio, quum negaret *An.1426.* *Rex, dum promissa non præstat,* *Filio infanti* *Successionem non impetrat*

 id se

id se facturum esse, consurgens omnis senatus, diploma suum, quo Regi de filio promittebat, à Sbigneo Episcopo (cuius fidei concreditum fuerat) receptũ, magno fremitu ac tumultu, Rege inspectãte, concerpsit. Sic, re infecta, Conuentus ille solutus est. alia tamen uia Rex id quod cupiebat, postea perfecit: quum singulos Senatores priuatim (quemadmodum Cæsar monuerat) prensasset, & à singulis chirographa exegisset, itemq́ à ciuitatibus & plerisque Conuentibus Nobilitatis, præsertim Russiæ & Podoliæ. Perpauci de Primoribus reperti, qui maiorem Reipublicæ, quàm priuatorum commodorum suorum & gratiæ Regiæ, rationem ducerent.

In comitijs:

Sed priuatim prensans singulos, uoti fit compos.

Insequens annus nulla ferè memorabili re, quàm probro Reginæ, memorabilis est. eius uerò auctor Vitoudus fuit, augente suspicionem, in decrepita Regis ætate, tertio (quod instabat) Reginæ puerperio. quare in id facilè credulum hominem, ut in pudicitiam Reginæ inquireret, induxit: captæq́ duæ puellæ, pedisequæ Reginę, Catarina & Elizabeta sorores Sciucouiæ, quæ omnium esse consciæ uidebantur, terrore tormentorum adhibito confessæ sunt de libidinibus Reginæ, sed uerène an falsò, incertum est: Regina uerò non audita, plena mœroris ex tam insigni infamia, Cracouiã remissa est. Remittebatur deinde in Lituaniam, asseruanda in custodia: ni Poloni Proceres, & inprimis Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouiensis, cuius magna tunc erat auctoritas, dissuasissent. Is enim, quum id à Rege clàm agi, ex apparatu curruum & mox ipsius confessione, cognouisset, percontatus est Regem, Quid pueris, ex ea natis, facturus esset? quumq́ Rex, secum eos fore, & in spem Regni educatum iri, respõdisset: Apage, inquit Tarnouius: túne Reges nobis relinquere uis, quos ipse, dum matrem eo-

Regina à Vitoudo insimulata adulterij,

Facta pedisequarum confessione,

Ipsa uerò non audita,

Ioannis Tarnouij prudentia &

rum

rum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterùm Senatus frequens eò rem perduxit, ut Regina se, suo ipsius & septem honestarum ac Nobilium fœminarum iureiurando, purgaret. Tũc autem non multo pòst Regina filium peperit, cui Andreæ Cazimiro nomen fuit: atq́ ita Reginæ infamia conquieuit.

Frequentis Senatus studio, purgat se iureiurando.

Paritq; Andream Cazimirum.

DE VITOVDI AMBITIONE, ET SBIGNEI Episcopi atq; Ioannis Tarnouij integritate.
Caput VI.

SIgismundus Cæsar maleuolentia quadam ductus, ut Vuladislao Regi incommodaret, Vitoudum illi infensum reddere constituit: quare societatem cum Vitoudo inijt, ac diadema ipsi Regium pollicitus est, ut eum cum Vuladislao & Polonis committeret. Non recusabat quidem id Vitoudus, homo ambitiosus & ingentis spiritus: sed negabat sibi, inuito Vuladislao, accipere licere. Itaq; ad Vuladislaum callidè & blandè affectata à Cæsare & uxore eius uia, perfectum est, ut is, cohonestandæ patriæ gratia, non abnueret, si Senatus Polonicus assentiretur. Ad Senatum uerò relatum, in comitijs, Lusci quum esset: princeps Albertus Iastrembecius Archiepiscopus Gnesnensis, longis uerborum ambagibus usus, nihil tamen certi statuebat. Post hunc Sbigneus Olesnicius, Cracouiensis Episcopus, grauissimis uerbis, Vitoudi præsens consilium reprehendit: pactorum conuentorum, quæ Rex quæq́ ipse cum Polonis sanctissimo iureiurando interposito olim firmassent, & quibus Lituaniam Poloniæ adiunxissent, admonuit: turpem esse prudenti seni, & saturo gloriæ Principi, intempestiuam illam ambitionem: cogitaret, uenenatam esse illam offam & exitiale munus, quod sibi à communi ho-

A Sigismundo Cæsare Vitoudus

Diadema Regium promissum habens,

Regem in suã facilè sententiam inducit:

Sed Senatus Polonicus,

Sbigneo Episcopo auctore præcipuo &

ſte Cæſare offerretur: non hoc illum agere, ut honorem ipſi habeat, ſed ut diſsidium inter eum & Vuladislaum faciat: &, quos coniunctos nullo incommodo poſsit afficere, diſiunctis ac diſsidentibus omne malorum genus inuehat. Hęc & multa alia elocutum Sbigneum excepit Ioannes Tarnouius, Palatinus Cracouienſis, graui oratione & ipſe rem illam & conatum Vitoudi exaggerauit: hos frequens Senatus magno conſenſu ſecutus eſt. Itaq; repulſam paſſus Vitoudus, iratus fremẽsq; è Senatu ſe proripuit. Nec mora, Proceres Luſco frequentes diſcedunt: quos Rex proxima nocte ſecutus eſt. Miſit autem poſtea Vitoudus Gaſtoudum Palatinum Vilnenſem, & Rombudum Marſalcum, Oratores ad Regem, & ad Primores Polonos, qui frequentes ad Regem Corcinum conuenerant: fuitq; hæc Oratorum extrema oratio, Vitoudum, ſiue uolentibus ſiue nolentibus Polonis, Regem fore. Decreta eſt itaq; Legatio ad Vitoudum, cuius Principes fuere, Sbigneus Epiſcopus, & Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouiẽſis: hisq; datum in mandatis, ut ſi aliter animum Vitoudi à propoſito deflectere nequeant, Polonorum Regnum, concedente Rege, ad eum deferrent: ut, quando tam appetens eſſet Regni, ab amicis id potius, quàm ab inimicis, accipiat. Vuladislaus quidem, non tam altos ſpiritus nactus, & priſtinum ingenij uigorem magis ac magis indies hebeſcentem, uiresq; ſuas exhauſtas ſentiens, non grauatè Vitoudo, longè uegetiori, Regnum concedebat, cuius iam ipſe ſatur erat: & filios paruos habebat, Regno adminiſtrando inutiles: ad quos tamen id, Vitoudo nullos relinquente liberos, rediturum eſſe haud multo pòſt, intelligebat. Iam enim & Vitoudus octogeſimum annum exceſſerat. Reſpondit Vitoudus Legatis:

Ioanne Tarnouio.

Nullo modo aſſentiri uult.

Poſt alteram Vitoudi obſtinatam petitionem.

Legati ad eum miſsi.

Cum Regno potius Poloniæ offerẽdo.

Vitoudo id reſpuente.

tis: Nolle ſe eſſe tam impudentem & impium, ut Vuladislaum Regno priuaret: cæterùm cœpto per omnium Gentium ac Principum ora uulgato deſiſtere, turpe ſibi & indecorum uideri: nihil ſe aduerſus Regem & Polonos moliri: ſed, ſi quod bellum ſibi ab eis inferatur, omni conatu propulſaturum. Liberius ſanè tum cum Vitoudo egit Sbigneus: itaque expoſtulauit cum eo Vitoudus, quòd ſolus deſiderio ſuo aduerſaretur, Tarnouio collega non adeò aduerſante. at Sbigneus, perſpectam habens fidem & integritatem Tarnouij, reſpondit incunctanter: Se quoque ipſi aſſenſurum eſſe, ſi Tarnouius aſſentiretur. Ita Vitoudum refellit uir excelſi animi, & raræ integritatis: nec tamen ille cœpto deſtitit.

Rem gerunt grauiſsimè & conſtantiſsimè.

DE SVCCESSORE REGNI ALTERO VVladislai filio, & Vitoudi Cæſarisq; conatibus ſtrenuè impeditis. Caput VII.

INtelligens autem Vuladislaus, quorſum Cæſaris & Vitoudi conatus ac molimina, & noua cum Cruciferis fœdera ſpectarent, anno ſequenti (qui fuit 1430.) comitijs Iedlnam (pagus hic eſt in tractu Radomenſi) indictis (ut Polonorum uoluntates beneficijs ſuis ſibi liberisq; ſuis obſtringeret, Regniq; ſucceſsionem alteri de filijs ſtabiliret) ueteres priorum Regum ac Principum donationes & immunitates confirmauit, permultaq; Equeſtri ordini, nonnulla Eccleſiaſtico, pauca oppidanæ ruſticanæq; plebi, de penſionibus & oneribus remiſit (quod Priuilegium eius Iedlnæ datum, abundè teſtatur.) receptum Regi uiciſsim, de alterutro filio, uter aptior adminiſtrando Regno fore uideretur, Rege creando: &, quum adoleuerit, & prærogatiuas atq; beneficia

Rex, ſcopum Cæſaris & Vitoudi conſiliorum uidens.

An. 1430.

In comitijs Iedlnenſib.

Libertates multas dat Polonis, &

Filio ſuo ſucceſsionem impetrat.

neficia superiorum Regum, cunctis Ordinibus publicè
data, confirmauerit, coronando. Rex ubi nulla ratione
Vitoudum de sententia deduci posse animaduertit, si-
mulq; maturari coronationem ad XVI. Calendas Se-
ptembris didicit (nescit enim ambitio modum, si semel
ei habenas laxaueris:) negotiũ dat Ioanni Czarncouio,
Succamerario Posnaniensi, nobili & impigro homini,
ut ad confinia Poloniæ & Saxoniæ obseruaret, atq; in-
ternuncios Cæsaris & Vitoudi, per Prussiam ultrò ci-
tróque commeantes, interciperet. Nec malè successit
Czarncouio negotium. Etenim Baptistam Cigallam
Iureconsultum Genuensem, & Sigismundum Rothum
Silesium, à Cæsare ad Vitoudum proficiscentes cepit,
scripturasq; ad Regem, ab eis ablatas, attulit. Missi au-
tem ij erant, ut Vitoudo dubitationem omnem exime-
rent (qui dubitabat, an Rex Romanorum, qui Impera-
torium diadema nondum adeptus est, potestatem ha-
beat noui Regni instituendi:) simulq; ut diplomata Cæ-
sarea, quibus in Lituania Regnum constituebatur, &
Vitoudus Rex creabatur, ipsi afferrent: ac diadema ad
tempus allatum iri ab alijs Legatis, promitteret. Quum
uerò Czarncouius, splendidè pro meritis à Rege remu-
neratus, propter aduersam ualetudinem ei custodiæ
diutius uacare non posset: Nobilitas omnis Maioris
Poloniæ, Sendiuoio Ostrorogo Palatino & Præfecto,
Dobrogosto Samotulio Castellano Posnaniensi, & Ia-
rando Bruzeuio Palatino Vuladislauiensi ducibus, ne-
mine iubente, quasi sublato signo armata, uias & syluas
omnes insedit, dimissis quoquò uersus exploratoribus:
ut, quocunq; opus esset, etiam ad extremum Oceanum
Germanicum, cuncta accurreret, uel cum longè maiori-
bus copijs pro patriæ tranquillitate & honore decertare
parata.

Vitoudo in sententia persistente,
Iamq; die coronationi eius dicta,
Ioannes Czarncouius.
Internuncios Cæsaris & Vitoudi intercipit.
Eoq; fortè ægro,
Tota Maioris Poloniæ Nobilitas
Vltrò uias omnes insedit,

parata. Iam Francofordiã, quæ supra Odram est, Legati
Cæsarei prætergressi erant, quum obsideri uias omnes
à Polonis, acceperunt: & quum duos menses frustra ex-
spectassent, ad Cæsarem reuersi sunt. nõ omisêre tamen
Poloni longiorem custodiam.

Et Legatos à Cæsare euntes arcet.

DE VVLADISLAO IN LITVANIAM arte Vitoudi euocato, Sbignei integritate inuicta, & Vitoudi morte. *Cap. VIII.*

QVum ergo Vitoudus, inuitis Vuladislao & Polo-
nis, uoti se compotem fieri posse desperaret, arte
sibi tentandum esse duxit, quod aperta ui peragere non
poterat. Sciebat, Vuladislaum nõ malum hominẽ haud
difficulter exorari à se posse, si eum in Lituaniam, cuius
uisendæ desiderio teneri eum nouerat, extraxisset: itaq;
misso ad Vuladislaum Legato, præterita excusat, iam se
omnem de Regno cogitationem deposuisse ostentat,
in Lituaniam Regem ad uenationem inuitat. Cupiebat
quidem Rex ire in Lituaniam: sed suspecta erat Proceri-
bus Vitoudi inuitatio: quare mittuntur cum Rege, cùm
alij Proceres quidam, tum Sbigneus Episcopus, cuius
neq; prudentia facilè circumscribi, neq; integritas cor-
rumpi possit. Non ignorabat hæc Vitoudus: ideoq; quũ
Regẽ & cæteros omnes, qui cum eo ueniebant, ab extre-
mis finibus Lituaniæ comiter & liberaliter acciperet,
unum Sbigneum negligebat. ubi uerò Vilnam peruen-
tum est, instabat Regi Vitoudus orãdo, ne sibi Regium
diadema inuideret. Negabat ille id sibi licere cõcedere,
Polonis reclamantibus: Sbigneum prehensandum esse,
& quoquo modo expugnandum. Quare allegat Vitou-
dus ad Sbigneum, qui eum orent suo nomine, & ingen-

Vitoudus,
Arte usus,
Euocatoq; in Lituaniam Rege,
Cui cum alijs adiunctus est Sbigneus,
Regnum pergit petere:
Et Sbignei

tibus promiſsis oneret, ne ſolus honori ſuo aduerſetur: quòd ſi pertinacior fieret, & manibus & pedibus adnixurum Vitoudum, ut de Epiſcopatu deijciatur. Immotus ad hæc Sbigneus, renũciari Vitoudo iuſsit: Digniſsimum ipſum ſibi uideri Regio diademate, & ſummis quibuſq; honoribus: uerùm ſaluis fœderibus & iuriſiurandi religione, aſſequi id eum non poſſe. ne erret: non honoris eius gratia id ei ſuadere Cæſarem & Crucigeros, deuotos & ſempiternos nõ magis Polonorũ quàm Lituanorum hoſtes: ſed, ut duos coniunctiſsimos populos diſiunctos commiſſosq; inter ſe, inteſtinis atq; ciuilibus propemodum bellis debilitent atq; deleant. Poneret ergo Vitoudus ſeniculus, capulo iam proximus, nullos habens liberos, modum inconſideratæ & intempeſtiuæ ambitioni. ſe quidem neq; precibus emolliri, neq; largitione corrumpi, neq; minis deterreri poſſe, quò minus in hoc cupiditati eius aduerſetur: pluris apud ſe eſſe fidem, uirtutem, & amorem Patriæ, quàm fauorem, gratiam, & omnes theſauros Vitoudi: paratum ſe eſſe, non honoris modò, uerùm etiam uitæ diſcrimen adire pro Patria, quæ tantam illam rem ſuæ fidei crediddiſſet: neq; falſurum eſſe unquam eius exſpectationem. Atque ita quidem Sbigneus, & multò plura in eam ſententiã, non ſine magna ipſius Vitoudi admiratione. Inualeſcebat interim Vitoudi morbus, quem paulo antè (ſiue ex angore animi, ſiue alia ex cauſa) cõtraxerat, ita ut ipſe, deſperatione uitæ ſuæ, cogitationem omnem de Regno abijceret. Rex ubi animaduertit, uiuere eum diutius nõ poſſe, Sbigneum & cæteros Polonos in Poloniã amandauit: quòd intelligebat, ijs præſentibus Suitrigellonem fratrem ſe Lituanis Ducem (quemadmodum deſtinabat) præficere non poſſe. Diſcedens autem Sbigneus, quum

Reſponſum prudentiſsimum, eiusq;

Conſtantiſsimam

Integritatẽ,

Admiratur.

Vitoudo lethaliter ægrotante,

Sbigneum cũ Proceribus Rex in Poloniam remittit:

Et Sbigneo

quum rogaretur ab Iuliana Vitoudi uxore, ut ſupellectilem ſuam gazamq; inde aſportaret, & (ſi quid humanitùs acciderit) ad Cultum Diuinum conuerteret, aſſenſus non eſt. Vitoudus uerò, quum ſe uiribus deſtitui ſentiret, ritu Chriſtiano Sacris procuratus, & uerè Chriſtianum ſe mori teſtatus, ueniam ſuperiorum admiſſorum à Vuladiſlao petiuit: nec multo pòſt apud Trocos ſpiritum exhalauit, quum aliquantò octogeſimum annum exceſsiſſet: Princeps impiger, & uegeto ingenio, abſtemius in omni uita, nihil præter aquam bibere ſolitus, in uictu temperans, temporis ita perparcus, ut ſupra menſam iudicaret, & reſponſa legatis daret.

uxoris Vitoudi gazã neglígente,

Vitoudus ritu Chriſtiano moritur,

Sanè ſingularis Princeps.

DE ARROGANTI SVITRIGELLONIS IN Lituania Principatu, Podolia callidè illi intercepta, & Rege ex Lituania magnanimiter liberato. Cap. IX.

POſt mortem Vitoudi, Lituani & Ruſſorum Proceres ſuſpenſi animis hærebant, quidnam ſecum fieret. Supererat Coributus, Vitoudi frater: ſed aberat, Boemorum furori Ducem ſe præbens. Rex uerò ad Suitrigellonem fratrem ſummam rei deferre uolebat. quod dum præſenſerunt Lituani, certatim ad eum omnes concurrere, ſtudiaq; ei ſua probare uelle offerebant. Venit deinde Vilnam ad exequias Vitoudi Suitrigello, ingenti hominum turba ſtipatus: elatusq; fauore hominum, Vilnenſem, Trocenſem, & alias quaſdam primarias arces, occupauit: & pro Duce ſe gerere, abſq; auctoritate Regis, cœpit: Regem cõtumelioſius tractare: Polonos, qui cum Rege erant, aſperius appellare: internuncios, qui à Rege in Poloniam, qui ue ex Polonia ad Regem mittebantur, excutere, epiſtolasq; refringere. Rex uerò plus

Coributo præterito, Suitrigello fit Dux Lituaniæ,

Superbus & elatus,

Regem et Polenos contemnẽs aſperiuſque tractans.

plus eius amentia atque temeritate, quàm suo periculo, commouebatur: &, quantum poterat, furorem eius lenitate & comitate sua mitigabat. Placatus is iam esse uidebatur, quum res noua oblata denuò furorem eius accendit. Podolij namque Primores, nimirũ Paulus Episcopus Camenecensis, uir humili quidē loco natus, uerùm generosi spiritus, cum alijs quibusdam, cognita celeriter Vitoudi morte, Doigertum Palatinum Vilnensem, qui Podoliam Vitoudi nomine administrabat, rerum omnium adhuc ignarum, euocatum ad colloquium ceperant: arcemque Cameneciam, Smotriciam, Scalam, & Ceruonigrodum occuparant, & omnem Podoliam facilè in potestatem suam redegerant, ut Regi eam & Polonis restituerent, ne deinceps in ditione Lituanorum ea esset. id ubi factum resciuit Suitrigello, homo uiolentus & impotens, fremere, & maledictis Polonos Regemque incessere, & palàm uincula aut necem præsentibus intentare cœpit. Non deerat Polonis, quãuis paucis, animus, non solùm ad defendendum sese atque Regem, uerùm etiam ad inuadendum & trucidandum Suitrigellonem: sed Rex, inconsultis omnibus, assensus est de Podolia recuperanda Suitrigelloni, recipienti unà cum Proceribus Lituanis, Regi se eam bona fide redditurũ esse, si de ea inter Polonos & Lituanos non conuenerit: eaque de re Zaclicam Tarlonem in Podoliam cum literis & mandatis misit, qui eam Michaeli Babæ Russo, Suitrigellonis nomine recipiendam & obtinendam traderet. Aegerrimè id ferebat iuuentus Polona, in comitatu Regis existens, & in primis duo iuuenes nobiles, Andreas Tencinius, & Nicolaus Dreuicius Custos Sendomiriensis, cui Rex annulum suum signatorium, Cancellario & Procancellario absentibus, credebat. itaque hi duo, ducti amore

Podolia uerò sibi prærepta

Furens ac fremens,

Donec Rex, Polonis suis magnanimis inconsultis,

Podoliam ei dari mandaret:

Id tamē Tencinius cum Dreuicio impediunt,

cti amore Patriæ, scripsēre Michaeli Bucacio, qui Cameneciam obtinebat: Regem, extrema necessitate adactũ, Podolia Suitrigelloni cedere: quare non modò non parēret mandatis Regijs, uerùm Zaclicam pariter & Babam comprehenderet. Eas literas, quoniam palàm ferri nequibant, Suitrigellone omnes excutiente, conuolutas ceraque contectas (ut speciem cerei præseferrent) Zaclicæ puero, omnium inscio, ita dederunt, ut is, quũ primùm Cameneciam uenisset, cereum illum Bucacio Præfecto redderet, atque hæc uerba adderet: ut, si errare ille nollet, ex eo cereo unà cum Magistratu urbano lumen quæreret. Bucacius itaque non de nihilo illa omnia esse suspicatus, refracta cera literas inuenit: Zaclicamque & Babam in custodia habuit. Dum hæc ita fiunt in Lituanis, cognouēre tandem Poloni, referente Ioanne Olesnicio Marsalco (qui mille ciclos argenti, & alia quædam munera, post reconciliationem à Suitrigellone Regi donate, in thesaurum Polonicum inferre iussus erat) quo in statu Regis sui res essent: quare de illo liberãdo, seclusa omni mora, agendum sibi esse existimarunt. Grassabatur quidem tunc dira pestis in omnem ferè Poloniam: sed nihilo tamen segnius, comitijs ad sextam diem Decembris Vartam indictis, frequentes conuenerunt. Re autem diligētius in Consilio agitata, expeditio in Lituaniam decreta fuit: edictumque, ut ad mediũ Ianuarij, apud Kianos pagum supra Veprum amnem, armati omnes præstò essent. tentari tamen prius animum Suitrigellonis per Legationem placuit: ad quam obeundam designati, Sbigneus Cracouiensis, & Ioãnes Vuladislauiensis, Episcopi: Sendiuoius Posnaniensis, & Ioãnes Lichinius Brestensis, Palatini. Suitrigello ut audiuit, quæ in Vartensibus comitijs acta ac decreta essent, liberum ac recon-

H

Literis prudenter cereo inuolutis.

Poloni causa tota ex Olesnicio cognita,

De Rege liberando pestis tempore,

In comitijs Vartensibus consultant: et Expeditione decreta,

Antequam Legati in Lituaniam uenerunt,

Rex liber dimissus.

reconciliatum ſibi Regem dimiſit: quare & Legati domos reuertêre. Eiuſdem autē Vartenſis Conuentus decreto, cura Regiorū liberorū educandorū ac inſtituendorum Magiſtro Vincentio Cotho Dembenio Cuſtodi Gneſnenſi, & Petro Ritercio Equiti, mandata eſt.

Regiorum liberorum curatores.

DE PODOLIA À SVITRIGELLONE uexata, Coributo cum Boemis hæreticis, & Monaſterio Ceſtochouienſi direpto.

Caput X.

POſt inſequentis anni principium, Rex è Lituania reuerſus Sendomiriæ comitia habuit: ibi affertur, Suitrigellonem caſtella quædam in Podolia intercepiſſe, Smotricium circumſeſſum, Trebouulienſem & Leopolienſem oram excurſionibus & populationibus diuexari. quare bellum aduerſus Suitrigellonem efflagitabant Poloni: ſed peruicit Rex, ut Legatio prius ad eum de repetendis rebus mitteretur. Miſsi itaque Stanislaus Poſnanienſis, & Ioannes Chelmenſis, Epiſcopi: Sendiuoius Poſnanienſis, & Ioannes Lichinius Breſtenſis, Palatini, cum his mandatis: ut Suitrigello caſtella, quæ in Podolia recepiſſet, redderet: Luſco & Volinia decederet: ad Regem ad certam diem ueniret: ab eoq; Principatum Lituaniæ certis legibus acciperet, quem contra fœdera perperàm inuaſiſſet. Ferocius his reſponſum eſt à Suitrigellone. Nihil enim eorū quę poſtulabātur, faciebat: & aſſeuerabat, ſe quidquid egiſſet, rectè egiſſe & agere: quin etiam reliquā Podoliam à Rege repetebat. Interea dum hæc fiunt, uenit ad Regē Coributus frater Vitoudi, cum cęteris Boemorū hęreticorū ducibus, qui poſt mortē Ziſcæ cæci Orphanos ſeſe dixêre: qui, quum Luſaciam diuexaſſent, Sileſiam quoq; longè lateq; hoſtiliter uaſtabant: in tēpla atq; monaſteria, in ſacerdotes atq;

Suitrigellone inuadēte Podoliam.

Legati ad eum miſsi

Nihil effecerunt.

Cum Coributo, & cæteris hæreticorum poſt Ziſcā ducibus,

atq; monachos, Barbarico furore debacchabātur. Ziſcę autem Ducis ſui immanitatē ſequebantur: qui, quaſi uiuens parū inſaniſſet, moriens cutem ſibi detrahi, eamq; tympano induci iuſsit: fore pollicēs, ut ad eius tympani ſonum animis conciderent ipſorum aduerſarij. Cum his itaq; ſe coniunxerat Coributus. Actum cū his de Religione: adhibiti Doctores Cracouiēſis Academię, qui errores ipſorū diſputando refellerēt. Rex ipſe ſimpliciore oratione uſus, quanta rerū perturbatio ſecuta apud eos ex mutata & perturbata Religione, cōmemorauit: utq; florentiſsimū quondam Boemorū Regnum ad interitū properaret, ſublatis Magiſtratibus ſacris atq; profanis, direptis ac dirutis tēplis, abrogatis ſanctiſsimis cerimonijs, ſacroſancta Religione cōtaminata, ac tā uarijs portentoſisq; & abominādis opinionibus diſcerpta. hæc & alia grauiſsimè pręfatus: ſurdis tamē auribus Boemi hęc accepêre. Neq; enim facile eſt, cum impetu ſemel in pręceps ruentes in uiam reuocare. Quoad autē ij ſubſtitêre Cracouię, ceſſatū eſt à Sacris, interdicto Sbignei Epiſcopi: itaq;, propter ſolēnes Paſchę dies, Cazimiriā Boemi cum Coributo à Rege eiecti ſunt, frementes in Epiſcopum. Hoc eodem tempore Ceſtochouienſe monaſterium (quod, propter peculiarem Virginis Matris cultum, & frequentiſsimas non modò Polonorū, ſed etiam uicinorum peregrinationes, magnis diuitijs refertum eſſe credebatur) Poloni quidam, qui iam à Boemis latrocinari didicerant, diripuêre: atque, ut patrati ſceleris ſuſpicionem à ſe in hæreticos Boemos auerterent, imagini Virginis Matris uulnus inflixêre: ſed minorem opinione prædam reperêre, meritasq; ſacrilegij pœnas intra illum ipſum annum expendêre.

De Religione actum

Fruſtra.

Iiq; interdicto ſubiecti, In Sbigneum fremunt.

Monaſteriū Ceſtochouiēſe Direptum.

DE BELLO CVM SVITRIGELLONE GESTO, Regisq; donationibus à Sbigneo Episcopo reprehensis. Cap. XI.

Suitrigello, Legatum insuper Regiũ uiolans,

DImissis Boemis cum Coributo, bellum Rex cum Suitrigellone gessit, necquidquam Rege eum ad meliorem mentem reuocante: quum is etiam Legatum Regium, Ioannem Brezium, contra Ius Gentium uiolauit. Certatum est leuibus aliquot prælijs cum hoste: in quibus omnibus nostri, uel nullo, uel paruo incõmodo accepto, superiores erant. Suitrigello itaque, ubi se imparem Regis exercitui uidisset, fugã inijt. Ducem suum secutæ copiæ, diuersè & ipsę dilapsę sunt: sed multi mortales ex his in fuga à Polonis cæsi captiq;. Rathnum interim arx Regia, prodentibus eam Russis defensoribus, à Suitrigellone capta & exusta est, Chelmensisq; ora di uexata: sed eos Ciolcus, Præfecti Chelmensis Vicarius siue Burgrabius (ut uocant) cum centum triginta non amplius hominibus, facto in securos animosè impetu, ultus est, ita ut trecentos ex ijs interficeret, quadraginta uiuos caperet. Per hæc tempora quoq;, in gratiam Suitrigellonis, Valachi clientes Polonorum Podoliam & Russiam finitimam infestarunt: quos, ingenti præda è Snatinẽsi, Haliciensi, & Camenecensi agro capta reuertentes, Russi Regij, Buczacijs fratrib. ducibus, è castris Regijs curriculo profecti & consecuti, magna strage fuderunt, prædamq; excusserunt. Leopolim deinde Rex profectus est: quò quum ingens Cuiauiensium ac Dobrinensium Equitum multitudo conflueret, opem & subsidium Regis, afflictis & perditis Cruciferico bello rebus suis atq; suorum implorans, magna in cunctos ac profusa liberalitate usus est: quumq; immensis donationibus sese & ærariũ suum exhausisset, Ecclesiastica illis bona

Victus

Fugit:&

Rathno capto, atq; ora Chelmensi di uexata,

Ciolcus cum paucis multos uincit.

Valachis Podoliã & Russiam infestantibus

Præda excutitur.

Leopoli Rex,

Post profusam liberalitatem, ad Ecclesiastica bona se conuertit:&

bona dilargiri cœpit, ut per hyemem duntaxat eorum usufructu sustentarentur. Perniciosi exempli ea res uisa Antistitibus. Et Archiepiscopus quidẽ submissius frustra orabat Regẽ: Sbigneus uerò, maioris animi & constantiæ uir, grauius in eum inuectus est, cùm præterita eius peccata cõmemorans, tum iniustas illas alienorum bonorum donationes reprehendens, & ni cœpto desisteret, grauiore se in eum censura & animaduersione usurum esse minitans: excusantiq; Regi necessitatem, & piam calamitosorum hominum commiserationem, adiecit: Nihil ea commiseratione & misericordia opus futurum fuisse, nisi ipse calamitatem illam tam multis inuexisset. Non enim esse ipsum culpæ expertẽ, propterea quòd iustum aduersus sceleratum fratrem bellum, quod paruo negotio debellari potuerat, peruersa quadam sua indulgentia duxisset. Ita tunc Sbigneus (quanquam nihil cuiquam Rex in eius diœcesi donarat) nõ tam suam, quàm publicam Ecclesiastici ordinis causam agens.

A Sbigneo reprehẽditur

Grauissimè

Causam Ecclesiæ agente.

DE VVLADISLAO FILIO REGE DESIgnato, & Sbigneo Regi se propter Boemos hæreticos opponente. Caput XII.

In comitijs Siradiensib.

PORrò Rex, de statu Reip. ac de impendentibus undiq; periculis anxius, ad XXIII diem Aprilis Siradiæ Comitia habuit: ibi Vuladislaus, maior natu Regis filius, Regni successor à patre designatus, totiusq; Conuentus suffragijs approbatus est. Reuertentem in minorem Poloniam Legati Boemorum hæreticorum conuenerunt, auxilia contra Crucigeros pollicentes, & Coributo Regem reconciliantes. Grata fuit ea Legatio Regi & Proceribus, bellum in Crucigeros moliẽtibus: quare comiter & lautè Legati habiti sunt: & assentienti-

Vuladislaus successor Regni designatus.

Boemorum hæreticorum Legatos, à Rege & Proceribus lautè habitos,&

 bus

Ad sacra admissos, bus Archiepiscopo & Episcopis, qui tunc aderãt, ad Sacrorum communionem admissi. Perfuncti Legatione, quum reuerterentur, & Cracouiam contra præceptum Regis diuertissent, cessatum est à Sacris, mandato Episcopi, licet absentis. Contumeliosum id uisum Boemis, *Sbigneus à sacris arcet, &* Regi uerò & cæteris Episcopis permolestũ fuit, quod Sbigneus unus omniũ acta & decreta irrita faceret. *Indignanti cum plerisq; Regi* Accendebant etiã magis iram Regis, Ioannes Mezicus, Dambrouius Palatinus Russiæ, & Petrus Corsbocus: qui Boemos, honoris causa, iussu Regis deduxerant. itaque excanduit is in Episcopum, & uenienti ad se Visliciam dextram, beneuolentiæ symbolum, non porrexit: quin asperioribus etiam eum uerbis increpuit, & ne Episcopatu amoueatur comminatus est. At ille imperterritus respondit: *Liberè & grauiter suo more respondit, atq;* Fauorem se, non offensam Regis meritum, arbitrari, quòd solus & salutis & existimationis eius curam haberet, prouideretq; omni ratione, ne Rex meritò
» pro fautore hæreticorum traducatur: & quum de Reli-
» gione agitur, neq; Regis, neq; cuiusquam omnino uul-
» tum atq; minas se formidare, quin id faciat, quod rectũ
» esse intelligat: auctoritate Archiepiscopi ac cæterorum Episcoporum nihil se hac in parte moueri, habẽtem adstipulatores Diuini humaniq; Iuris professores: Episcopatus amissione se non terreri, paratum pro Religione exiliũ etiam atq; mortem subire. Quum autem Rex subijceret, se quoque Diuini & humani Iuris peritos diuersæ sentẽtiæ auctores habere: acciti Primores Academiæ Cracouiẽsis, *Refutat,* & cum his commissi Ioannes Saffranecius Vuladislauiensis, Ioannes Theologus Chelmensis Episcopi, & Vuladislaus Oporouius Pontificij Iuris peritus Procancellarius Regis (qui postea Vuladislauiensis Episcopus fuit) haud difficulter refutati sunt: neç tamen ira

ira Regis in Sbigneum resedit: admonitusq; is à Ioanne Tarnouio, Palatino Cracouiensi, ut sibi diligenter caueret: subornatos enim esse à Rege, qui eum de medio tollerent. Et egit quidem gratias Palatino Sbigneus: sed tamẽ nihil ea nocte, in quam sibi periculum comparatum esse acceperat, de consuetudine sua remisit. *Contra mortem intrepidus, &* in eodem cubiculo, eodem lecto cubuit: nullam sibi custodiam adhibuit: nocteq; intempesta, cum uno sacerdote & puero lumen præferente, ad matutinas precationes templum adijt: neq; aduersi quidquam ei accidit: nec multo pòst sacerdotem hæreticum, qui ad Regem uenerat, idem Sbigneus eiecit, *Sacerdotem hæreticum à Rege eijciens.* uir excelsi animi, & sempiterna posteritatis memoria dignissimus.

DE CYPRIORVM REGIS LEGATIONE ad Vuladislaum, & Sigismundo Lituaniæ Principe. Caput XIII.

VEnit autem eodem ad Regem illustris Legatio Iani, Cypriorum & Hierosolymorum & Armeniorum Regis: *Legatus Cypriorum Regis,* eius Legationis princeps Balduinus de Noris Marsalcus Cypri, donis Regi & Reginæ oblatis, connubium Heduigis Regiæ filiæ Regis sui filio, *Quod petinerat,* ac ducenta millia aureorum numûm ab ipso Rege mutua petebat, bassemq;, hoc est, duas tertias partes Cypriorũ Regni, hypothecæ nomine offerebat: sed nihil impetratũ, *Non impetrauit.* quòd & Heduigis iam obierat, & pecuniam Rex se habere, assiduis bellis exhaustus, negauit. Postea Sigismũdus Vitoudi frater, *Sigismundus Vitoudi frater,* Starodubẽsium Dux, Rege consentiente, Suitrigellone eiecto, Lituaniam omnem in potestatem suam redegit: & ad Regem Oratores misit, iuberet se Principem esse Lituanię. Missi ergo in Lituaniam septem de Primoribus Polonorum, conditiones Sigis- *Susceptis conditionibus,*

 mundo

mundo tulerunt: ut iureiurando interposito reciperet, se in fide & clientela Regis & Polonorum semper futurum: eosdem amicos hostesq; habiturum: Olescū, Grodlum, Rathnum, Lopatinum, & omnem Podoliam, in ditione Polonorum esse passurum: neminem, nisi Regem & liberos eius, in Principatu successorem relicturum: Voliniam, quoad uiueret sibi concessam & adiunctam, quemadmodum & Vitoudo concessa fuerat, se mortuo in ius ac ditionem Polonorum reuersuram esse. Hæc igitur Sigismundi & ipsius filij Michaelis, Senatusq; Lituanici & uniuersæ Nobilitatis consensu approbata, atque monumentis literarum consignata sunt: ijsq; ritè peractis, Sbigneus Episcopus, princeps Legationis Regiæ, gladium, Principatus insigne, Sigismundo Regis nomine publicè tradidit. qui quidem Principatu potitus, apud Osmianos Suitrigellonis exercitum, è Rußis, Tartaris & Liuoniēsibus collectum, fudit: de quo ad decem millia cæsa, quatuor capta sunt: Sigismundus autem monimētum uictoriæ, templum & collegium sacerdotum apud Osmianos instituit. Præcesserat autem hanc insignis etiam alia de Rußis uictoria. Nam Theodoretus siue Fetco Ostrorogius, Dux Russorum, partium Suitrigellonis, uir strenuus & bellicosus, longè maiorē nostris habens exercitum, nusquam aperto Marte cum nostris in Podoliæ munitionibus occupatis rem gerebat: sed rei bene gerendæ occasionem nactus, quum iam nostri ex Podolia reuerterentur, & Moraquam limosum & latè restagnantem amnem angusto tramite transirēt, subitò magno cum impetu, clamore, ac dissono tubarū tympanorumq; strepitu, nec opinantes nostros adoritur: quum tamen deploratę penè rei nostrorū Diuinum adfuisset auxilium, cæsi sunt hostes, & ad mediam ferè noctem

Princeps fit Lituaniæ: &

Suitrigellone uicto,

Ecclesiam collegiatam construit.

Et Fetco Dux Russorum,

Arte nostros circumuenire uolens,

Diuino uincitur auxilio:

noctem (quæ tunc sublustris erat) fugati. Magna in hoste strages edita, & duodecim signa capta sunt. Abest autem locus ille prælij à Leopoli, non minus quadraginta milliaribus bene longis: & tamen, quo die hæc gesta sunt (hoc est, ultimo Nouembris) quum Rex in templo (ubi tunc totos dies transigebat) Diuinam opem sedulus imploraret (non ignarus, cum quàm grauibus & insidiosis hostibus exercitui suo res esset) rumor de uictoria sparsus totam urbem impleuit: nec auctor eius rumoris inueniri potuit, ita ut uana exultasse lætitia homines uiderentur. Sed quum postero die res omnis cognita esset, gratijs Deo actis Rex lætus Cracouiam uenit: & ouans pedibus urbem ingressus, apud complura templa festas supplicationes obiuit, priusquam arcem ascenderet.

Victoriaq; publicata mirabiliter,

Rex post orationem

Agit Deo gratias.

DE CRVCIGERORVM DITIONE CVM auxilio Boemorum uastata, honoreq; matronis & puellis habito. Caput XIIII.

COmitia demum ad diem S. Ioannis Baptistæ indicta: & Boemorum auxilijs utendum esse (quamuis refragantibus Episcopis) contra Crucigeros, decretum sancitumq; est, & ut Rex in Polonia subsisteret: exercitui uerò uniuerso & summæ rerum præfectus est Nicolaus Michalouius, gente Roseus, Castellanus & Præfectus Cracouiensis. Huic itaq; Rex dedit in mandatis, ut hostiles regiones longè latèq; uastaret, munitionum uerò oppugnationibus abstineret: sed non diu mandatorum Regiorum memor Michalouius, facilè sibi persuaderi ab Ostrorogo passus est, ut Choiniciam obsideret. Erat oppidum bene munitum, commeatu, præsidio, & omni apparatu belli instructißimum: tētatis tamen cuniculis

Boemorum auxilijs cōtra Crucigeros admissis,

Michalouio exercitus Præfecto

Rex mādat, ab obsidionibus abstinere

Frustraq; it obsidens Choiniciam,

niculis atque ui, quum eis nō procederet, serò Regiorum mandatorum recordatus, quum totos duos menses in obsidione Choiniciæ casso labore consumpsisset, ea soluta, castra mouerunt, & in interiora Pomeraniæ populabundi progreßi sunt. Matronis & puellis iustus honor habitus est; adhibitaque publicè custodia, ne quid contumeliosè in eas fieret, aut ne qua priuatim à quopiam occuleretur: omnes autem ad Vistulam deductæ, traiectæque nauibus, liberæ dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit nostris apud ipsos etiam hostes: omnes eis omnia bona precari: suis uerò, qui longè fuissent in populanda Polonia dißimiles, mala imprecari. Peruastata autem satis, etiam ad mare, Pomerania, mirum est, tum demum Crucigeros de pace & inducijs quàm diligentißimè egisse, quum soli quatuordecim pagi inter lacus & paludes, intacti à nostris relinquerentur. Peractis igitur inducijs, exercitus omnis accepta à Michalouio mißione, suam quisque domum dilapsus est: sed Boemorum Primores Pysdros ad Regem (ut erat ab eo præceptū) profecti, honorificè ab eo accepti & remunerati sunt. Neque uerò labis quidquam nostri tunc ex eorum consuetudine contraxere; quin odisse magis eorum fœditatem & impietatem cognitam cœpere.

Et ad populandum omnia reuersus, Matronis & puellis iustum honorem habet: Datisque inducijs, Exercitum dimittit, Boemis à Rege remuneratis, Sine labe nostrorum.

DE MORTE REGIS AB ASTROLOGO per Boemum sacerdotem prædicta, & Stephano atque Helia Palatini Valachiæ filijs.

Caput XV.

Boemis dimißis, Rex in Sendomiriensem tractum se recepit, declinans pestem, quæ Maiorem Poloniam inuaserat. qua quidem Ioannes Safranecius Episcopus Vuladislauiensis absumptus, Vuladislaum Oporouium Procancellarium Regni successorem accepit.

Pestem Rex declinat, Qua Episcopus Vuladisl. absumptus est.

Tum autem Prisouiæ uenit ad Regem quispiam Boemus sacerdos hæreticus, à Christiano Astrologo nuncians, ut mortem, sibi propè imminentem, caueret. Id quum ille semotis arbitris ageret, Sbigneus Episcopus Cracouiensis (ueritus, ne quid de Religione hæreticus ille Regi suaderet) grauiter obiurgauit Regem, quòd neminem Consiliarium ad audientiam Boemi adhibuisset. Et satisfecit quidem Rex Sbigneo: sed tamen coactus est eum Rex primo quoque tempore, instante Sbigneo, dimittere. Non multo autem pòst, Cometes non obscurus, plus quàm unum mensem pernox, Regiæ mortis (ut tum creditum uulgò est, postea euentus comprobauit) prænuncius apparuit. Nepolomiciæ iam Rex erat, quò Comitia, ad diem D. Martini Episcopi memoriæ dicatum, indixerat: eò uenit Helias, Alexandri Palatini Valachiæ defuncti filius, à minore fratre Stephano Dominatu eiectus, Regis opem implorans, & in fide clientelaque Regis ac Polonorum se fore semper solenni iureiurando recipiens: consecuta est eum & Stephani fratris Legatio, Lenciciam usque Regem sequens, & postulans, ut ipsi magis, quàm fratri omnibus inuiso, Rex faueret: fore & ipsum perpetuò in fide & clientela Polonorum. Habebat quidem Helias in matrimonio sororem germanam Sophiæ Reginæ: sed tamen, re in consultationem posita, placuit, ut Stephanus, in quem studia gentis inclinassent, dato iureiurando in uerba Regis & Regni Polonici, retineret Valachiam: tractumque Sepinensem, cum Chocimo, Cecuno, & Chmelouia, munitionibus, à Rege Iure sempiterno reciperet. Heliæ uerò, quò magis Stephanus eius metu in officio contineretur, luculentæ poßeßiones à Rege in Polonia datæ sunt. Stephanus, sicut con-

Sacerdos Boemus Regi Mortem prænuncians, Sbigneo instante Statim dimittitur & Cometes apparet. Helia à fratre Stephano Palatinatu Valachiæ eiecto, Stephanoque in clientelam suscepto, Heliæ uerò poßeßionibus in Polonia datis,

uenerat, Socauiæ solenne iusiurandum Legatis dedit: &(ut gratiam referret Regi) non ita multo pòst Tartaros, ditiones Polonicas inuadentes, repressit: Bratislauiamq́; quæ Suitrigellonis præsidio tenebatur, interceptam Regi restituit.

Stephanus de Rege bene meretur.

DE LEGATIS AD CONCILIVM BASIliense, & peccatis Regijs à Sbigneo reprehensis. Caput XVI.

An.1434. *In Comitijs Corcinẽsibus ad Concilium Basil. designãtur Legati:*

ANno demum 1434, in noua ciuitate Corcinum dicta, Rex tempore quadragenarij ieiunij Comitia habuit: in quibus Legati ad Concilium Basiliense designati sunt, ad obtrectationes Sigismundi Imperatoris & Crucigerorum refellendas. Fuerunt autem principes eius Legationis, Sbigneus Cracouiensis, Stanislaus Posnaniensis, Episcopi: Ioannes Conespolius Cancellarius Regni, & Nicolaus Lassocius Decanus Cracouiensis. Non putauit autem Sbigneus sibi prætermittendam occasionem castigandi Regis, priusquam pergere proficisceretur. Verebatur enim, ut eum reuertens è Concilio superstitem reperiat: quippe qui tam grandis natu esset, & profligatis iam uiribus. Itaque in illo ipso consessu, grauissimis id uerbis egit: Multas in eo, dignas bono Principe, uirtutes elucere: sed nõ carere eum uitijs, quibus uirtutes illæ obscurarentur: qualia sunt, quòd ipso uel iubente uel permittente, multis per iniuriam, aut summo Iure & nimis exacta & acerba interpretatione Iuris, bona adimantur: quòd calamitosorum causæ non audiantur, neq; decidantur: monetæ cudendæ potestatem fœminis eum fecisse, eam uerò perperuem cudi cum magno Reipub. detrimento: superstitiones quasdam, ex prisco dæmonũ cultu, retinuisse. egisse se his

Vnusq; ex eis Sbigneus,

Salutis Regis animæ studiosus,

Peccata Regis arguit more suo,

se his de rebus plerisq; omnibus, primùm semotis arbitris, deinde paucos etiã arbitros adhibuisse: uerũ, quando nihil profecisset, in amplissimi Consilij cõsessu id sibi facere necesse fuisse, ut quem Dei timor in officio nõ contineret, pudor hominum duntaxat emendaret. licere quidem sibi, nõn minus quàm alijs, dissimulando uel etiam assentando gratiam aucupari: sed memorẽ se esse officij sui, & nullo neq; metu, neq; gratia, deserturũ esse stationem, in qua se Deus & Rex ipse & Senatorem & Episcopum constituisset. pluris se facere incolumitatem Patriæ, quàm omnia quæ uulgò concupiscantur: &, pro magnis in se Regijs beneficijs antiquiorẽ sibi esse eius salutem, quàm præsentem & assentando quæsitam gratiam: quæ tamẽ stabilis & certa esse non soleat. Non potiam: quæ tamẽ stabilis & certa esse non soleat. Non potuit se diutius Rex tenere, quin sermonem eius interrumperet. itaq; fremens atq; lachrymans respondit: Intemperanter eum & arroganter facere, qui, cunctis alijs Senatoribus cum Archiepiscopo Primate tacentibus, unus tam acerbè in se inuehatur. Ibi ergo assurgens cunctus Senatus, eandem omnium esse sententiam, & illam Cracouiensis Episcopi orationem suam esse, professus est. quo audito, Rex accensus magis è Cõsilio sese proripuit, multa Sbigneo minitans: uerùm citò ad se reuersus, impensius Sbigneum postea coluit, & corrigere ea quæ ille reprehenderat, studuit. Albertus uerò Archiepiscopus etiam gratias egit Sbigneo, quòd maiore fiducia, quemadmodum diui Stanislai successore dignum erat, Regis peccata corrigere aggressus esset.

Rege post grauem indignationem

Citò ad se reuerso, &

Archiepiscopo agente gratias.

DE REGIS MORTE ET MOribus. Cap. XVII.

Regis ad mortem præparatio, VBi autem Rex uitæ ſuæ finem adeſſe ſenſit, ſacris myſterijs procurari ſe iuſsit: offenſas omnes remiſit, ſibiq́ue uicisſim ab omnibus remitti petiuit: teſtamentum condidit: ſi quid cuiquam per iniuriam abſtuliſſet, reddi iuſsit: *Sbignei amor,&* Sbigneo Epiſcopo annulum nuptialem ab Heduigi Regina, quo nihil charius in omni uita ſua habuerat, dono miſit, ueniam ſuperiorũ omnium admiſſorum ab eo petens, & animam ſuam liberosq́ue ſuperſtites ei commendans. *Mors,&* Deinde pridie Calendas Iunias animam exhalauit, quum regnaſſet annos duodequinquaginta, & tres ferè menſes. *Mores.* Tanta autem fuit liberalitate, ut nõ modò fiſcum exhauriret, ſed interdum ſingulis hominibus territoria donaret. quam quidẽ ob cauſam Martinus quintus Pontifex Max. prodigalitatem eius inhibens, quodam tempore dederat ad Archiepiſcopum Leopolienſem mandatũ, ut donationes eius reſcinderet. *Epiſcopa Chelmenſis et Kiouienſis.* Baſilicas Chelmenſem atque Kiouienſem in Ruſsia inſtituit, & Epiſcopis attribuit: *Mores iterũ, &* in peregrinos hoſpitalis & munificus. Nullum, quamuis exiguum, munus aſpernabatur: nec eos qui donarunt, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à ſe, ferè dimidium eius quod petebant largiebatur: offenſarum immemor: ad ſupplicia de ſontibus ſumenda lentus: Cultui Diuino apprimè deditus. Ieiuniorum diebus pane & aqua ferè utebatur: abſtemius in omni uita ſua, nec, niſi aquæ potu, uſus. Cæterùm cibi appetentiſsimus fuit, itemq́ue balnei, cultu corporis neglecto: neque alijs, quàm agnellinis pellibus & laneis ferè ueſtibus, uſus. A' malis ita abhorruit, ut ne odorem quidem eorũ ferret. *Funus,&* Corpus eius magna pompa Cracouiam delatum, & intra menſem in baſilica

baſilica Cracouienſi, magno Procerũ atq́ue Nobilitatis concurſu, funus celebratũ eſt. Extat eius ſepulchrum in *Sepulchrum.* media ferè baſilica ad dextrum latus, à Sigiſmundo Rege nepote eius paulò ante noſtram memoriã magnificè inſtauratum. Ac de Iagellone quidẽ hactenus: deinceps de Vuladislao eius filio proſequemur.

LIBER XVI.

DE VVLADISLAO TERTIO Rege. Caput I.

IAm Sbigneus cæteriq́ue Legati, ad Concilium miſsi, Poſnaniam peruenerant, quum *Legatis ex Cõcilio reuerſis,* de morte Regis nunciatum eſſet: itaq́ue conueniunt frequentes Proceres Poſnaniam, *Poſnaniæ ad Vuladislaum filium Regnũ defertur,* Nobilitasq́ue Maioris Poloniæ, atq́ue ex Conſilij ſententia Vuladislao natu maiori defuncti Regis filio Regnum deferunt: & ad Sigiſmundum, Magnum *Re ſignificata Sigiſmũdo Duci Lituaniæ:* Ducem Lituanorum, Oratores mittunt, ut ad inaugurandum ſolenni ritu Regem, ad tertium Calendas Iulij uel ipſe adſit, uel Legatos mittat. Moleſtè hoc Maiorũ Polonorũ præiudiciũ Minores Poloni tulere: ſed tamen *Idemq́; Poloni minores,* quia Sbigneus Epiſcopus Cracouienſis, homo ſuarum *Propter Sbigneũ ibi præſentem, approbant:* partium, auctor eius fuerat, & quòd ex Republica maximè eſſe uidebatur, ne qua diſſenſio fieret, in eandem & ipſi ſententiã Decretum fecerunt: dies modò, ad octauum Calendas Auguſti, prorogata eſt. Erant tunc in Equeſtri ordine duo Nobiles factioſi ac turbulẽti, Spitco Melſtinius ac Derslaus Rituanius: *Spitco tamen Melſtinius & Derslaus Rituanius,* qui quum res nouare cuperent, & uterq́ue magnas poſt ſe iuuentutis cateruas traheret, Opatoui ad tertium Idus Iulias, communicato

Conuenticulo Opatouii instituto, id infectum esse studeut:

cato cum suis consilio, Conuenticulũ instituere. ibi una
erat omnium sentẽtia, Male tantũ Regnum puero com
mitti, cuius ætate & Regina mater superba mulier, & Pri
mores, ad Dominatum abusuri essent. Confirmabat au
tem id in primis Gouorcus Chrobranius, homo senex,
multa ex ueteri memoria ad rem facientia cõmemorãs.

Sed repressus est conatus eorum à Sbigneo &

Quod quum percrebuisset, impetrauit à Sbigneo Cra-
couiensi Episcopo Sophia Regina, non ignara consilio
rum Spitconis atq; Derslai, ut ipse Opatouiam profi-
sciceretur, turbulentaq; iuuenũ consilia dissiparet. Nõ
fuit gratus aduentus eius illis, qui illuc conuenerant: sed
tamen ipse, multa patientia usus, graui & prudenti ora-
tione plurimis persuasit, ut abiecto nouandarum rerum
studio, decreto Brestensium Comitiorum starent: quo
cautum est, ut Vuladislaus, defuncti Regis filius, Rex
post mortem patris designaretur. Ita Conuentus ille re
infecta, necquicquam frementibus seditionis auctori-
bus, solutus est: nec tamen ij quieuerũt, nacti plures sen
tentiæ suæ adstipulatores. Nam quum undiq; frequen-
tes Proceres ac Equites Cracouiam ad præstitutã diem
conuenissent, iniectus est ab istis scrupulus, nouum &
insitatum esse impuberi Diadema imponi, à quo non

Ante coronationem, &

rectè iusiurandum dari potest: uerùm hic quoque scru-
pulus à maioribus natu exemptus est, producto à Sbi-
gneo codice è basilica Cracouiensi, in quo effigies Ca-
zimiri Magni Regis, dum coronaretur, impubes depi-
cta erat. De iureiurando autem Regis, reiecta res ad pu-
bertatem eius: interim autem placuit, ut Sophia mater,
& Primores, sacri pariter & profani Ordinis, pro eo fi-
deiuberent: nec eum prius ad gubernacula Regni admit
terent, quàm iusiurandum ritè præstitisset. Conquieturi

In coronatione ipsa.

iam turbatores illi uidebantur, quum in ipso corona-
tionis

tionis articulo nouas conciuerunt turbas, uociferantes,
ne sibi inuitis, paucorum conspiratione, Rex imponere
tur: eo'que ipso tempus altercando extrahere uolebant.
quod ubi animaduersum est à Primoribus, Ioannes O-
lesnicius, cognomento Glouacius, Marsalcus, è Senatus
consulto pronunciauit ad Nobilitatem: ut, quibus pla-
ceret Vuladislaum coronari, in dextram descenderent:
qui aliter sentirent, in læuam. Id autem postquã factum
est, una uoce omnes Vuladislaum Regem esse iusserũt.

Coronatio Vuladislai, et

Nec mora, coronatio Regis in basilica ritu solenni per-
acta est, Sole ad uesperum declinãte. Postridie in urbem
descensum, ad recipiendum ab oppidanis & plebe iusiu
randum. nec tamen ascendit tunc Rex in præparatũ sibi

Contentio de loco.

in foro solium, contentione orta inter Episcopos & Du
ces Masouiorum, quòd proximum Regi locum sibi u-
trique uendicarent.

DE RATIONE ADMINISTRANDAE REIpublicæ, & exæquata Nobilitate Russica ac Podolica cum Polonica. Cap. II.

Rege Vuladislao impubere,

SVbsequentibus deinde diebus consultatũ est à Pro-
ceribus de ratione administrandæ Reipub. tandem

Prouisores cõstituti cum

placuit, in singulis tractibus singulos constitui Prouiso
res, in Cracouiensi uerò, propter monetariã officinam,
duo ex ijs qui summis in Repub. honorib. fungerentur,
qui Questores Regiorum redituum essent, & intra suos
quisq; fines negotia publica Regio nomine administra-
ret: sed ne quid tamen noui in Repub. nisi ex amplissi-

Salario.

mi Consilij Decreto, statuerent. his quinquagenæ mar-
cæ annuæ in sumptus constitutæ. Ibi etiam Russica &

Nobilitas Russica & Podolica cũ Polonica exæquata.

Podolica Nobilitas cum Polonica omni Iure exæquata
est à nouo Rege, non sine multorum murmure: uerùm
illud maximè permouit Regem, quòd à patre suo illam

K exequa-

Difficultates Reipub. exæquationem promissam eis cõstabat. Incessit deinde cura Consiliarijs cõstituendæ Reipub. atq; pacis: multę undiq; difficultates impendebãt, cum Crucigeris, cum Sigismundo Imperatore, cum Suitrigellone: nec domi quietæ res erãt, nouatoribus illis Nobilitatem aduersus Ecclesiasticum Ordinem, ob repressos conatus suos, concitantibus: sed pedetentim turba illa omnis cõquieuit, compluribus ex ijs, qui signiferi erant illarum turbarum, iusto Dei iudicio intra breue tempus extinctis, cæteris Religione & metu interdicti Ecclesiastici perculsis. Hæc autem circa annum 1435 acciderunt. *An. 1435.*

DE SVITRIGELLONE ET CRVCIGERIS Liuonienſibus profligatis, paceq; cum Vngaris atq; inter Heliam & Stephanum Valachos facta. Cap. III.

Helias motus ciet in Valachia. PEr hoc tempus Helias Valachus è custodia euasit, & miscere Valachiã ciuili bello adortus est. In Autumno uerò eiusdem anni, Suitrigellonis exercitus cum auxiliaribus Crucigeris Liuoniensibus insigni strage à Polonis, Duce Iacobo Cobilanio, in auxiliũ Sigismũdo Duci à Rege misso, ad Vilcomiriã profligatus est: multi mortales capti, multi cæsi: ibi'que robur omne Liuoniensium, cum Magistro & Marsalco, concidit (quò minus postea negotij fuit cum Crucigeris in conficienda pace perpetua, quum ij, fracti animis, duriores etiã conditiones acciperet.) Ex eo itaq; tempore, Smolenscum, Orsa, Polocum, Vitepstum, & Russia ferè omnis, uicto ris fidem secuta est. Insequenti anno ad Pentecosten, Proceres Polonorum & Vngarorũ apud Kesmarcum conuenerunt: sublatisq; dissidiorum causis, pacem inter Reges suos fecerunt: qua confecta, misit Vuladislaus Rex Legationem ad Imperatorem, cõiugium neptium eius

Suitrigello cũ Crucigeris

Profligatus grauiter, &

Smolẽscũ, etc. nostra fiunt.

Pax inter Polonos & Vngaros facta: &

Post neptes petitas

eius sibi fratriq; suo postulãs. nec ille abnuit: sed in aliud tempus, quo esset bellicis curis solutior, eam rem reiecit: interim uerò mortuus est. Inter dissidẽtes autem fratres Valachos Rex per Legatos tunc composuit pacem, partitus inter eos Dominatum, ita ut inferior & maritima ora (quam Bessarabiam uocant, in qua Bialogrodum arx est, & Kilia) Stephano, superior uerò (hoc est Occidentalis & Russis uicinior, cum Socauia Metropoli) Heliæ cederet. qui quidem Helias incunctanter Leopolim ueniens, in uerba Regis præsentis cum Proceribus suæ partis iurauit: & in fide ac clientela eius, & omnium deinceps Regum Polonię, semper se fore professus est. quo facto, Rex eum subleuatum exosculatus est: Proceribus uerò Valachis dextram dedit: tributumq;, centum equorum, totidem siue (ut uolunt alij) quadringentarum purpurarum, quadringentorum boum, ac ducentorum curruum Vsonis (piscis id prægrãdis nomen est, cuius ferax est Danubius) in singulos annos imposuit. Post quartum autem annum, & ipse Stephanus & Helias iterũ frater, cum uniuerso Senatu, in uerba eiusdem Regis iurarunt.

Sigismundus Cæsar mortuus.

Pax inter Heliã & Stephanum, partita inter eos Valachia:

Helias iurat Regi,

Tributo constituto,

Simulq; & Stephanus.

DE FOEDERE CVM CRVCIGERIS FACTO, domesticis iterũ Spitconis Melstinij, & Derslai Rituanij turbis, Russisq; ac Podolijs magna strage à Tartaris profligatis. Cap. IIII.

Fœdus cum Crucigeris factum. SVb finem anni huius, fœdus cũ Crucigeris Prussiensibus & Liuoniẽsibus Breste Cuiauiẽsi ictũ est à Rege: cuius capita extant in Priuilegio eiusdem Vuladislai, abundè in Statutis descripta. Anno uerò 1438, non usqueadeò res fuere domi forisq; quietæ. Etenim Spitco Melstinius bona Sbignei Episcopi Vsseuensia, Melstino arci propinqua, armata manu inuasit atq; diripuit: *An. 1438.* *Spitco Melstinius Sbignei bona inuadens,*

partim inueterato in Episcopū odio (quòd conatibus suis, ad nouandas res intentis, obstitisset) partim etiam nouo (quòd de hæresi Boemica exagitaretur) inflammatus. Citatus à Rege uelut publicæ pacis turbator, in gratiam cum Sbigneo rediijt: eiq́, communium amicorum arbitrio, satisfecit. Vix dum hoc malum conquieuerat, quum subitò aliud exortum est. Derslaus namq́ Rituanius, opibus & animo (ex direptis propatrui sui Alberti Archiepiscopi, superiori anno mortui, facultatibus) auctus, ualidam peditum equitumq́ manum coegit: accitusq́ ad Regem, negauit se quidquā contra Rempub. moliri: dimissus autem, nocte quadam ad Zatoriam coactum illum exercitū duxit, & scalis admotis oppidum id cepit, oppidanis nil eiusmodi suspicātibus: deinde Osuencimēsem tractū omnē in ditionem suā redigere adortus est. Molestū Regi Senatuiq́ fuit, eam Oram, quæ promptuarium quoddam est Cracouiæ, à suis uexari: nec tamen reuocari se à cœpto Derslaus passus est, donec, dum incautius statiua habet, fusus fugatus'que à Silesijs, Regi Zatoriam tradidit: Rex uerò non prius eam Venceslao Osuencimensium Duci, Cazimiri filio, reddidit, donec is in fide & clientela Regis Polonorum se deinceps fore, solenni iureiurando spopondit: & Berualdum castellum, infame latrocinijs, ipsi concesit. Russi & Podolij cladem domesticam insignem, eius æstatis initio, à Tartaris acceperunt. Excurrerant Tartari populabundi in Podoliam, ingentemq́ prædam abigebant: recedentes eos Podolij ualida manu persequebantur: limosoq́ loco impediti, magna strage à Tartaris profligati sunt: qui neminem uiuum seruarunt. Ibi pleraq́ Nobilitas omnis & firmamentum Russiæ, cum Michaele Bucacio, Præfecto Podoliæ, cōcidit, ita ut crebris deinceps

Citatus *Conquiescit.* *Derslaus Rituanius,* *Valida manu coacta:* *Zatoriam capit,&* *Osuencimensem tractum uexat,* *Cum Regis et Senatus molestia:* *Fugatus autem à Silesijs, Regi Zatoriam tradit, Duci Osuencimensi redditam.* *Russorum et Podoliorū à Tartaris* *Clades insignis:&*

deinceps excursionibus sine metu oram illam omnem Tartari peruastarent. qua in clade Ioannes Vulodicus, gente Sulcimeus, egregium fortis & tolerantis uiri exemplum præbuit. Nam multis uulneribus confectus, quum inter cadauera iacens à uictoribus despoliaretur, ita compresit uitalem spiritum, ut, quum Barbarus caligas de pedibus eius non sine uulnere rescinderet, digitumq́ cum annulo præcideret, tamē nullam doloris neque sensus significationem edidit, & incredibili patientia uitam seruauit. Vidisse eum se cum illis notis, Dlugossus commemorat.

Ioannis Vulodici mira patientia.

DE PROVISORIBVS À REGNI ADMInistratione amotis, pace inter Regem & Cæsarem propter Turcæ uiolentiam tentata, hæreticorumq́ Spitconis & Sbanscij motibus repressis.

Caput V.

PEr illud tempus confirmatum est Vuladislao Regnum in Comitijs Petricouiēsibus, mense Decembri habitis: amotiq́ ab administratione Curatores siue Prouisores, quum Rex iam quintumdecimum attigisset annum. Concilium tunc temporis Basiliense, & Eugenius Pontifex, per Oratores de pace inter Cæsarem Albertum & Regem Polonorū diligenter egerunt: quò commodius, sublato inter hos Principes bello, Græcis atque Vngaris subueniretur. Vtrisque enim grauis erat Turcarum Imperator Amurates, qui Transalpinensem Valachiam iam sibi uectigalem fecerat, ac Rasciam & Serbiam, uectigales Regum Vngarorum ditiones, affligebat. Non abhorrebat igitur à pace Cæsar, nec Poloni quidem: sed quum de pace, propter quorundam praua consilia & maleuolentiam, conuenire non potuit, quadrimestres induciæ, per quas commodius pax cōficeretur,

Confirmatio Regni facta Vuladislao, amotis Prouisoribus. *Pax tentata inter Cæsarē & Regem,* *Propter Amuratē Turcam,* *Per maleuolos impeditur.*

An.1439. tur, constitutæ. Atque id anni 1439 principio actum: quo quidem anno, foris pax fuit, domi turbæ quædam excitatæ. Corcinum erant indicta Comitia: iamque eò ipse etiam Rex uenerat, quum Spitco Melstinius cum armatis suæ factionis hominibus summo mane, quiescentibus adhuc omnibus, in oppidum improuisus irrupit: & impetu facto in diuersoria Vuladislai Vuladislauiensis Episcopi, & Nicolai Lassocij Decani Cracouiensis, ea diripuit: idemque de monasterio fecit: quum ibi Ioannem Conespolium Cancellarium, & Ioannem Olesnicium Marsalcum, qui illò diuerterāt, non inuenisset. His autem perpetratis, e regione oppidi curribus & fossis castra munire cœpit: sed priusquam ea perficeret, coadunati omnes qui circa Regem erant, impetum in exercitum eius, Hincia Rogouio & Dobeslao Scecocinio ducibus, inermes ferè in armatum fecerūt: commissoque prælio, quum Spitconem ipsum inter primos pugnam cientem interfecissent, facilè cæteros in fugam egerunt. In Spitconem itaque palpitantem adhuc, iudicium institutum: dānatusque perduellionis, triduo nudus & inhumatus in publico iacuit. In Sbigneum uerò Episcopum conatus illos suos maximè intenderat, quòd ab eo diris deuotus, & Senatu propter hæresim abstinere iussus fuerat. Sed Sbigneus præmonitus, uim eius, ad Comitia nō ueniendo, declinauit. Non minores in Polonia Maiore, per idem tempus, motus erāt, Abrahamo Sbanscio eos concitante. Fauebat & hic Boemorum sectę, Boemosque sacerdotes hæreticos domi suæ alebat, per quos uirus in populum spargeret: Orthodoxis uerò sacerdotibus, & Episcopo Posnaniensi Ciolco, ita infestus erat, ut is Cracouiam cōmigrare cogeretur. eo uerò defuncto, & Andrea Bninio successore ei dato, magis insaniebat Abrahamus.

In Comitia Corcinensia Spitco Improuisus irrumpens, Et multa diripiens, Dum castra munire incipit, In prælio occiditur, Et damnatur perduellionis, Sbigneo, in quem hoc hæreticus intenderat, absente. Abrahamus Sbāscius itidem hæreticus, Propter quē Episcopus Ciolcus transmigrat Cracouiam,

hamus. Et perculit quidē eum anathemate Episcopus: sed quum ea uia nihil proficeret, ui coercere nouatores adortus est. Coactos enim nongentos amplius equites, de propinquis & clientibus suis, ad Sbansinum arcem duxit, dediq; sibi quinque Boemos sacerdotes, coegit: quos deinde, instaurato Posnaniæ iudicio, publicè cremauit.

Ab Andrea Bninio excommunicatus Vi coercetur, & Cogitur dedere quinq; Boemos sacerdotes Posnaniæ publicè crematos.

DE REGNO VNGARIAE À VVLADISLAO SUSCEPTO, & SBIGNEO CARDINALI FACTO. Caput VI.

HOc anno Albertus Cæsar, dissenteria ex immoderato esu peponum contracta, uitam finiuit: post cuius mortem Vngari perpendentes, in quantis essent periculis Turcico bello implicati, cōmunicato cum defuncti Cæsaris & Regis sui uxore Elizabeta consilio, ad Vuladislaum Regem Polonorum, unà cum ipsius Elizabetæ coniugio (tametsi prægnans tunc erat Elizabeta) Regnū detulerunt. Missi ergo publicè ad acciendum Vuladislaum è Polonia, Ioannes Signiensis Episcopus, Matco siue Matthias Taloncius Dalmatiæ & Croatiæ Præfectus, Emericus Marcellus Magister Curiæ, Ioannes Perenæus maior, & Ladislaus Palocius, cum splendido comitatu & Legatis ciuitatum Cracouiam uenerunt, & postulata totius Vngariæ Vuladislao exposuerunt. Re in consultationem Senatus posita, uariabāt sententię Senatorum: dissuadētibus multis, difficultatemque duorum amplissimorum Regnorum administrandorū, & Turcici belli magnitudinē exaggerantibus: alijs contrà, rem splendoris & gloriæ plenam nequaquam repudiandam esse, censentibus: neque prodendam Barbaris, cum florentissimo Regno, salutem & amplitudinē Reipub. Christianæ: quę illo quasi firmissimo propugnaculo ni-

Alberto Cæsare mortuo, Regnum Vngaricum & coniugium Elizabetæ ad Vuladisl. defertur: Missisq; propterea Legatis, Et consultatione adhibita,

lo niteretur: tum quòd, illo Regno quasi intermedio pariete sublato, Polonos omnem maximi ac difficilimi belli cum Turcis molẽ sustinere oporteret. Pronior in eam partem erat Vuladislaus, ut Regno suo paterno contentus esset, cùm propter illas, quas modò commemorauimus, causas, tũ quòd adolescens prouectæ mulieris coniugium fastidiebat: cessit tamen plurium diuersum suadentium sententiæ, & Vngarorum precibus. Et aderat forte Amuratis Turcarum Imperatoris Legatio: quæ, uiuente adhuc Alberto Cæsare missa, fœdus & amicitiam Tyranni, pecuniamq; & centum millium armatorum auxilia Vuladislao contra Albertum deferebat. De conditionibus deinde cum Vngaris tractatũ: quæ dum constituuntur, interim aduolat ex Vngaria Veredarius cum literis ad Legatos, quibus scriptum erat, ut re infecta redirent, eò quòd Regina filium peperisset. Abiecerat quidem eo nuncio Rex omnem, de suscipiendo eo Regno, cogitationem: sed tamen uictus est Legatorum perseuerantia, qui diserta mandata se habere asseuerabant, ut, etiamsi Regina marem peperisset, nihilominus Vuladislao Regnum deferrent. Tum demum Turcarum Legationi, quæ aliquot menses exspectarat Cracouiæ, responsum à Rege datum est: Regnum sibi ab Vngaris delatum esse. quòd si Amurates amicitiam suam expeteret, Vngariam ne infestaret: socijs autem Vngarorum Rascijs redderet, quæ ademisset.

Contrarium tunc à Turca Legatis postulantibus,

Vngarorum uerò Legatis perseueranter instantibus,

Regnum suscipitur, & Turca repellitur.

DE VVLADISLAI IN VNGARIAM PROfectione, eoq; ab Vngaris in Regem suum coronato. Caput VII.

Legatis Vngarorum

His ita cõfectis, Legati Vngarorum, duobus ad deducendum Regem relictis, cæteri in Vngariam reuer-

terunt: quos Regina è Polonia redeuntes comprehensos, cum omni comitatu suo, in uincula cõiecit. Scinduntur itaq; in duas partes Vngari, dum alij Reginæ, alij Vuladislao student: nihil tamen hæc Vuladislaum mouebant, ut mutaret sententiam. quin aliud quoque maius impedimentum illi fortuna obiecit. Nam per eos dies nuncium accepit è Lituania, Sigismundum Ducem Lituanorum, auarè & crudeliter dominantem, conspiratione Iuani Cartoriensis Ducis, & aliorum quorundam Russorum & Lituanorum Procerum, apud Trocos interfectum esse: Suitrigellonem uerò Luscum, Russorum proditione, rursus in potestatem suam redegisse. Sic autem is Iuanus Sigismundum ex insidijs adortus esse fertur. Vrsam habebat Sigismundus cicuram, quam ad mensam & ad cubiculum familiariter admittebat: eius itaq; unguium sculptura ad ostium cubiculi assimulata, coniurati intromissi Ducem, nihil tale suspicãtem, trucidarunt. Et propterea igitur nihil de profectione in Vngariam Vuladislaus mutabat, ne leuitate quadam, aut metu & angustia animi, à cœpto destitisse uideretur: Cazimiro uerò fratri, recipiendæ, pacandæ & gubernandæ suo nomine Lituaniæ, negotium dedit. Cæterùm institutum iter iam adornans, in Minore Polonia & Russia Ioannem Cizouium Castellanum Cracouiensem, in Maiore uerò Albertum Malscium Palatinum Lecicienscm, uicarios pro se reliquit: Præfectos autem Cracouiensem, Posnaniensem, & Podoliensem, nescio qua de causa mutauit: Scepusium insuper Sbigneo Episcopo, ut inde debitum pro argento cælato signatoq; sibi deduceret, commendauit. quibus peractis, cum magnificentissimo apparatu, & Comitatu Nobilitatis Polonæ splendidissimo, & iusti exercitus speciem præ se ferente, in Vn-

A Regina In uincula coniectis,

Sigismũdoq; Duce Lituanorum eodem tempore necato, &

A Suitrigellone occupato Lusco,

Vuladislaus Lituania Cazimiro commissa,

Vicarijsq; pro se Regno constitutis,

Proficiscitur nihilominus magnificè in Vngariã: &

in Vngariam profectus est: præmissoq; Simone Rosgonio Episcopo Agriensi, Vincentio Samotulio Castellano Medirecensi, Ioanne Sennenio, & Andrea Tencinio, Budam in potestatem suam redegit: Regina uerò certior facta de omnibus, filium suum Ladislaum nondum quadrimestrem, sublato de Alba Regali diademate Diui Stephani, coronari curauit. Postea quam Budam uenit Vuladislaus, magnaq; Nobilitatis & Procerum multitudo ad eum conuenit: per interpretem ad eos graui & modesta oratione usus, aliam se rerum faciē, quàm speraret, reperisse dixit: animos illorum diuisos, res domesticas à se omissas, precibus ipsorum se uictum & publicum commodum maius esse secutum, commemorauit: ad extremum uerò ciuilis belli se auctorem & causam esse nolle, testatus est publicè: quare nihil se obstare, quò minus commodis suis, & quieti salutiq; publicæ, prospiciant: sui uerò, qui abundè paterno Regno contentus sit, nullam rationem ducant. Hæc elocuto Rege, secedunt in Consilium Vngari, admirantes Regis modestiam & excelsum animum: deinde Laurentius Hedreuarus Palatinus Vngariæ, ex omnium sententia gratias egit Regi, quòd patris clarissimi & optimi Regis uestigijs insistens, Religionem Christianam inprimis defendere studeret, plurisq; publicam amplitudinem, quàm suam salutem faceret: orauitq; eum, ut susceptum semel, summa omnium cum lætitia & spe optima, Regnum ne repudiaret: paucorum uerò illorum, qui (aut muliebri consilio seducti, aut dominandi, alieno nomine, cupidi) cum Regina sententiam mutarunt, conatibus improbis nihil moueretur. Ne quam uerò ei dubitationem relinquerent, statim cuncti in uerba eius iurarunt, orsi à Dionysio Zecho Cardinali & Archiepiscopo

Buda in potestatem suam redacta.

Dum Reginæ filiū quadrimestrem coronat.

Regno patrio uolens esse contentus.

Sed ab Vngaris aliud exoratus.

Facto ei iureiurando.

scopo Strigoniensi (nam eum, qui præsentibus alijs quibusdam Proceribus puerum Ladislaum Albæ Regiæ coronauerat, pœnitebat iam facti) sublatumq; de more gētis in humeros Vuladislaum, acclamante populo, Regem renunciarunt. Vissegradum deinde itum est, atque huius arcis Præfectura Samotulio, Medirecensi Castellano, mandata: Regi autē Vuladislao Diadema, de Caluaria S. Stephani detractum (nam illud ipsum, quod Diui Stephani fuisse ferebatur & Vissegradi asseruari solebat, Regina surripuerat) ad XVI Calendas Augusti solenni ritu apud Albam Regiam ab Archiepiscopo Strigoniensi impositum. Accidit per eos dies facinus memorabile: Vngarus quispiam obscuræ sortis indicauit, magnam uim auri ab Elizabeta Regina sibi oblatam esse, ut Vuladislaum Regem ferro uel ueneno de medio tolleret. id siue uerum fuit indicium, siue ementitum, spe maioris muneris: Vuladislaus irremuneratum prætermisit, atque dissimulauit (ne quam Elizabetæ infamiam suscepti sceleris inureret:) Vngari uerò indicem, ignitis forcipibus immaniter dilaniatum, dissecuerunt. Coronatione ritè peracta, Rex Polonos Proceres, qui se in Vngariam deduxerant, dimisit: ex his Sbigneus Episcopus, nouo Cardinalis Presbyteri honore auctus, Cracouiam reuertens magna omnium gratulatione exceptus fuit.

Vissegrado Samotulio commisso.

Albæ Regia coronatur.

Regis clementia, &c.

Vngarorum ira in proditorem.

Sbigneus Cardinalis factus.

DE PARTIBVS REGINAE VNGARORVM profligatis, & Ioannis Huniadis celebritate nominis. Caput VIII.

PORRÒ Minores Poloni bis apud Corcinum Conuentum egerunt, & auxilia quinque millium equitum Regi in Vngariam decreuerunt. Fuit enim necessarium

Regi ex Polonia auxilia missa.

Vngaris plerisq; ad partes Reginæ deflexis:

id subsidium, propterea quòd Vngari apertius iam factiones alere cœperant, & partim Regi, partim Reginę, studebant. Nam & Archiepiscopus ipse Strigoniensis, unà cum Ladislao Gara ærarij præfecto, iusiurandum temerauerant: multisq; in Reginę partes potentia & auctoritate sua pertractis, ualidum ipse Ladislaus contraxerat exercitum: contra quem Rex Nicolaum Fristaciũ siue Vilachium, & Ioannem Huniadem, cum comitatu suo aulico misit, & certam sibi uictoriam pollicentem profligauit: Ladislaus tamen ipse fuga euasit. Captiuos autem omnes Rex liberaliter dimisit. qua clemẽtia permagnam apud Vngaros gratiam inijt: Slauoniamq; & Croatiam, misso illuc Nicolao Lasocio Decano Cracouiensi Legato, sine armis recepit. Fristacium uerò & Huniadem amplissimis muneribus affecit: & illum quidem Croatiæ Præfectum (quem illi Banum uocant,) hunc uerò Transyluaniæ Voieuodam siue Palatinum fecit, deinde uerò etiam Themesiensi & Seuerĩsi Præfectura auxit. Inde primùm Ioannis Huniadis, quem & Coruinũ (à uico, in quo natus est) appellauêre quidam, nomen celebre esse cœpit, quum is antè clarus non fuisset, matre Græca, patre autem Valacho natus: nonnulli tamen à Sigismundo Cęsare genitum esse, existimarunt. Ab eo quidem Huniadum arx, in extrema Transyluaniæ ora, condita est, & inde cognomen ipse accepit: deinde uerò, quum is nauiter rem gereret, Turcasq; aliquoties magnis cladibus affecisset, etiam Magister Vngaricæ militiæ à Vuladislao factus est.

Victiq; sunt illi à Rege,

Slauoniam & Croatiam repetente, &

Huniades

Celebris esse cœpit.

DE CAZIMIRO GVBERNATORE LITVANIÆ, bello Regis cum Reginæ partibus, & Moschis à Lituanis repressis. Cap. IX.

DVm hæc ita fiunt, Cazimirus Regis frater, cum plerisq; Primoribus minorum Polonorum: et Ducibus Masouiorum Cazimiro & Boleslao, splendido comitatu, accepta de ærario Regio pecunia, pro Gubernatore in Lituaniam profectus: Vilnæq; Dux Magnus à Lituanis renunciatus, necquidquam reclamantibus Polonis, & fœdera Regisq; aduersam uoluntatem testantibus. Petiuit quidẽ à Rege Vuladislao postea diligenter Cazimirus, ut factum Lituanorum, quo se Magnum Ducem declararunt, approbaret: sed non modò non impetrauit, uerùm etiam uehementius eum irritauit. Insequenti anno, Minorum & Maiorum etiam Polonorum atq; Russorum auxilia, partim ex mercenarijs militibus, partim ex uoluntarijs collecta, ad Regem uenerunt: pugnatumq; est à Rege cũ illis, qui partes Reginæ sequebantur, fortuna uaria. quo quidem tempore quum grassaretur pestis, ita eam Rex contempsit, ut quãuis in intimum quoq; cubiculum eius contagio morbi peruaderet, nihilo tamen minus uersaretur in publico, Regiaq; obiret munia. Apud Parsouiam uerò Poloni Proceres cum Lituanis Conuentũ egêre: frustraq; (Lituanis rem inficiantibus) concordiam, inter Cazimirum Regis fratrem, & Boleslaum Masouiorũ Ducem, & Michaelem Sigismundi Ducis filium, tentarunt. Per quod tempus Moschorum Dux, adiunctis sibi Tartaris Casanẽsibus, excursionem fecit in Lituaniam, Vesmẽsemq; tractum ferro & igni depopulatus est: quẽ Lituani insecuti, commisso prælio, fuderũt, & uicissim regionem eius longè lateq; uastarunt.

Cazimirus Gubernator in Lituaniã profectus,

Magnus Dux renunciatur,

Cõtra uoluntatem Regis.

Auxilijs Regi ex Polonia missis,

Pestem Rex contemnit.

Polonorum Conuentus cum Lituanis irritus.

Moschus cũ Tartaris excursionem faciens,

A Lituanis uictus.

DE PACE CVM REGINA FACTA, & Turcis strenuè à Vuladislao & Huniade aliquoties uictis. Cap. X.

Iulianus Legatus Pontificis

AEstatis huius initio, Legatus Eugenij Pontificis Iulianus Cæsarinus Cardinalis, Episcopus Sabinensis, ad Regem uenit: egitq; cum Rege & Vngaris,

Pacem Regi & Reginæ,

de pace facienda cum Regina Elizabeta, & de suscipiendo bello contra Turcas. Et pax quidem cum Regina secretis conditionibus composita est, quum ad eam Rex Iaurinum, rogatu Iuliani, uenisset, moresq; & uirtutem

Regina mox mortua, persuadet:

suam, ac dignitatem oris, ei probasset: uerùm ea pax, Regina paucis dieb. ex dysenteria ac dolore matricis mortua, rursus infecta est, turbantibus illis, qui cum Regina

Itidem & bellum contra Turcas.

senserūt, Vngaris. Neq; uerò in persuadendo bello Turcico plus difficultatis sensit Iulianus, quum non tam utilitas inferre bellum Barbaris, quàm necessitas illatum

Amurates post alia Bielogradū obsidens,

ab ijs depellere & amissa recuperare suaderet. Etenim Amurates non ignarus Vngaricorum dissidiorum ciuilisq; belli, infestabat reliquum Rasciæ atq; Transyluaniam, Bielogradumq; obsederat, & summa ui oppugnarat: & quamuis Vuladislaus Rex, per Dobrogostum Ostrorogum & Lucam Gorcanum Polonos Oratores suos, postulasset ab eo, ut ab obsidione discederet, & pacem fœdusq; dudum ultrò expetitum secum sanciret: ille tamen ferox, amandatis Smiderouiam Oratoribus,

Etiam repulsus inde

continuauit obsidionem in septimum mensem: nec, nisi maxima suorum strage adactus ab eo recessit. Ac ne tūc quidem demisit spiritus: quin dimittens Oratores Re-

pacem facere recusat:

gios, ijs demum legibus pacem se daturum respondit, si

Habens autē Rex à Legato Pontif promissa, &

sibi reliquum Rasciæ & Bielogradum redderetur. Pollicebatur interim Regi & Vngaris Iulianus ingentia, Pontificis & quorundam Principum Christianorum, ad

id bellum auxilia. Ad hæc autem augebantur Vngarorū spes, per se ipsæ iam inde ab initio in Vuladislaum erectæ, rebus ad eum diem, aduersus eundem hostem,

Rem gerens prosperè

prosperè gestis (nam præter quòd Amurates à Bielogradi oppugnatione turpiter re infecta discedere coactus est, Ioannes quoque Huniades, Regis huius auspicijs,

Per Huniadē maximè,

eosdem Barbaros tribus insignibus prælijs per illud ipsum tempus uicerat, & magnis cladibus affecerat: Mezitem Bassam, Ducem exercitus bellicosissimum, cum filio interfecerat: & Sciabadinum alterum Bassam, trepidè fugere coegerat) commouebat etiam & Regem

Motusq; misericordia Despotæ Rasciæ,

& Vngaros Stephani, siue Georgij, Despotæ Rasciæ & Albaniæ, misericordia: qui paucis illis annis, utraque ditione exutus, à Turcisq; filijs duobus captis, exsectis & excæcatis orbatus, Regis beneficentia sese in Vngaria sustētabat: superba deniq; Amuratis Legatio,

Atq; superbam Amuratis legationē non ferēs,

quæ tributum à Rege & Vngaris exigebat, aut traditionem Bielogradi contendebat, omnium animos uehementer accendebat: itaq; Procerum animis ad bellum

In Comitijs Budensibus decernitur bellum, & An. 1443.

inclinatis, Comitia Budam ad Pentecosten anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1443, à Rege indicuntur: ibiq; bellum, uno omnium consensu, decernitur. Mittuntur ergo Oratores ad Fridericum Cæsarem, atq; alios Christianos Principes, & ad Crucigeros Prussienses atq; Liuonienses, petitum auxilia ad tam piam, ac toti Christianæ Reipublicæ salutarem expeditionē: sed nihil usquā

Tametsi non magno cum exercitu,

impetratum. Pontifex quidem Eugenius piam Crucis militiam aduersus Barbaros, per omnes nationes Christianas, pronunciari iussit: indeq; aliquantulus uoluntariorum militum numerus, quem Iulianus Legatus (cruce pro uexillo utens) duxit, confectus est: Poloni autem non contēnenda utiq; auxilia Regi suo misēre, eo quidē

tempore, quo magnus terræmotus Vngariam, Boemiã & Poloniam, Nonis Iunij afflixit. Viceſima igitur die menſis Iulij, Buda caſtra mota ſunt: transmiſſoq; apud Salſum lapidem Danubio, ad hoſtiles terras peruẽtum. Vbi ad Morauam fluuium uentum eſt, quum didiciſſet Rex ab exploratoribus, in propinquo eſſe hoſtium copias, Ioannem Huniadem cum decem millibus expeditorum militum, in quibus & Poloni erãt, contra eos miſit: qui quum intempeſtæ noctis ſilentio improuiſò in ſtatiua eorum impetum feciſſet, magna ſtrage ad internecionem hoſtes profligauit. Cæſa feruntur ad triginta millia Turcarũ, capta quatuor: Bulgaria pleraq; omnis, partim per uim, partim per deditionẽ, ob linguæ & ſtirpis cognationem, in poteſtatem Regis redacta. Ad fines pòſt Macedoniæ peruentum eſt: ubi Carambeius propinquus Tyranni, montes ad prohibendum tranſitum noſtris inſederat: quumq; noſtri ad montes appropinquarent, pridie Natalis Chriſti, impetum fecit in Regis exercitum: nec Rex detrectauit pugnam, uictosq; & fuſos Barbaros, Duce ipſo Carambeio capto, in montes compulit: & rupem in qua ſtatiua habebant, uſque ad ueſperum ſumma ui fruſtra oppugnauit, nõ ſine ſuo incommodo, ita ut ipſe quoque, licet armatus, aliquot ſagittas aduerſo pectore exciperet: ibiq; aliquot diebus refecto exercitu, continuato itinere Budam attigit: & nudis pedibus urbem ingreſſus, ſigna hoſtium in æde Virginis Matris nomine dicata affixit.

Turcas tamẽ magna ſtrage profligat: &

Bulgariam recipit, &

In finibus ipſis Macedoniæ

Iterũ hoſtes eũ Duce Carambeio capto fudit,

Deo agens gratias.

DE TOTIVS CHRISTIANI ORBIS GRATVlatione, & Turcis petentibus, poſt bellum decretum, pace data. Cap. XI.

Gratulationibus Vuladislaus Rex plenus,

HIs autem in uniuerſum Chriſtianum orbem celeri fama uulgatis, frequentes à pleriſq; omnibus Prin

cipibus & Rebuſpublicis Legationes, tam inſignem uictoriam Regi gratulabantur, & auxilia ad proſequendum incœptum bellum pollicebantur: nominatim autem Pontifex Eugenius, cum Venetis, Genuenſibus, & Philippo Duce Burgundiorũ, claſſem ad prohibendum Turcis ex Aſia tranſitum deferebant. At uerò Poloni Proceres, miſsis publicè & priuatim Legatis, uerè & ipſi gratulabantur tam felices Regi ſuo ſucceſſus: cæterùm obteſtabantur eum, ut uno illo periculo defunctus, in Poloniam ueniret, ac benemerentis Patriæ ſaluti & tranquillitati conſuleret. Nam & Tartari crebris excurſionibus Podoliam & Ruſsiam infeſtabant: & Lituani cum ſuo Duce Cazimiro aduerſus Boleslaum Maſouium, ob occupatum (poſt interfectum Sigiſmũdum Ducem Lituanorum) Drohicinẽſem tractum, quem ei Rex in Vngariam proficiſcens addixerat, bellum apparabant: & è Sileſia deniq; ipſa magna belli moles, conſpiratione Principum, exiſtere uidebatur. Hæc itaque optimi Regis animum in diuerſa diſtrahebãt: hinc dulcedo deguſtatæ gloriæ, aut potius ſalutare ex profligato Chriſtiani nominis hoſte gaudium, & cohortationes maximorum Chriſtiani orbis Principum: illinc Polonorum (quibus quãtum deberet, intelligebat) preces & impendentia pericula, cogitationes eius differebãt: uicit tamẽ cauſa totius Chriſtiani orbis publica, inſtãte maximè Legato. Cęterùm ne Polonos derelictui habere uideretur, pollicetur, ſe in Polonia ad Pentecoſten futurum: Vngaris uerò Budam indixit Comitia. Venerat huc etiã euocatus Ioannes Iſcra Boemus, aduerſę factionis Princeps & Dux belli ſtrenuus, data ſibi à Rege fide (nã Vngari Proceres, poſt Reginæ mortẽ, omnes iam in fide & poteſtate Regis erãt) ibiq; pactis cum Iſcra & factione La-

Ab omnib. ad proſequendum bellum excitatus,

A Polonis uerò reuocatus domum,

Amori patriæ cauſam totius Chriſtianiſmi antefert: &

Pollicitus ſe in Poloniam uenturum,

Sed propter bellũ decretũ, dislai pueri inducijs, bellum in Turcas summo omnium ordinum cõsensu decernitur: oppidanis atq; agrestibus pecunia, in sumptus belli (quia ærariũ Regium nullum erat) imperatur: dantq; ultrò nomina piæ militiæ, & Ioannes Varadiensis, & Simon Agriensis, Episcopi. *Ad quod & Episcopi sua nomina dant,* Peractis Comitijs, Regem, in Poloniã iter adornãtem, Vngari Proceres summo studio & cõtentione retinuerũt: *Ab Vngaris detentus,* dumq; id bellum comparatur, de pace à Turcis agi cœptum est. quã cupiebat Amurates propterea, quòd non ignorabat, quanto consensu & quanta mole Christiani Principes contra se bellum pararent: & satis iam, anno superiore, solius Vuladislai uires expertus fuerat: adhęc aliud ei pergraue bellum in Asia à Carmanorum Principe imminebat, in quod totis uiribus incumbere, pace cum Vuladislao facta, cogitabat. *Amurati postulanti* Nec Vuladislaus neq; Vngari ab honesta pace & gloriæ plena abhorrebãt, ex multo tempore non dare, sed petere à Turcis pacem soliti: & nihildum de classibus, & naualibus socijs, afferebatur. *Cum sua magna gloria* Segedinũ igitur profectus Rex, Oratores Amuratis ampla dona afferentes audiuit: pacem'que petentibus, siue adeò inducias decem annorum, dedit his legibus, ut certas arces, totamq; Rasciam, & eam partẽ Albaniæ, quæ in ditione Despotæ Rasciæ fuisset, ac duos filios Despotæ captiuos, redderet: ad eaq; implenda pauci dies constituti. *Dat inducias decennales.*

DE BELLO ITERUM CONTRA TURCAS suscepto, & Vuladislai in media ex Turcis uictoria interitu. Cap. XII.

Literis Præfecti classis Apostolicæ & Palæologi INterim allatæ sunt literę à Francisco Cardinali Veneto, Præfeçto classis Pontificiæ, & aliarũ sociarum classium Præfectis, itemq; à Ioanne Palęologo, Imperatore Constãtinopolitano: quibus inuitabatur Rex, ut maturaret

raret

raret expeditionem: neq; occasionem commodissimam Græciæ liberãdæ, & Europæ uindicãdæ, elabi sibi è manibus sineret: pollicebantur autẽ, se præstaturos, ne Turcæ ex Asia (quò Amurates omnes ferè copias suas, ad Carmanicũ bellum, traduxerat) in Europã rursus traijcerent: Palæologus uerò terrestres etiã copias, & societatẽ belli, promittebat. His itaq; permotus Iulianus Cardinalis, qui pacẽ frustra dudũ dissuaserat, tunc uerò ad omissum bellum summa cura atq; diligẽtia Regem incitare: *Permotus Legatus Apostolicus.* belli præmia longè ampliora, quàm pacis, in immẽsum attollere: necessitate expressam pacẽ, quæ diuturna futura nõ esset, labefactare, ac temporis causa simulatã dicere. Argumento esse, quòd lapso iam tẽpore, tamen promissa à Barbaris non implerẽtur: quòd si maximè nulla per eos mora in tradendo fieret, priora tamen cum Pontifice, Duce Burgundiorum, Venetis, & Genuensibus fœdera, & societatem pij belli initam, magis ualere oportere. Quòd si qua Religione Rex teneretur, ne iusiurandum, Barbaris datum, uiolaret: illo se eum metu, Pontificis Maximi auctoritate, prorsus liberare. *Vuladislaum ad bellum contra Turcas* Hæc identidem agendo & inculcando, tandem perpulit iuuenem, ut nouo sacramento se cum Proceribus, ad prosequendum bellum Turcicum, obstringeret. *Impellit:* Non placebat hoc Regis, de uiolandis pactis, consilium Polonis Proceribus qui absque eo quoque, Regem illo bello tunc implicari, molestè ferebãt, & pacis nuncio dudum exhilarati erant. Itaq; quum primùm hæc acceperunt, Comitia Petricouiæ instituunt, ad XXV. diem Iulij Legationem ad Regem decernunt: sed eos ille anteuertit, misso ad Conuentum Ioãne Crus[illegible]cio Custode Cracouiensi, qui indicaret, Regi omnino constitutũ esse Turcicum bellum persequi: iuberetq; Polonos auxilio esse

 Boleslao

Boleslao Maſouio aduerſus Lituanos & Cazimirum, ſi bellum id æquis conditionibus dirimere non poſſent.

Profectusq; contra illos

Poſt medium autem Septembris, Segedino caſtra Rex mouit,non ſatis alacer. Iam enim Turcæ & filios Deſpotæ, & munitiones promiſſas reddiderant: & animaduertebat, quàm longè minores copias, quàm pro magnitudine belli, & quàm ſuperiore expeditione duxiſſet, duceret.

Cum non magnis copijs,

Multi enim cùm ex Vngaris, tum ex alijs Chriſtiani orbis nationibus non occurrebant. Directo autem in Bulgariam itinere, tertia die Nouembris Rex cum omni exercitu apud Orſauam Danubium traiecit: ad Nicopolim uerò, quæ Metropolis Bulgariæ eſt, uiceſimo ſexto die quum perueniſſet: uenit ad eum Vuladus (qui et Dracula) Palatinus Tranſalpinæ Moldauiæ, ueniam petens, quòd neceſſariũ cum Turcis fœdus ſuperiori tempore ieciſſet: uiſaque paucitate Regij exercitus, in quo uix quindecim millia equitum, pedites uerò pauciores erant, & ij ferè Cruce ſignati, quũ reditum Regi perſuadere nequaquã poſſet, quatuor millibus ſuorũ hominũ, duce filio, exercitũ eius auxit: ipſe uerò domũ reuertens, duos equos perniciſsimos, duosꝗ iuuenes uiarum peritos, in aduerſum belli euentũ ei dedit. Vbi ad fines Thraciæ peruentum eſt, propoſuit Rex edictum, ut milites à Chriſtianorũ templis manus abſtinerent: itemꝗ ut Turcæ liberè & ſecurè, ſaluis rebus ſuis, munitionũ pręſidijs decederent: eiusꝗ edicti exempla per Turcas captiuos quoquouerſus dimiſit.

Et à templis abſtinere iubens,

Hinc deditę nonnullæ munitiones: Petreſſum uerò & Sumenũ, quæ Pezechiũ & Suniũ uocat Bonfinius, qui non dederētur, una die ſumma ui expugnatæ ſunt. ubi præclarum eximiæ uirtutis ſpecimen duo Poloni Equites, Ioannes Tarnouius, et Leſcus Bobricius (uel Vngricorũ Annalium teſtimonio) edidêre:

Nonnullis iã munitionib. & arcibus uiriliter acceptis,

dêre: dum alter Sumeni portas, duobus uulneribus acceptis, refregit: alter Petreſsi murum primus aſcendit. Interim Amuratem, cum quadraginta, uel (ut Bernardus Vapouius ſcribit) centum, ſiue (ut Paulus Iouius) octoginta millibus Turcarũ infra Callipolim paruis nauibus ex Aſia traieciſſe, allatum eſt, ſiue conniuentibus Venetis & Genuenſibus, mercede corruptis, ſiue quum commeatus comparandi cauſa è cuſtodia deceſsiſſent: nec tamen hic nuncius Regem ab incœpto deterruit.

Cum Amurate congreſſus,

Decima die Nouẽbris quum noſtri ad Varnam, quam Dionyſiopolim dixêre ueteres, oppidum, mox clade ſua nobile futurum, quod iam in deditionem ſuam receperant, caſtra habebant: poſt ortum Solis, hoſtes adeſſe, ab exploratoribus nunciatum eſt. Laborare ex apoſtemate pedis Rex cœperat: itaꝗ Huniades, militibus prælium poſcentibus, exercitum inſtruxit: beneꝗ inſtructa acie, ad duo millia paſſuum obuiam hoſtibus itum eſt: deinde ſignis defixis (quæ tamen ſubita tempeſtas, in tranquillo coorta, concerpſit) ad tres horas hoſtes exſpectati. Apparuerunt ij pòſt, in dextrum cornu noſtrorum inuehentes: nec eorum impetum noſtri ab ea parte, equis inſuetum camelorum aſpectum & odorem non ferentibus, Tranſalpinisꝗ ilico diſsipatis, ſuſtinuerunt: ſed fuſi fugatiꝗ, ad decem ferè millia paſſuum. Meliori uerò fortuna à Rege & Huniade, ab alia parte, collata ſigna, & ad quatuor millia paſſuũ ſubmoti, non ſine cæde, Barbari: inde ad opem ferendam ſuis, qui reliqui in dextro cornu cum Iuliano & Francobano erant, Rex reuertens, inde quoꝗ hoſtes in fugam egit: ita, ut ij diſsipati Thraciam trepidatione implerent, quaſi deletis iam omnibus ſuis copijs. Rex igitur fuſo fugatoꝗ iam omni equitatu Turcico, in Ianizerorum phalangem (in qua Amurates

Vincens uiriliter

ipſe erat,& in quã ſe Baſſa Aſiaticus ex fuga recipiebat) temerè cum paucis ijſq; Polonis inuectus, quũ ab Huniade, ſiue perſequente adhuc hoſtem fugatum (ut Vngari, & Turcæ ipſi) ſiue fugiente cum media parte exercitus (ut noſtri prodidêre) necquidquam reuocaretur, pedem referre turpe & ſe genereq; ſuo indignum eſſe duxit (nec enim eius eſſe, qui bellum inferret, fugere:) itaque quum magnam, inter confertos hoſtes pugnans, ſtragem faceret, atq; Aſiaticum Baſſam (quemadmodum Bonfinius memorat) interfeciſſet, ad extremum ſub ueſperum iam, equo ab Ianizeris confoſſo, periſt, Princeps longiore uita & immortali gloria digniſſimus. Nec Barbari tunc, equitatu deſtituti, perſequi fugientes Vngaros atque Tranſalpinos, ac ne currus quidem & caſtra uſq; ad tertium diem oppugnare, auſi ſunt (nox enim, pugnantes adhuc opprimens, incertam eis fecerat uictoriam: & inſidias autem timebant) tertio demum die caſtra, immaniter trucidatis ægrotis & faucijs, direpta. Et Iulianus autem Cardinalis, & Varadienſis atque Agrienſis Epiſcopi, fugientes perijſſe narrantur: de Polonis etiam duo tantùm ex eo prælio euaſêre, Ioannes Reſſouius, & Gregorius Sanocius. De omni exercitu, qui uiginti millia pugnatorum non exceſsiſſe exiſtimatur, uix quintam partem eo prælio deſideratam eſſe, & tamen uix tertiam euaſiſſe, multò pluribus in cœno ac longa fuga abſumptis: Turcarum autem ad octoginta millia, ut uult Dlugoſſus noſter: ſecundum Bonfinium autem, ſupra triginta millia (quum fuiſſent ſexaginta) periêre. Accidit autem clades hæc anno à Chriſto nato 1444, Regni uerò Vuladiſlai, in Polonia quidem undecimo, in Vngaria uerò quinto: quum is uiceſimum ætatis ſuæ annum uix dum egreſſus eſſet. Fuit autem Vula-

Fortiter occumbit.

Turcarum timor poſt uictoriam.

Iuliani & Epiſcoporum interitus.

Exercitus utriuſq; magnitudo, ac deſideratorũ numerus.

An. 1444. *Regnum Vuladislai & Aetas, & Forma, &*

Vuladiſlaus hic ſtatura procera, facie fuſca, ſed honeſta ac dignitatis plena, capillis nigris, laboris & inediæ patientiſsimus, abſtemius, Iuſtitiæ & Religionis cultor eximius: probitate, comitate & clementia, etiam in hoſtes, ſingulari: liberalitate propemodum nimia: animi uerò magnitudine tanta, ut nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo quod conſultò cõſtituerat, auelli ſe pateretur. deniq; ſumma in eo fuerunt omnia, quæ maximos & optimos Principes decent: recteq; & ſanctè occubuiſſe mihi uidetur, dum pio animo & oculo ſimplici, pro ſalute uniuerſi Chriſtiani orbis, Legatoq; Sedis Apoſtolicæ obediens, uerùm peccatis noſtris eum nobis eripientibus, ſæuiſsimum Tyrannum & implacabilem Chriſtianorum hoſtem perſequitur. Quemadmodum enim non ſtudio laudis humanæ, Regnum Vngariæ ſuſcepit, quod ſtatim, propter pacem & tranquillitatem publicam deponere paratus fuit: ita quoque, Dei gloriam ſpectaſſe magis & totius Chriſtianiſmi commodum, quàm uanæ gloriolæ cupiditate illectum, tantis ſe expoſuiſſe periculis, credendus eſt: præſertim quũ tam uirili animo, uitam ſuam pro ſalute Chriſtiani orbis cum Legato Apoſtolico & Epiſcopis negligens, ipſamq; ad extremum profundens, cum Turcarum Imperatore Amurate, cum paucis contra multos, magna confidentia certauerit.

Mores, &

Sanctus interitus.

LIBER XVI.

DE REGNO AD CAZIMIRVM DELATO, & post frequentes dilationes atq; dissimulationes suscepto. Caput I.

Post diuulgatum Vuladislai interitũ.

POsteaquam de clade Regia percrebuit, ingens mœror atque luctus mentes omnium peruasit: de Rege ipso, uiueretne, an cæsus esset, certum sciri non potuit: missi publicè in Thraciam, Ioannes Ressouius & Aegidius Suchodolius, perquisitum Regem, nihil tamen explorati poterãt referre. Cæterùm ubi cognitum est, Vngaros alium sibi Regem Ladislaum, posthumum Alberti Cæsaris filium nondum quinquennem, creasse: Poloni quoq; Comitia frequentia, de Rege creando, habuêre: atq; ibi in Sbignei Cardinalis sententiam, decretum factum est, ut Cazimiro, Vuladislai Regis fratri, Regnum mandaretur. Missi ergo Legati ad Cazimirum in Lituaniam, qui eum, re tota suspensa ad comitia, Petricouiam euocarent, ad consultandum in commune & constituendum de Repub. Polona, Rege orba. Et Polonorum quidem Legatos sine certo responso Cazimirus dimisit, suos uerò Petricouiam cum his mandatis misit: Debilitatum se ægritudine ex aduerso casu fratris, ueni re eò non potuisse: & immaturam sibi eam, de surrogando Rege, consultationem uideri: se quidem, dum adhuc incerta essent omnia, neq; Regnum neq; administrationem ullam suscepturum esse: uideri autem sibi, ut ij summæ rei præessent, quos Vuladislaus, in Vngariam discedens, Vicarios & Gubernatores constituisset. Non acquieuit

Cazimirus Rex electus & Ad comitia inuitatus,

Dum semel

quieuit in eo responso Conuentus: itaq; placuit, ut octo Principes Senatus ad Cazimirum mitterentur, ac disertè ad Regnum suscipiendum eum uocarent: si renueret, aut cunctaretur, alium sibi quæsituros esse. Perstabat in sententia Cazimirus, retinentibus eum Lituanis, qui lenis ac lenti Imperij dulcedinem sub Cazimiro degustarant: quare discedebant, re infecta, Legati, suo functi officio, quòd paternũ fraternũq; Regnum Cazimiro detulissent. Regina quoq; Cazimirum filium, ut saniore consilio uteretur, necquidquam obsecrabat: à Legatis tamẽ impetrauit, ut referre illi de re tanta ad Lituanorum & Russorum Conuentum liceret: ad octauum Idus Ianuarij sequentis anni, qui fuit post Christum natum 1446, eum certum responsum Polonis daturum esse. Vbi uerò tempus aduenit, frequens Senatus Nobilitasq; Petricouiam uenit: ueneruntq; sex Legati à Cazimiro & Lituanis, differri adhuc rem postulantes: quod ni fieret, bellum comminantes. Irritati hoc responso Poloni, alium Regem creare sibi statuunt: sed quum in mentem eis ueniret, Crucigeros, orto inter Polonos & Lituanos dissidio, uexaturos & infestaturos esse Poloniam, placuit Cazimiri animum adhuc pertẽtare. Missi itaq; ad id, Prædborius Conespolius Sendomiriensis, & Sciborius Sarleius Inouuladislauiensis Castellani, nihilo æquius responsum retulerunt: ideoq; ad uicesimã octauam diem, quum frequens Senatus Petricouiam conuenisset, cunctusq; (ut sic religiosius Reipub. consuleret) sacris Christi Iesu mysterijs procuratus esset, inita sunt de Rege creando suffragia: ea tamen conditione, ut Cazimiro, etiam tunc, acceptandi Regni locus relinqueretur. Et Episcoporum quidem sententiæ ferè in Fridericum Marchionem Brandeburgensem, qui iam antè gener & suc-

Atq; iterum

An. 1446.

Ac sæpius rem differre non cessat:

Senatus, sumpta quisq; Eucharistia,

N cessor

cessor Iagelloni Regi destinatus fuerat, inclinabant: prę ter Paulum Coizicium, Plocensem Episcopum, qui ad alterutrum de Ducibus Masouiorum, Vuladislaum uel Boleslaum, Regnum deferebat. Hunc secuti Ioannes Ci zouius Castellanus, Ioannes Tencinius Palatinus Cracouiensis, Lucas Gorcanus Palatinus Posnaniensis, & pleraque Nobilitas, Boleslaum Regem edebant. Itaque ex senatusconsulto Boleslaus à Vincentio Archiepiscopo Gnesnensi Rex renuntiatus, si Cazimirus ante Penteco sten mutatæ uolũtatis significationem nullam dedisset. Ibi iam Cazimirum (quum de ijs quæ Petricouiæ acta erant, celeriter certior factus esset) pœnitere uehementer consilij sui cœpit: ad matremque secretò misit, ut erratum suum, si quo modo posset, corrigeret. Nec segniter ea Proceres atque Nobilitatem pro filio prehensauit: effecitque, ut Minores Poloni Regem eum renunciarent, missa etiam ad Maiores Polonos Legatione: qui etiam, abrogata Boleslai electione, Legationem nouam ad Cazimirum decernunt, ut Parsouiæ secum, ad penultimam diem Septembris, Conuentum ageret. Conueniunt ergo Proceres ad constitutam diem: Cazimirus autem frustra exspectatus, & admonitus ut ueniret, negauit, ullam se significationẽ suæ uoluntatis de suscipiendo Regno dedisse: se tamen Breste uenisse: si quid fortè Poloni secum agere uellent, illuc ad se uenirent. Miserunt sex de Primoribus ad eum Breste: qui eam conditionẽ Legatis tulit, non aliter se suscepturũ Regnum, nisi Podolia, Luscum & Olescum, Lituanis redderentur. quam quum nostri non acciperent, & re infecta recedere pararẽt: Polonorum desiderijs assensus, ad octauum demum Calendas Iulij sequentis anni in Poloniã ad suscipiendũ Regnum uenturum se esse, recepit. Ita tũc discessum est.

Boleslaum Ducem Masouiæ Regem nominat:

Cazimirusque consilij pœnitens,

Per Reginã matrem prensat Senatum: & Factus uoti compos,

Post adhibitam rursus dissimulationem,

Regnum suscipit.

DE

DE CAZIMIRI CORONATIONE, CREbris incendijs, & Lituanorum postulatis. Caput II.

Anno autem Christi 1447 Cazimirus insigni Lituanorum & Russorum comitatu stipatus, Cracouiam uicesima quinta die Iunij uenit: insequenti, ritu solenni coronatus est: tertia (Castellano Cracouiensi de more coronam, Palatino sceptrum, Posnaniensi uerò Palatino pomum, & Sendomiriensi gladium præferentibus) in forum urbis, ad recipiendum ab oppidanis iuramentum, descendit. Accidit autem res ominosa inter solennes ceremonias. Nam quum de pagis aliquot Tinecensi monasterio subiectis pecudes pigneratæ, ob negatam Regi nouo inusitatam procurationem siue stationem, essent, mulieres rusticanæ, pecudes suas secutæ, eiulatibus & lamentis, non sine molestia & fremitu omnium, templum impleuerunt. Monasterium quoque Mogilense, quo die Cazimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuito incendio conflagrarat. Nec sanè fefellit omen: sensêre enim pressuram Ecclesiæ & monasteria hoc Rege regnante. Peractis uerò ritè cerimonijs, dimissisque, & extra portam honoris causa deductis Lituanis Proceribus, in Maiorem Poloniam comitante matre, profectus est. Vbi Posnaniam aduenit, tota urbs fortuito incendio conflagrauit: quam calamitatem infelicium ciuium, rapacitas Regij comitatus auxit. sed Rex in fontes supplicio capitis animaduertit. Lublinum quoque, Snena, Siradia, Bochna, & Xsanzum oppida eodem anno arserunt. Comitia deinde Petricouiæ, ad diem diuo Bartholomæo sacram, habita: in quibus leges quasdam Rex condidit, pacta cum Crucigeris approbauit, & in Lituaniam præproperè secessit.

An. 1447. Cazimiro Rege coronato, &

Post habita comitia in Lituaniam reuerso,

 quo

quo quidem facto, additi sunt animi improbis & scelera-
Furta, latrocinia, & incendia crescunt. ratis hominibus, ut furtis & latrocinijs non modò uias publicas, sed pagos etiam ac domos equestrium hominum, & oppida infestarent: Rege interim in Lituania uenationibus assiduis uacante, & neutiquam curante res Polonicas. itaque impunitate creuit licentia, adeò ut nostri quoque non pauci de Nobilitate latrociniorum societatem cum Silesijs & Vngaris inirent. Multorum tunc mercatorum merces prope Grabouiam direptæ: multi item pagi, in ora Veluněsi, direpti & incensi: Bendinum quoque oppidum dolo captum & exustum. Se-
An.1448. quenti anno Comitia cum Lituanis, apud Lublinum,
In Comitijs Lublinensibus, ad postulata Lituanorum habita sunt: postularuntque Lituani, ut sibi æquo iure fœdera cum Polonis essent: utque caput illud, quo Lituania Poloniæ Vuladislai Iagellonis diplomate adiungitur & inseritur, de fœdere tolleretur: itemque Podolia, Olescum, Lopatinum, & Grodlum territoria, quæ præter ius sibi adempta asseuerabant, redderentur. ad quæ ut
Poloni respōdent, de Lituania Poloniæ adiūcta, placidè Poloni responderent, Rex petiuit. Responsum à Polonis est, nullam commodiorem uiam ad retinendam concordiam esse, quàm ut Lituani Russique omnes, Polonorum Regno atque nomine, abrogato Principatu suo, censeri se deinceps uellent. quod quum illi ab-
Fœderum æquitate, & nuerent, tunc demum ad alia sic est eis respōsum: Quod enim attinet ad fœdera, rectè ea à Vuladislao & Vitoudo constituta esse: nec esse, quòd querantur fœderum iniquitatem, quibus libertatem, nobilitatem, & multa
Podolia iure possessa. præclara sunt adepti. Podoliam uerò, à Cazimiro Magno submotis Tartaris quæsitam, & Camenecia, Chaceno, Cecinis, Bacota, Mesiboso, arcibus, & quibusdam alijs castellis munitam, à Ludouico deinde possessam, ad Iagellonem quoque, unà cum Regno, peruenisse: ab eo

primùm

primùm Melstinio, deinde Suitrigelloni fratri, ad extremum Vitoudo, ad tempus concessam esse: morte autem Vitoudi ad Ius Polonorum rediisse. Ita tunc responsum Lituanis, Conuentusque solutus est.

DE MOLDAVICIS MOTIBVS, TARtarorum incursione, & Rege iusiurandum non præstante. Cap. III.

Rex deinde in Russiam profectus, ad sedandos mo- *Stephano & Helia mortuis,*
tus Moldauicos, Stephano & Helia Palatinis uita defunctis. Huic quidem Romanus, illi uerò Petrus, filij, in Principatu successerant: ex ijsque Petrus, Ioānis Hu- *Et à Petro*
niadis (qui Vngariā, pro Ladislao Rege, gubernabat) ope fretus, Romanum eiecerat: hunc itaque Cazimirus *Eiecto Romano moxq; necato, Cazimirus*
reducere studebat. in itinere autem certior factus, Romanum ueneno extinctum esse, accelerauit iter: Russosque Præmislienses, Leopolienses, Belsenses, Chelmenses, & Podolios, arma sumere, & se sequi, iussit. Camenenciam quum uenisset, ingenti Podoliorum lætitia & liberalitate exceptus est: inde Legatos ad Petrum Palatinum cum his mandatis misit, ut ille ad se ueniret, atque in *A Petro iusiurandum exigit:*
uerba sua iuraret. Ad præstandum iusiurandum uenturum se esse Petrus, accepta à Rege fide, recepit: uerùm Cazimirus, non exspectato Petri aduētu, missis ad eum quatuor Legatis, qui Chocimi promissum iusiurandum ab eo Consiliarijsque & Nobilitate Moldauica acciperent, ipse properè in Lituaniam (ut tempori ad Comitia Nouogrodecensia adesset) se recepit. Vix autem in Li-
tuaniam Rex uenerat, quum Tartari in Podoliam po- *Tartariq; Podoliam populantes*
pulabundi se diffuderant, ferro & igni cuncta uastātes: quos tamen Theodoricus Bucacius, Præfectus Podo- *A Bucacio reprimūtur.*
liæ, non leuibus incommodis affecit, multosque captiuos

 liberauit.

liberauit. Decembri demum mense Rex ad Comitia Petricouiensia reuertit. in quibus nonnulla salutaria statuebantur: sed ea cuncta mox irrita fuêre, quum Rex Proceribus petentibus solenne iusiurandum (quòd secundum leges Regnum administraturus esset) dare, & Regum acta & beneficia quæuis publicè & priuatim concessa rata habere (ne quid Lituanis suis detraheret) recusaret.

Salutaria statuta neglecta,
Propter Regem, iusiurandum præstare recusantẽ.

DE IVRISIVRANDI RECVSATI INCOMmodis, Alexandro in Valachiam contra Bogdanum reducto, & Tartarorum populationibus. Cap. IIII.

An. 1450. De furtis & latrocinijs nõ inquiritur,

SEquenti anno, nempe 1450. Conuentum Rex egit Cracouiæ cum Minoribus Polonis, de inquirendis & cohibendis furtis & latrocinijs. & placebat quidem Primoribus, inquisitionem uulgò haberi: uerùm Ioannes Tencinius, Palatinus Cracouiensis, eam rem dissuasit: non quòd is faueret furibus, sed quòd agi quidquam & statui publicè cũ Rege nollet, aduersus uniuersæ Poloniæ cõsensum. Conuenerat enim inter Proceres superiorib. Comitijs, ne pro iusto Rege Cazimirũ haberent, quoad is iusiurandum, quod à se petebatur, præstitisset. In Valachia Petro Palatino mortuo, Bogdanus quidã, qui se nothum Alexandri Palatini filium præ se ferebat, Dominatum apud Valachos inuasit. Supererat quidem adhuc Heliæ filius Alexãder, cum matre sua profugus: atq; is reductus paulo antè fuerat, iussu Regis, à Ioanne Sennenio, Bogdanusq; eiectus: sed quum Sennenius copias reduxisset, Bogdanus, qui in montana se abdiderat, Alexandrum rursus eiecit. Ac deliberatum quidem est in Consilio Regio, an Rex Valachiam omnino subigeret, atque in Prouinciæ formam redigeret, attributis Ale-

Neq; quidquam fit publicè,
Donec Rex iuret.
Post Petri mortem Bogdanus
Alexandrũ Reductum
Rursus eijcit:
Dumq; non placet Polonis Valachiã

Alexandro puero bonis in Russia: sed res magnæ difficultatis uisa in feroci populo, & externi Dominatus impatiente, & propter Turcarum uicinitatem, qui Bulgariam & ulteriorem Danubij ripam tenebant. Consultius ergo uisum, ut alienis uiribus, & alieno periculo, tam potentem hostem à se arcerent: ideoq; Odrouanzus cum Conespolio, reducere iterum Alexandrũ cum Valachis, Podolijs & Russis, iussi sunt. Bogdanus, imparem se hosti animaduertens, in nemora sese cum suis abdidit: pacemq; postea à nostris impetrauit, ea lege, ut Alexãdri nomine, donec is ad quintumdecimũ annum perueniret, Valachiæ præesset: Regiq; septuaginta millia (quemadmodum Dlugossus scriptũ reliquit) Turcicorum aureorum, equorũ certum numerũ, & pecorum greges, quotannis penderet. Pace autem facta, reuertebantur nostri: & Bogdanus circũductis suis, syluã apud Crasne pagũ insedit, nostrosq; aggreditur: illi uerò honestè potius occumbere, quàm turpi & fugæ simili receptu perfido hosti incruentam uictoriam cõcedere, eligunt. Fortiter itaque resistentes hosti, insperata & cruenta uictoria potiũtur. Multos enim fortes uiros amisere, atque in ijs Principes, Odrouanzum Palatinũ, & Michaelem Bucacium. pugnatũ uerò est à manè ad uesperam. Non multo pòst Tartari, ubi de strage Nobilitatis Russicæ accepere, magno impetu in Podoliã atq; Russiã, usq; ad Grodecũ oppidũ, populabũdi excurrerũt: abactaq; ingẽti hominũ, pecudũ & iumentorum prȩda, incolumes ad suos se receperunt. Inde mœror atq; luctus, ac metus etiã, geminato malo, nõ modò Podolios atq; Russos, uerũ omnes etiam Polonos afflixit: quũ nemo esset, q(si quid mali rursus ingruisset) succurreret, Rege in Lituania commorãte. Venit tandẽ Rex Cracouiam,

redigere in formam Prouinciæ,
Sed Alexandrum rursus reducunt,
Et pacẽ dant Bogdano,
A Bogdano circumuenti
Cruentã consequuntur uictoriam:
Indeq; Tartari Podoliam & Russiam, Nobilibus uacuam, pro suo prædantur arbitrio.

Rex à Sbigneo correptus

ubi Sbigneus Episcopus, arrepta occasione, grauiter Regẽ de criminibus increpuit: testatusq́ȝ est, eum fore reum omnium, quæcumque hominibus & ditionibus

Redit in Lituaniam.

ipsius aduersa euenerunt, & euentura essent. Nihil autem ista Regem mouebant: qui in Lituaniam iterum, ad uenationes suas, secessit.

DE LVSCO LITVANIS A SVITRIGELlone tradito, Rege liberrimè à Sbigneo redarguto, & promissione iurisiurandi extorta.

Caput V.

An.1452.

Suitrigello moriens Luscum tradit Lituanis.

ANno demum, qui fuit 1452, Suitrigello Dux moriens Luscum Lituanis, ad hoc turmatim accurrentibus, tradi mandauit, immemor & illorum maleficij, & Polonorum beneficij: quum illorum opera, arcem illam atq́ȝ ditionem amisisset: horum uerò beneficio recuperasset, ac iureiurando sese & Præfectos suos, Nobilitatemq́ȝ omnem obstrinxisset, mortuo se, non nisi Polonis parituros. Magni inde motus in Polonia extiterunt:

Polonis in Regem frementibus propter Luscum & Episcopum Præmisliensem,

fremebantq́ȝ uulgò in Regẽ, tum ob Luscum, conniuente Rege (ut creditum est) interuersum, tum ob Episcopam Præmisliensem Nicolao Blascouicio homini externo, nempe Silesio, delatam: habitaq́ȝ sunt nõnulla, eas ob res, à Minorib. Polonis & Russis conuenticula:

Armaq́; Luscũ mitti uetantibus,

præceptumq́ȝ est Thesaurario, & Salinarum Præfecto, ne qua arma Luscum, quamuis mandante Rege, mitterent.

Rex de Sbigneo & Palatinis Cracouiensi & Sendomiriensi

Apud Maiores Polonos

Hęc ubi Regi nunciata sunt, grauiter in Sbigneum Cardinalẽ, & Palatinos Cracouiensem & Sendomiriensem, exarsit: ac questum de ijs ad Maiorum Polonorum Conuentum misit, quasi illi Regnum sibi abrogarent, & reditibus Polonicis interdicerent: petiuitq́ȝ, ut Sendomiriam ad Pentecosten, uindicandæ contumeliæ suæ causa,

causa, ueniret. Venere quidẽ illo Ioãnes Vuladislauiẽsis Episcopus, Lucas Gorcanus Posnaniẽsis, Nicolaus Sarleius Brestẽsis, & Boguslaus Inouuladislauiẽsis, Palatini: nec tamẽ Rex uoti compos factus est, quũ omnibus

Frustra queritur:

cõstaret, illos quos Rex accusabat, immeritò ac falsò delatos esse, idq́ȝ quod facerent, è Reipub. cõmodo fecisse. Vbi aũt uenit Rex Cracouiã, uenẽre & Senatores quos accusabat, quadã die in Consiliũ: & grauiter cum Rege

Redargutusq́ue grauissimè ab ijsdem

expostularũt, quòd assentatoribus aures accõmodaret, & se pro hostibus traduceret, atq́ȝ infamiæ notã sibi studeret inurere: paratos se esse, purgare omni ratione. Sbigneus tũc quoq́ȝ pro omnib. uerba fecit, & omniũ peccatorũ grauiter Regẽ admonuit: adiecitq́ȝ, se deinceps abstinere uelle Cõsilio Regis (ne eius peccata approbare uideret:) sed nihilo tamen minus Ecclesiarũ, monasteriorũ, Reip. ipsius, pupillorũ & uiduarũ causis, uel cũ periculo uitæ suæ, se defuturũ professus est. Subiecerũt itidem Cracouiẽsis & Sendomiriẽsis Palatini, eandẽ suam esse sentẽtiam: & cum dicto omnes de Cõsilij loco excesserũt, cęteri Cõsiliarij, qui aderãt, tacitè quidẽ eorũ sententiã fere approbare uidebantur: sed Rege irritato, mutire

De Consilij loco excedentibus,

nõ sunt ausi. Venerãt illo tẽpore ad Regem nõnulli Duces uicini, aderãtq́ȝ et aliorũ Legatiões: pudebat aũt Regẽ dare his audientiã, Primorib. Senatus in Consiliũ nõ uenientibus: itaq́ȝ actũ cum his est, ut omnia integra ad proxima Comitia penderẽt. Ita ergo illis delinitis, auditæ & dimissę sunt Legationes.

Ad Comitia refert integra omnia.

Cum Rege deinde in Comitijs Siradiæ habitis, de iureiurando & confirmatione importunius actum: atq́ȝ is in angustũ redactus, annum adhuc unũ impetrauit, ut interea Luscum, & primarias munitiones Lituanię, in potestatem suam redigeret, thesaurumq́ȝ Lituanicum in Poloniam transferret: utque

Et iusiurandum atq; confirmationem facere promisit.

O hæc

hæc rata fierent,ſyngrapha ſiue diploma(quod de ea re fidem faceret)ab eo exactum,& Regis ac omnium illorum ſignis obſignatum,Archiepiſcopo aſſeruandũ concreditum eſt:atq; ita Conuentus ille ſolutus.

DE TARTARIS POPVLANTIBVS PROfligatis,Palatino Moldauiæ ſuſcepto,Lituanorum Legatione repulſa,Rege redarguto eiusq́; iureiurando. Cap VI.

Tartari, Podoliam populantes,iterũq; reuertentes,

SVb illud tempus Tartari iterum in Podoliam populabundi excurrerunt:& quũ ſe recedere ſimulaſſent, reuerſi quater, eos qui è latebris ad meſſem prodierunt circũuentos in miſerã ſeruitutẽ abegerunt: Rex uerò in Lituaniam,quamuis dira peſte afflictam,ad uenationes ſeceſsit. Compertum eſt autem, à Lituanis eos immiſſos fuiſſe. Mox enim ij Radiuilum Hoſticouitium cum amplis muneribus, ad Barbaros remunerandos, miſerunt. Iidem Tartari, 1453 anni initio, in Lucenſem & Oleſcenſem oram excurſionem fecerunt, & ad nouem millia captiuorum, ingentemq; aliam prædam abegerunt:ijdemq; iterũ ad Paſcha, aucti numero, Trebouulienſem agrum depopulati ſunt. quos inſecuti Ioannes Laſcius Zbicouienſis, Ioannes Nemez Latiſſouienſis, & Matthias Mediboʒẽſis,Præfecti, magna ſtrage profligarunt,prædamq; omnem excuſſerunt: reliquias uerò,fuga diſsipatas,Braslauienſes exceperunt: eaſq; partim trucidarunt, partim captiuas Regi miſerunt, ita ut ne unus quidem euaſiſſe exiſtimetur. Per hoc tempus Alexander Palatinus Moldauorum,quum paternũ Dominatum,adiuuãtibus Polonis,recuperaſſet:in fide Regis atq; Polonorũ ſemper ſe fore,iureiurando coram Legatis dato,& literis cõſignatis,unà cum Proceribus ſuis profeſſus eſt:& ſocietatem belli totis uiribus,cõtra Tartaros,

A Lituanis immiſsi:

An.1453.

Iidemq; ſecundò &

Iterum idem facientes,

Profligati &

Capti atq; deleti.

Palatinus Moldauiæ in fide Regis.

taros, & alios quoslibet hoſtes, promiſit. Menſe Iulio Rex,ad Parſouiã,Polonorũ ſimul & Lituanorũ Comitia habuit:uerùm ad ea Lituani Proceres nõ adfuerunt: Legationẽ modò miſêre,quæ uſitatã illam, de corrigendis fœderibus,reddendaq; Podolia & Volinia,cantilenam occineret:ſed quum ea iniqua fuiſſet,uacua dimiſſa eſt Legatio. Deinde auditæ Legationes Vuladislai & Boleslai,Maſouiorũ Ducum:qui querebãtur, Ticocinũ & Gonanzũ oppida à Lituanis ſibi eſſe intercepta. quibus quũ Rex,inconſulto Senatu,non ſine cõminatione reſpondiſſet, grauiter à Sbigneo Cardinali obiurgatus eſt:Non eſt Regiũ,inquit, aſperioribus dictis aut factis quenquã lædere:inter apes quoq; Regem aculeo carere: "Maſouios Duces honorificè acceptũ oportuiſſe, quippe qui ſocij & cõſanguinei Polonorũ,& propinqui Regis ipſius eſſent: ad hæc cauſam illã ad uniuerſam Poloniam pertinere.Approbarũt Sbignei dicta cęteri Senatores,& gratias ei egerũt: itaq; moderatior Rex deinde in Legatos fuit. Parſouio ad alia Comitia, Petricouiam ad Natalem Ioannis Baptiſtæ indicta,itum eſt. ibi prolata eſt ab Archiepiſcopo Regis ꝓmiſsio,diplomate cõſignata:poſtulatũq; à Rege,ut ei promiſsioni tãdẽ ſatisfaceret.Sumpta ad deliberandũ die,reſpõdit:Nõ licere ſibi aduerſum priori iureiurãdo, quod Lituanis dediſſet, iuſiurandũ dare:daturũ tamen,ſed uti Regẽ modò Polonorũ,nõ etiam ut Lituanorũ Principem. Captioſum id iuſiurandũ uiſum eſt.Itaq; inſtare Proceres unà cum Sophia Regina Regis matre, ut captione illa rex abſtineret: Lituanos à ſuo contubernio amoueret: quatuor de Primorib.Senatorũ Polonorũ,publicè deſignãdos,ſemper in Conſiliũ adhiberet, ac de illorum ſententia cũcta ageret: quæ pręter ſententiam ipſorum acta uel decreta

Lituanorum Legatio de fœderibus & Podolia reijcitur.

In Duces Maſouios de Lituanis querentes Rex acerbior,

A Sbigneo corrigitur.

Diplomate Regis prolato,

Iuramentum ab eo tergiuerſante

Mira Procerum magnanimitate

forent, ut irrita essent. ni hæc faceret, diutiùs nõ esse exspectaturos, quin sibi Reiq; suæ publicæ aliter prospicerent: dictisq; facta subiecerunt, quum data & accepta fide mutuò sese obstrinxerunt, neutiquam defuturos esse patriæ. His tandem tam importunis postulatis, atque etiã minis motus Cazimirus, iusiurandũ, quale petebatur, dedit. In nonum usq; diem tunc durauêre Comitia: quod quidẽ uelut nouũ & inusitatũ, Dlugossus memorat. quomodo is nunc acciperet, quum in tertiũ, interdũ in quartum etiam mensem protrahi illa cernimus?

Extorquetur:

Comitijs tunc ad nonũ diẽ protractis.

DE PRVSSORVM CVM CRVCIGERIS MOtibus, de connubio Regis & Ioanne Capistrano, Prussiaq; in deditionem accepta.

Caput VII.

PEr hæc tẽpora maiores in Prussia motus, à Nobilitate et oppidanis, cõtra Crucigeros extiterũt: q magnitudine iniuriarũ & contumeliarũ permoti, cõspiratione inter se facta, plerasq; munitiones & oppida in potestatẽ suã, exactis Crucigeris, redegerũt: missaq; ad Regẽ splẽdida Legatione, ea omnia, se que, & omnem Prussiam, Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem terram, ei dederunt. quo tempore nona die Februarij noua nupta Elizabeta, Alberti Cæsaris filia, Cracouiam splendido comitatu aduenit, à Rege ipso, unà cum matre obuiam ei profecto, deducta. Honos eius matrimonij copulandi Ioanni Capistrano delatus est: sed quoniam is neque Germanicam, neque Polonicam linguam callerет, Sbigheus Cardinalis id peregit: Archiepiscopus uerò Sacris operatus, nouam Reginam inunxit ac diademate coronauit. Porrò Capistranus hic Italus non ignobilis fuit, de Ordine Franciscanorum qui se Bernardinos appellant, doctrina & sanctimonia uitæ pollens,

Prutheni iniurijs Crucigerorũ permoti

Dedunt se Regi.

Rege uxorem ducente,

Sbigneus matrimoniũ copulat, & Archiepiscopus Reginam coronat:

Capistranus autem,

lens, usqueadeò, ut multis miraculis eam comprobaret. Susceperat autem peregrinationem, Boemorum maximè ad rectam Religionem reducendorũ gratia: & quum ea in re non multum apud Boemos profecisset, à Sbigneo Cardinali accitus, anno superiori Cracouiam, effusa ei obuiam omni penè ciuitate cum sacerdotibus & Episcopo, atque ipso etiam Rege & Regina, aduenerat: & posita in foro, ac deinde hyberno tempore in æde Virginis Matris cathedra, quotidie per interpretem ad populũ conciones habebat, & multos ægrotos Diuina uirtute sanabat. Hic auctor fuit Sbigneo, ut cœnobium, omnium primum in Polonia, suis sodalibus sub arce ad Australem portam urbis conderet. Posthęc Prussorum Legati, in Senatum introducti, facta audientia prolixè exposuerunt, quibus artibus Crucigeri Pomeraniam, & Michalouiensem tractum, Polonis interuertissent, quemadmodũ Masouiam in solitudinem redegissent: commemorabant rapinas, stupra & libidines, in uxores liberosq; suos nefariè commissa: libertate omni priuilegijsq; se spoliatos, seruorum aut pecudum in morem tam impotẽtibus dominis addictos esse, querebantur: orabantq;, ut Rex cum Senatu & se & oram suam, olim partim dolo, partim per uim ac per summam iniuriam à Polonia auulsam, & quæ Polonis etiam à sede Apostolica adiudicata fuisset, in clientelam suam susciperet. His itaq; precibus impulsi Rex atque Proceres Poloni, ne tam luculentam & insperatam occasionem recuperandi ea, quæ Maiores sui olim amiserant, uix unquam postea redituram, sibi elabi paterentur: deditionem Prussorũ accepêre: missiq; extemplò in Prussiam, Andreas Episcopus Posnaniensis, Ioannes Conespolius Cancellarius Poloniæ, iusiurandum ab uniuersa Nobilitate

A Boemis contemptus,

A Polonis uerò honorificè susceptus,

Concionatur, &

Cœnobium construit.

Prussorum Legatione audita,

Prussi in clientelam recipiuntur:

litate & ciuitatibus, concepta formula in uerba Regis datum, acceperunt: arces uerò, quibus Rex iusserat, traditæ. Ipse etiam Rex in Prussiã deinceps, magna & splendida Procerum caterua comitante, profectus est: ibi Toruni, Elbingæ, & Gdani, iteratum fuit à Proceribus, Nobilitate, & ciuitatibus, solenni ritu iusiurandum, in uerba Cazimiri & successorum eius Regum Polonorum. Episcopi quoq; tres, Culmensis, Pomesaniensis, & Sambiensis, cum suo quisq; sacerdotum collegio in uerba e-ius iurarunt: quartus Varmiensis apud Crucigeros Marieburgi erat, sed collegium eius iusiurandum dedit. Ladislai deinde Regis Legati Boemi uenerunt, expostulantes cum Rege, quòd suo Rege incõsulto deditionem Prussorum accepisset, qui & Patronus Crucigerorum esset: & Prussiam nuper omnem, interueniente Alberto Friderici Marchionis Brãdeburgensis fratre germano, à Crucigeris in deditionem accepisset: interim autem, ut Cazimirus ab inferendo Crucigeris bello supersederet, admonebat. Ridiculè superba & arrogans uisa nostris est Legatio, neq; à miti Ladislai ingenio profecta (quod paulo pòst secreto ipsorum Legatorum iudicio compertum est) itaq; ad eam Legationem nihil aliud respõsum est, nisi Cazimirum nunquam recepisse Ladislao, quòd ipso inscio Prussos in deditionem accepturus non esset. Ladislaus uerò quũ è Legatis suis reuertentibus responsum Cazimiri cognouisset, iterum ad eum properè misit, priorem Legationem corrigens: & pollicẽs, non obstaturum se esse, quò minus ille omni Prussia potiretur. Grata hæc fuit Legatio Regi: itaque missi in Boemiam, Ioannes Tencinius Palatinus Cracouiẽsis, & Petrus Samotulius Castellanus Posnaniensis, ut uolũtatem illam Ladislai confirmarent. At Cazimirus Comitia Prussorum,

Et Ladislaus Rex Boemiæ, Pòst factam expostulationem,

Factum Cazimiri approbat.

Comitia cum Prussis habita, &

rum, apud Grudentum, habuit: ibiq; tributum siue exactio, certa in capita, constituta est, unde emerita stipendia mercenarijs Boemis exsoluerentur: pro Boemis autem aulicum suum comitatum Rex ad obsidionem Marieburgi misit, præfecto ei Ioãne Scecocinio, Lublinensi Capitaneo. Decretum etiam, ut sedecim de Nobilitate & ciuitatibus Prussicis allecti, à Consilijs Regi essent, qui cum eo de Republica Prussica consultarent, summoq; iudicio præsiderent: & cæteræ libertates illis concessæ, quæ priuilegijs, statuto insertis, continentur.

Libertates eorum.

DE POLONIS A CRVCIGERIS PROfligatis, Sbignei Cardinalis & Boleslai Ducis morte. Caput VIII.

Aduenêre deinceps, Pontificis Maximi, Imperatoris, Principum Electorum, Philippi Burgundiorum & Ludouici Bauarorum Ducis, ac totius Germaniæ nomine, Legati petentes à Rege, ut Crucigeris, si quid deliquissent, data uenia, Prussiam omnem redderet: atq; ad bellum Turcis inferendum, recuperandamq; Constantinopolim, secum arma coniungeret. Rex uerò (quò diutius Germanos, bellum contra se molientes, suspensos teneret) nihil aliud respondit, quàm suos se Legatos ad Francofordiensia Comitia, de rebus ijs, missurum esse. Pugnatum est postea cum Crucigeris, ac eorum milite mercenario, ad Choiniciam: imperitiaq; ducum nostrorum, fusi Poloni. Nec uerò tam grauis, quàm ignominiosa ea clades nostris fuit, utpote fletibus sacerdotum, monachorum, uiduarum, pupillorum, & agrestium (quorum facultatibus Maiores Poloni, ad id bellum proficiscentes, crudeles manus adiecerant) expensa. Itaq; Crucigeri Marieburgi & Brodniciæ obsessi, ubi

Pòst Oratores pro Crucigeris

Absolutos

Vincuntur ab eis Poloni,

Bonis sacerdotum, &c. manus adijcientes,

Crucigerisq; ex uictoria exultãtibus,

de ſuorum ſucceſſu certiores facti eſſent, nimia lætitia, quaſi debellatū iam eſſet, exultauêre: ac glorioſi uniuerſam Germaniam fama uictoriæ ſuæ, in immenſum extollenda, impleuerunt: Pruſſos uerò, dimiſsis quoquouerſum nuncijs, uenia & impunitate propoſita, ut ad ſe rurſum ſus à Rege deficerent, ſolicitabant. ſed ſurdis hæc auribus canebantur. Rex autem ipſe, Præfectis, Culmenſi quidem Andreæ Tencinio, Pomeraniæ uerò Petro Samotulio Caſtellano Poſnanienſi, inferiori autem Pruſſiæ Ioanni Colda Boemo, & omni mercenario milite ijs parêre iuſſo, in Poloniam diſceſsit: atque inde in Lituaniam profectus, ut Lituani ſocia cum Polonis arma aduerſus Crucigeros coniungerent (quod detrectarant) perfecit. Per hoc tempus Sbigneus Cardinalis & Epiſcopus Cracouienſis, quum Sendomiriæ Quadrageſimam ferè omnem arctiore abſtinentia peregiſſet, ac die Palmarum publicè ſacris operatus eſſet, ibidem uitam cum morte commutauit: quum triginta duos annos Epiſcopus fuiſſet, uixiſſet ſex & ſexaginta: uir magnus, pupillorum & uiduarum patronus, in egenos liberalis, Eccleſiæ uindex atq; defenſor acerrimus, Reipub. ſtudioſiſsimus, minarum periculorumq; contemptor. Sandeciæ nouæ Collegium ſacerdotum cum Prælatis inſtituit: facultates uerò ſuas egenis & ſtudioſis, Eccleſijs item & monaſterijs, propinquis præteritis, teſtamento legauit. Sbigneum ſeptem ferè menſibus præceſsit Boleslaus Dux Maſouiorum, prudens, modeſtus & religioſus Princeps: qui quatuor filios, Conradum, Cazimirum, Boleslaum, & Ioannem, duasq; filias, Annam & Sophiam, ſuperſtites reliquit.

Et Pruſſos ad ſe ſolicitantibus, Rex

Lituanos Polonorum exercitui adiūgit.

Sbignei mors, & Mores, & Teſtamētum.

Boleslai Ducis mors, & Liberi.

DE

DE MARIEBVRGO, &c. PECVNIA EMptis, & aduerſa noſtrorum fortuna.
Caput IX.

At Rex rebus Lituanicis compoſitis, in Poloniam uenit, atq; cum Proceribus de pecunia ad Pruſsicum bellum paranda cōſultauit. Quæ quum tanta, quanta opus fuit, ex alijs penſionibus colligi non poſſet: placuit, ut Rex pariter & Eccleſiaſticus & Equeſtris uniuerſus Ordo dimidium annuorū cenſuum cōferrent, ne honorum quidem & magiſtratuum fructibus exceptis: oppidani uerò, mobilium bonorum æſtimatione facta, ut binos à marca groſſos penderent: agreſtes unum groſſum, in capita marium & fœminarum: Equeſtres deniq; homines, qui nullos haberent agricolas & adſcriptitios neque cenſus, uicenos quaternos groſſos: lectiq; ſunt Quæſtores, qui eam pecuniam ex Republ. diſpenſarent. Aurum inſuper & argentum ſacrum, è Cracouienſi templo importunè flagitatum, conſtanter ab Epiſcopo Cracouienſi Thoma Strempinio (qui Sbigneo ſucceſſerat) negatum eſt: placatusq; Rex, quinq; millibus florenorum Epiſcopi & ſacri Collegij fide à mercatoribus acceptis, ut Rex ea poſtea ſolueret. His peractis, Cazimirus, auctus filio Vuladislao, necquidquam retinentibus eum Proceribus, in Lituaniam, ad ſedandos motus ibi concitatos, profectus eſt. Flagitantibus autem Pruſſis atque Polonis, è Lituania iterum in Poloniam ad Petricouienſia Comitia uenit: atque ita ad Colenſem Maiorum Polonorum Conuentum profectus, impetrauit à Nobilitate eius oræ, ut, quoniam pecunia deeſſet in ſtipendium, ipſa Slochouiam, Suece, ac Tucholiam, arces Pomeraniæ, tuēdas ſuſciperet. Deinde in Pruſsiam Gdanumq; diuertit: ubi exſoluta militibus hoſtium conuenta

Pecunia ingenti ad bellū Pruſsicum comparata,

Theſauro tamen Eccleſiæ denegato,

Cazimirus filio Vuladiſlao auctus,

Pecuniam militibus exſoluit: &

P

uenta pecunia, nempe quater centenis septuaginta sex millibus florenorum, Marieburgum, Gilauiam, atque Dersauiam, ab eis recepit: maximè uerò studium Vdalrici Ceruoncæ, Præfecti præsidij Marieburgensis, cuius auctoritate milites fidem non mutarunt; quinquaginta sex millibus florenorum remuneratus est. Marieburgo quoque ipsum præfecit: ipse uerò Bidgostiam se recepit. Quum uerò in Prussia, maiore ex parte, aduersa fortuna nostrorum res gereretur, & Marieburgum oppidum, ab oppidanis quibusdam, Crucigeris proditum esset, arce tamen à Ceruonca defensa: perfecit apud Maiores Polonos, ut in centenas marcas annui census, singulos hastatos equites mitterent (hastati autem unius nomine, apud Polonos, tres equites continentur: nempe hastatus unus grauioris armaturæ, cum duobus balistarijs:) ciuitatibus uerò pedites imperat. quorum quidem sex millia pariter cum equitibus fuere: eaque Marieburgum, ductore Sciborio Chelmio, Præfecto Maioris Poloniæ, missa sunt. Atque is exercitus unà cum auxilijs Gdanensium & Elbingensium satis habuit, hostes importando in oppidum commeatu prohibere. nec elici ad pugnam ab hostibus potuit.

Marieburgum, &c. accipit,
Fide Ceruoncæ remunerata,
Nostris aduersa fortuna rem gerentibus,
Hastati equites
Cum peditibus
Parum operæpretij faciunt.

DE NOSTRORVM À TARTARIS CLAde, expeditione in Prussiam parum utili. fœdere cum Georgio Boemo, & Crucigeris insigniter uictis.

Caput X.

NEc Podolia, per id tempus, tumultus & incommodi exors fuit. Nam Tartari populabundi improuisò in eam oram incursionem fecere: in quos Bartholomæus Præfectus Podoliæ, cum Ioanne Lascio Succa-

Tartari Podoliam populantes, nostros fortiter pugnantes

Succamerario, impetum quum fecissent, primumque agmen fudissent, à multitudine Barbarorum alterius agminis, pauci in orbem circumuecti, ad internecionem (non multi tamen) profligati sunt. Expeditio deinde uniuerso Regno in Prussiam, Comitiorum Petricouiensium decreto, indicta: itaque exercitus omnis ad Gneucouiam conuenit: inde, Vistula nauali ponte transmisso, ad Papouiam castra metata sunt. Interceperant eam arcem fraude hostes: quam nostri, summa ui obsessam, expugnarunt, Regeque iubente diruerunt. Ad Marieburgum postea itum est: ibique nostri castra posuère, ac desides ibi tempus triuère, ludificantibus eos spe pacis Crucigeris: tandem uerò induciæ cum hostibus uiginti mensium confectæ sunt, ea conditione, ut intra id tempus octeni utrinque arbitri pacis apud Culmam conuenirent. Dum hæc ita fiunt, uniuersa Nobilitas, longioris moræ impatiens, iniussu Regio domos discessit: Rex etiam discedentem exercitum sequi coactus est, nequidquam retinentibus eum Prussis, & maximè Gdanensibus, qui ei in quatuor millia militum stipendium, si apud Marieburgum manere uellet, pollicebantur. sed uxoris desiderium ei fuit antiquius, ut ait Dlugossus: quæ quidem, per eos dies, Cazimirum filium Cracouiæ peperit. Factum est id anno 1458. Quamobrem eò contendit: ibique Legatos Georgij Podebradij, noui Regis Boemorum post Ladislaum, audiuit, fœdus petentes, & ingentia auxilia contra Crucigeros, Regnique successionem Cazimiro (quæ, secundum Ladislaum, hæreditario iure ad uxorem liberosque eius pertineret) pollicentes. His responsum est: Regem fœdus & amicitiam cum Boemis semper coluisse: cupere uerò, ut mutuum ab eis fieret:

Ad internecionem delet.
Post expeditionem generalē in Prussiam.
Papouiam dirutam,
Et ad Marieburgum desidiam,
Induciæ factæ: &
Nobilitatem abeuntem sequitur Rex,
Amans coniugis,
Cazimirum parientis.
An. 1458.
Georgij Boemorum Regis Legati.

Georgium non male facere, si Regnum Boemorum legitimis hæredibus relinqueret. Comitia deinde ad medium Ianuarij, sequenti anno, Petricouiæ habita. Ibi decretum est, non ex fide atque dignitate Regis & Polonicæ ditionis fore, Prussos socios deserere. & quamuis bellicas impensas centum millibus redimere, uiginti millium tributum Regi quotannis pendere, duo uexilla auxiliaria ad quoduis bellum Polonis mittere, Crucigeri dicerentur: non consultum tamen uidebatur, sua olim amissa, nuperque recuperata, rursus prodere aut uendere: neque diuturnam pacem eo precio redimi, sed perpetuorum hostium uires refici & opes augeri. Missi tamen octo de Proceribus (quemadmodum cum Crucigeris conuenerat) in Prussiam, ad agendum de pace: sed re infecta redierunt. Per hoc autem tempus mercenarij milites, in inferiori Prussia, insignem de Crucigeris reportarunt uictoriam: nec multum abfuit, quin Ludouicus Magister uiuus in potestatem eorum ueniret. Præda uerò ingens reperta, ita ut uiceni aurei in milites diuiderentur. Igitur de pace rursus agi cœptum à Crucigeris, & induciæ renouatæ.

Prussi socij ne deserantur, decretum: &

De pace actum frustra:

Victique Crucigeri insigniter cum Magistro Ludouico,

Pacem petunt.

DE CONTRIBVTIONE AD BELLVM *Prussicum non facilè impetrata, & Legatione ad Pontificem.* Caput XI.

Craconiensis tractus Legati, accepta fide publica,

Comitia autem Petricouiæ habita sunt: ad quæ Craconiensis tractus Legati, siue nuncij, uenire detrectarunt, nisi fides publica à Rege sibi daretur. Acceperant enim, Regem aulicum suum Comitatum in armis esse iussisse. Nam erat is admonitus, consilia ab illis contra se inita esse. Erat res noua, & inaudita: sed tamen, ne qua maior turba exsuscitaretur, datum hoc illis est.

est. Principes eius Legationis erant, Ioannes Rithuanius Præfectus Sendomiriensis, Ioannes Tarnouius, & Ioannes Melstinius, homo magno animo & lingua promptus: isque tunc uerba fecit. Cuius quidem orationis eius hæc ferè capita fuêre: Vt Rex, quæ Lituani, eo indulgente, possederant, Luscum scilicet ac Russiæ partem, redderet: monetam leuem ne cuderet, adulterinam submoueret: Ius uiduis & pupillis redderet: magistratuũ impotẽtiam & petulantiam refrenaret: Regnum omne, pro debito suo, furtis & latrocinijs purgaret: Poloniæ commoda & ornamenta ne minoris, quàm Lituaniæ, faceret. Quod si faceret, nullos labores, nullos sumptus graues futuros: sin repulsam paterentur, nihil extra ordinam rei ab illis exspectãdum esse. Modestè ad hæc à Rege, culpã à se remouente, responsum est: sed tamẽ re infecta, Comitia soluta sunt: Maioribus Polonis senũ grossorum de iugero pensionem nõ abnuentibus: minorum uerò Legatis negantibus, factam sibi esse potestatem à Nobilitate, alicuius oneris suscipiendi. Igitur alia Comitia, ad sextam diem Decembris, eodẽ indicta. ubi quum Regis Senatusque placito uiginti de Primoribus, qui de Repub. consultarent statuerentque, delecti essent: & Rex, correcturum se esse deinceps peccata à Nobilitate sibi obiecta, recepisset: iugeralis duodenûm grossorum exactio, & telonium omnium mercium omnibus, quicunque lucrum sectarentur, in annum imposita: ab Ecclesiastico uerò & Equestri Ordine octaua pars censuum promissa Regi, in stipendia militantium in Prussia. Inde etiam Iacobus Senenius, Gnesnensis Præpositus, ad Pontificem Pium secundum (Aeneas hic Syluius fuit) missus est, ut ei de more gratularetur, & in potestate eius Regem fore profiteretur. Petebat idem de transferendis Cruci-

Regi peccata exprobrant,

Dumque Rex non impetrat contributionem,

In alijs Comitijs

Id est perfectum.

Ad Pontificem Legatus.

geris ex Prussia in Tenedos insulam: uerùm id impetratum non est.

DE CLADE CRVCIGERORVM, IOANNE *Alberto & Alexandro natis, Tencinio in tumultu Cracouiensi cæso, & pace cum Boemis firmata.*

Caput XII.

An.1459. Crucigeri

Ad defectionem solicitantes,

Per dolum concisi.

SEptembri mense anni 1459. Crucigeri non contemnendam cladem acceperunt, apud Passeneimũ oppidum inferioris Prussiæ. Nam quum cõtra id quod in inducijs conuenerat, oppidanos eius oppidi Regias partes secutos, ad defectionem solicitarent: illi re cum Præfecto præsidij Regij Michaele, cognomento Sromothny communicata, mitti sibi præsidium à Crucigeris postularunt. Missi quingenti equites cum ualido peditatu: ac cæteri quidem foris manere iussi, trecenti modò equites intromissi, ab armatis nostris facilè concisi sunt. quo dolo animaduerso, reliquum agmen fuga sibi consuluit.

Ioannes Albertus natus. An.1460. Marieburgũ oppidum deditum, &

Quizinum cum Varmia capta.

Sub finem anni huius, Elizabeta Regina Ioannem Albertum filium peperit. Sequenti anno Marieburgenses oppidani, quatuor ferè menses à nostris obsessi, oppidũ (quod propè iam aberat, ut cuniculis actis caperetur) Ioanni Coscelecio Præfecto arcis dediderunt: Quizinum uerò & Varmia oppida, quæ Marieuerder & Fraumbergam Germani uocant, noctu intercepta à Polonis sunt: unde tanta præda miles ditatus est, ut ducenti floreni in capita cederent.

An.1461. Alexander natus. Andream Tencinium, Quòd fabrũ armorũ percusserat,

Anno demum 1461, Elizabeta Regina quartum filium Alexandrum peperit: paucis uerò diebus antè, Andreas Tencinius, uir uetustate & claritate familiæ nobilis, Cracouiæ (quòd fabrum armorum, qui arma sibi ad bellum proficiscenti tempori non perfecerat, bis pulsasset) concur-

sumul-

Ciues Cracouienses trucidant & contumeliosè tractant:

su multitudinis urbanæ in æde diui Francisci oppugnatus, ac immaniter effractis portis trucidatus est, cadauer'que eius in forum contumeliosè tractum, luto oblitum & pugionibus confossum, tertia demum die amicis ad sepulturam datum. Hæc res in castra nunciata, quum leuius, quàm pro atrocitate sui, ferri uideretur, uehementi indignatione animos Nobilitatis commouit:

Ideoq; post orationem Tarnouij,

excitatus'que ab omni exercitu Ioannes Amor Tarnouius Castellanus Sandecensis, graui oratione apud Regem atrocitatem cædis Tencinianæ ita exaggerauit, ut & Regi, & Senatui Regio, excusserit lachrymas. Rex peracerbũ sibi illum casum Tencinij testatus, causatus'que expeditionem, quò minus tam atrox facinus uindicare posset, non inultum fore promisit: qua re non difficulter multitudinem mitigauit.

In Comitijs Corcinensibus damnantur, et

Iudicium deinde Corcini, in Comitijs, contra Cracouienses Consules de cæde Andreæ Tencinij institutum est: atque ij citati quum non sisterent sese (eò quòd beneficio Cazimiri secundi Regis, cautum sibi esse asseuerarent, ut non, nisi Cracouiæ, coram Rege causam unquam dicerent) absentes ad capitalem pœnam, & octoginta millia marcarum, damnati sunt.

An.1462. Cracouiæ, Iure Polonico iudicati, plectuntur.

Ad finem uerò anni huius, qui fuit 1462, Rex Cracouiam profectus est: instauratum'que in arce, in ciues Cracouienses, Iudicium Iure Polonico, illis nequidquam ad Saxonicum, quo ciuitates Polonicæ ferè utuntur, prouocantibus: pronunciata ad extremum sententia, ut quatuor de Senatu urbano, totidem de plebe, cum Magistro lictorum capite plecterentur. Sex quidem capitibus plexi sunt: tres uerò reliqui, à Ioanne Rabstinio uita donati, in carcere plus quàm totum annum in arce Rabstinensi asseruati, donec res cum Tencinijs transacta est.

 Sex

Sex item millia florenorum Senatus Cracouiensis Ioanni Castellano Cracouiensi fratri, & Ioani Tencinio defuncti filio, exsoluit. Glogouiam deinde Cazimirus ire pergit: quò ei aduenienti Georgius Boemorum Rex, qui prior eò aduenerat, cum Vuratislauiensi & Olomucensi Episcopis, & quatuor Ducibus Silesiorum, ad unum milliariū occurrit: salutationeq́; mutua ex equis facta, Cazimirus in arcem deductus est, Georgius in Curia urbana diuertit. Nouem dies postea dati colloquijs: quibus est fœdus inter Reges confirmatū, adiectumq́; ut id ad mortem utriusq́; esset stabile.

Glogouiæ Rex cum Georgio Boemorum Rege

Fœdus confirmat.

DE CRVCIGERORVM CLADE, BONORVM feudalium successione, canonica Episcoporum electione labefactata. Cap. XIII.

PAulo pôst, Petro Dunino & Alberto Gorscio ducibus, cæsa sunt Crucigerorū duo millia, & capti sexcenti: de nostris centum gregarij milites ceciderunt, de Nobilioribus tantùm Hector Chodorasius desideratus est. Insigne tunc factum memoratur Pauli Iasenij, gente Gosdouij, aulici Regij: qui armatus ab latere inter duas acies magno impetu procurrens, hastas hostium in nostros intentas auertit: eodemq́; momento nostri, inopinata re perturbatos hostes summa ui adorsi, uictoria potiti sunt: castra ceperunt atq́; diruerūt, quindecim bombardis maioribus, ducentis curribus, armis, impedimentis & commeatu referta. Ad Puscum hoc prælium commissum est XV. Calendas Octob. Honoratus est à Rege uictor exercitus, & uirtutis ergò, militaribus donis insignibus ornatus. Eodem illo tempore tribus alijs in locis prosperè dimicatum est à nostris: & Golubum oppidū à Ceruonca Boemo, qui partes Regis secutus est, captum, hostili præsidio satis ualido partim capto, partim

Cruciger i cæsi & capti:

Pauliq; Iasenij factū insigne, &

Victores à Rege ornati.

Ter iterum uicti Crucigeri:

Golubóq; capto,

tim interfecto: his'que successibus magna rursus animorum inclinatio in Regias partes secuta est. Rex deinde ad Comitia Petricouiam, ad undecimam diem Nouembris edicta, profectus est: quò uenêre Conradus Masouiorum Varsauiensium Dux, Conradus item Niger Olesnicensium Dux, Plocensem & Belsensem Principatum cognationis Iure sibi uendicantes. Ibi itaque instaurato Iudicio, legitimæ cognatorum successioni locū non esse in deditítijs seu feudalibus (ut uocant) bonis (cuiusmodi esset Masouia) sed Regem optimo Iure succedere debere, defunctis ducibus dedidítijs, qui nullos mares liberos reliquissent, decretum est. Rex discedens Petricouia Rauæ & Gostini possessionem adijt: Archiepiscopo autem Gnesnensi libram siue marcam auri, è Louicio Masouijs Ducibus Sochassouiæ quotannis pendi solitam, in omne deinceps tempus remisit. Post initium insequentis anni, Petricouiam iterum ad alia comitia uenit. Vbi contentio & lis quædam de Episcopatu Cracouiensi, inter Iacobum Sennenium & Ioannem Gruscinium dirempta est, Rege Gruscinio fauente, & dicente: Malle se Regno excidere, quàm Sennenium pati esse Episcopum. Atque horum quidem ambitio & Pontificiam auctoritatem in Polonia debilitauit, & electioni liberæ uim attulit, ita ut ex eo tempore, ea sublata, umbra modò eius quædam penes sacra Collegia remaneat, non sine grandi, non modò Ecclesiasticæ auctoritatis, uerùm etiam Religionis & Reipub. iactura.

Ad Regem desciscunt.

In feudalib. bonis locus successioni non est.

Mare nullo relicto: Ideoq; Rex illa possedit, & Archiepiscopo libram auri remisit.

Contentione de Episcopatu Cracouiensi orta,

Electio libera perijt.

DE EXPEDITIONE IN PRVSSIAM decreta & remiſſa, Camenecio munito, Lituanis bello Pruſsico de Podolia cogitantibus, & iniuria à profeſsis piam militiam uindicata.

Cap. XIIII.

Secundis rebus, expeditio decreta.

SEcundæ tunc res noſtris erant in Pruſsia: & Cazimirus Petricouiæ Comitia habuit, in quibus in Pruſsiam uniuerſalis expeditio decreta eſt. Quoniam uerò Turcarum terror, capta ſuperiore anno Caſa, quæ Genuenſium colonia fuit, & olim Theodoſia dicta eſt, animos cunctorum peruaſerat: miſsi in Podoliam Ioannes Tencinius Caſtellanus Cracouienſis, Derslaus Rituanius Sendomirienſis, & Andreas Odrouanzus Ruſsiæ Palatini, ut Camenecium arcem, quę Theodorico Bucacio oppignerata cum toto territorio ab hæredibus eius obtinebatur, pro Rege redimerent & munirent: Podolijs equitibus, in ſumma fiſci inopia, bouem in iugerum ſiue laneum ultrò pollicitis. Comitijs peractis, Rex peragrata Maiorę Polonia, ſub finem anni in Lituaniã ſe recepit. Quieuerat gens Lituana per omne tempus belli Pruſsici, nec à Polonis in ſocietatem eius belli pellici poterat: ſed, quorſum id euaſurum eſſet, otioſè exſpectabat: tunc uerò, longioris moræ impatiens, non inconſultum ducebat Podoliam armis repetere, Polonis adhuc Pruſsico bello diſtẽtis: ſed eos motus animorum Rex aduentu ſuo repreſsit. unde iterum reuerſus, Cracouiam uenit: Senatumq́ urbis tribus millibus florenorum multauit, propter Iudæos paulo antè iniuria affectos à militibus, piam in Turcas militiam profeſsis. Etenim Pius eius nominis ſecundus Pontifex Max. ſubactarum à Turcis Chriſtianarum gentium miſertus, & à cæteris (quibus idem hoſtis imminebat) periculum propulſare

Caſa à Turcis capta,

Camenecium munitum.

Lituani otio ſi exitum belli Pruſsici exſpectantes, Et de Podolia cogitãtes, à Rege repreſsi.

Propter iniuriam Iudæorum à profeſsis piam Crucis militiam,

ſare cupiens, Chriſtianos Principes atq́ populos ad piũ bellum, Crucis uexillo propoſito, cohortabatur, Dux eius belli ipſe futurus. Ac de Principib. quidẽ Matthias Rex Vngarorũ, Philippus Burgundiorum, & Chriſtophorus Maurus Venetorũ Dux, eam militiam profeſsi erant. Cazimirus Polonus, ne idẽ faceret, Pruſsico bello impediebatur: permulti tamẽ è Polonis priuati nomina dedêre, ita ut ij propè duodecim millia conficerent. Ab his igitur Iudæorũ facultates direptæ erãt: ac propterea ciues multati, quòd huic militię fauiſſent. Mox ante finẽ eiuſdẽ anni, Rex Corcini minorũ Polonorũ Conuentũ habuit: quibus quum duodenũ groſſorũ in iugerũ tributum, ad mercenariũ militem in Pruſsia, conſtituiſſet, expeditio remiſſa eſt. quod idem Coli Maiores Poloni fecêre. Nam quum ſecundæ noſtrorum res in Pruſsia eſſent, minimè expeditionem requirere uidebantur.

Ciues adiutores multati.

Tributo iugerali dato,

Remiſſa eſt expeditio.

DE REBVS FELICITER IN PRVSSIA GEſtis, & Ruſsis ab Odrouanzorum iniuria liberatis.

Caput XV.

SEquenti anno, qui fuit 1465. Nouũ oppidũ in Pruſsia diu obſeſſum Regi deditũ eſt: & liberè abire permiſſi, qui uellent, quinquaginta tribus currib. res ſuas aſportarunt: Mons uerô Dobrinẽſis, qui magnã in Nouo oppido noſtris exiſtentibus opportunitatẽ incõmodandi habebat, à Nicolao Zalinio præſidio firmatus eſt, collata publicè in ſtipendiũ pecunia. quæ res tardius animaduerſa, tam malè habuit hoſtes, ut in rixa, qua alius in aliũ culpam neglectæ cõmoditatis reijciebat, duodecim ex ipſis deſiderati eſſe dicãtur. Vere inſequẽti Rex Leopolim cũ paucis excurrit, quòd Ruſsi opẽ eius contra uim & iniurias Andreæ Odrouãzi, Palatini & Præfecti Leopolienſis, imploraſſent: ſed quũ is paulo antè obijſſet, &

An. 1465. Nouum oppidum deditũ, &

Mons Dobrinenſis præſidio firmatus,

Pruſsis propterea in ſe frementibus.

Ruſsi ab iniurijs Odrouanzorũ liberati.

Ioannes frater ei hæres esset,illud modò actum est,ut Ioannes Præfecturis omnibus amoueretur, accepta à Rege uiginti millium,ab ipsis Rufsis numeratorum, pecunia: cuius nomine fratres ipsi Præfecturas illas addictas

In Comitijs Corcinensib.

tenebant.Rufsicis rebus ita compositis,Rex Corcinum dispositis equis ad Comitia uenit:quò ex Minore Polonia & Rufsia frequentes Consiliarij conuenerunt,è Maiore uerò Polonia Lucas Gorcanus Posnaniensis, Stanislaus Ostrorogus Calisiẽsis,Petrus Oporouius Lenciciẽsis Palatini,& Sciborius Chelmius Succamerarius Posnaniensis, Legati cum libera potestate misi sunt. Quindecim diebus in consultando consumptis,placuit,

Expeditio Maioris Poloniæ decreta:&

ut Maioris Poloniæ Nobilitas in Prufsiam expeditionem statim faceret, Choiniciamq; circũuallaret, donec mercenarij milites conuenirent:eam uerò ob causam illi ipsi Maiores Poloni senos tantùm grossos, cæteri autem duodenos,in emerita ac deinceps emerenda stipendia,ante medium mensem Iulium conferrent.Dum hęc

Episcopus Varmiẽsis ad Regẽ deficit:

ita fiunt,Paulus Episcopus Varmiensis,quum animaduerteret, res Crucigerorum inclinatas esse, & à pace tamen eos abhorrere, partium Regiarum se deinceps fore professus, arcium & oppidorum suorum adeundorum potestatem fecit Regijs militibus, qui Passeneimi, Nideburgi,& Vormithæ in prẹsidijs erant,ut nõ solùm ea tuerentur,sed etiam cõmunem iam hostẽ inde infestarent:quæ res Magistro peracerba accidit,magisq; seriò is de pace dein cogitare cœpit. Venerunt sub idem tempus Sciborius Gubernator Prufsiæ, & Gabriel Palatinus Culmensis ad Regẽ,cum Legatis Nobilitatis Prufsicæ, & trium Ciuitatum,orãtes,ut Rex Marieburgum

Rexq; ad Marieburgũ inuitatus,sed

tandem accederet, ac tam diuturno bello,quo exhausti essent,finem imponeret: fore enim, quum eò accesserit, ac

ac propius bellum ostentârit, ut ad eum ciuitates deficiant, & Crucigeri ad quasuis pacis conditiones perducantur. Rex quum conuocasset Consilium, omissa pro-

Choiniciam adortus,

fectione Marieburgum, Choiniciam adoriri, necquidquam reclamantibus Prufsis, statuit: quò militibus hostium,qui ex Germania & Boemia deducebantur, transitum intercluderet, Poloniamq; Maiorem ne hostilibus excursionibus exponeret. quò quum Rex uenisset,

Starigrado & Slochouia potitur,

Starigradum ei deditum,ac Slochouia (quæ amplitudine & munitione Marieburgo non multum cedit) à Polonis recuperata est,hoc quidem pacto· Excurrerant eò quadraginta Poloni pedites, ut aliquid fortè è subiectis agris raperent:eos Martinus Sissouicius ex arce conspicatus,omnibus militibus,quos in præsidio habebat,de-

Sacerdotibus & scholasticis propter benignitatem Polonorum arcem prodentibus,&

ductis,persequi instituit. Sacerdotes tantùm duo, cum Ludimagistro & aliquot scholasticis adolescentibus, in arce remanserant:qui quamuis Pomerani, tamen benignioribus usi Polonis,permolestè ferebant,eos per dolum arce excidisse. Solitudinem igitur nacti, occasionem referendi gratiam benemeritis nõ negligendam sibi esse rati,portas arcis superioris occlusêre:ostioq; turris effracto, Georgium Dambrouium cum sedecim socijs,cafsibus uenatorijs submifsis, extraxêre, & cum his pariter clamorem sustulêre.quo consternati Pomerani, quum in arcem se recipere uellent,subeuntesq; saxis supernè deiectis arcerentur, foris uerò à quadraginta illis peditibus, significatione eorum qui in arce erãt animatis,peterentur, celerrimè in Stolpensem ditionem pro-

A Rege remuneratis.

fugerunt: remuneratiq; sunt à Rege sacerdotes & scholastici. Hoc autem exemplo & alia quoq; oppida Regi sese dediderunt.

DE PACE, DIV OPTATA, CVM CRVcigeris confecta. Caput XVI.

Ad pacem Crucigeris uix tandem inclinatis,

DEiecerunt itaq; hæc magnopere Magiſtri & Crucigerorum animos: proptereaq; Conuentu Kinixbergæ habito, Magiſter Ludouicus primus ipſe ſententiam dixit, in quam ab omnibus itum eſt: nimirum, ut pax cum Polono conficeretur, ſi minus æquis, at tolerabilibus conditionibus. Quamobrem miſſus eueſtigiò ad Regem Bernardus Sũbergius, tempus locumq; colloquio de pace habendo petiuit. Nihilo ferociorem ſecundæ res Regem fecerant: & iam antè Rex ipſe oſtenderat Legato Apoſtolico Rudolpho, non abhorrere ſe à pace. Conuenit autem, ut ad diem Natalem Virginis Mariæ Rex Toruni, Magiſter uerò Culmæ eſſet: illi autem, qui de cõditionibus collocuturi & tractaturi erant, Culmeſeæ, medio ferè utrinq; ſpatio, conuenirent: accitusq; eſt ad eam rem Rudolphus Lauantinenſis Epiſcopus, Legatus Põtificius: qui ad uiceſimam ſextam diem Auguſti, paucis poſt Regem horis, uenit: Crucigeri aliquandiu exſpectabantur. Poſtridie igitur mandata Pontificis Legatus expoſuit, Regemq; ad pacem cohortatus eſt. Reſponſum eſt Legato Regem, quamuis iuſtum bellum ſatis proſpero ſucceſſu gereret, uictoriamq; penè in manibus haberet, facilem tamen fore ad faciendum pacem, & in æquis conditionibus acquieturum eſſe. Vbi Magiſter quoque cum ſuis aduenit, placuit, apud Meſouiam potius, quàm apud Culmeſeam, Conuentum agere ſub papilionibus. Sub idem autem tempus Choinicenſes, Polonorum oppugnationem ultrà non ferẽtes, ipſis ſe dediderunt: & uitam fortunasq; pacti, neq; unquam contra Polonos arma ſe ſumpturos ſanctè iurati, omnibus bombardis & apparatu bellico relictis, lachrymantes

Rege uerò nunquam ab ea alieno,

Ad diem paci faciendæ dictam

Legatus Pontificius accitus:

Dumq; Choinicenſes ſe dedere ſunt coacti,

mantes urbe exceſſerunt: uictor autem exercitus, Toruniam ad Regem ueniens, benignè & liberaliter habitus eſt: Choiniciam uerò Rex impunitate donauit, quamuis cuncti eam ſolo æquãdam eſſe ſuaderent. Hæc ubi Crucigeris nunciata ſunt, pronioribus animis ad pacem inclinari cœpêre, ueriti, ne cuncta Pruſsia à ſe deficeret. Poſt multorũ igitur dierum colloquia, tractatusq; cum noſtris habitos, Legato Pontificio ſumma cura, fide ſtudioq; adnitente, & Rege nihil de ſua facilitate remittente, tandem decima die menſis Octobris optata diu pax confecta, Legati ac trium tabellionum manibus ſubſcripta, à Rege Magiſtroq; Toruniam accito & utriuſque conſiliarijs obſignata, ac ſolenni iureiurando approbata eſt, his conditionibus, quæ in priuilegijs ſtatuto inſertis habentur. Et quãuis auctoritate legati Pontificij confecta & conſtituta eſt: nihilominus Rex & Magiſter Oratores ad Pontificem miſerunt, qui, ab ipſo approbari & confirmari pacta illa cum omnibus conditionibus, peterent, adiectis in uiolatores pœnis. Hunc ergo tunc exitum bellum Pruſsicum, tredecim annis uaria fortuna geſtum, habuit. Omnibus autem ritè peractis, ad ædẽ Virginis matris nomine nuncupatam itum eſt: Deo gratiæ actæ, & reliquum diei feſtis epulis & conuiuijs datum. Rudolphus certè Legatus tam pulchræ pacis confectæ meritam laudem apud omnes tulit. qua ille contentus, ampliſsima dona à Rege miſſa refutauit: conſiliarij modò Regij titulum honoremq;, tum penſionem ducentorum florenorũ in ſingulos annos, quoad uiueret, in ſalinis Bochnẽſibus attributam, accepit, & Vuratiſlauiam ſe recepit. Magiſtro Ludouico, & ijs qui cum eo erãt primarijs uiris, perampla, pro cuiuſq; cõditione, ab eodem Rege data munera; quumq; is, egere admodum Magiſtrum,

Pax optata confecta.

A Pontifice confirmatur,

Actis Deo gratijs.

Rudolphi Legati ſtudium & integritas, Regisq; in eum gratitudo.

Benignitas Regis in Magiſtrum.

ſtrum, comperiſſet, præter priora dona, quindecim millia florenorum ei ultrò dono, in emerita ſtipendia militum, promiſit.

LIBER XVII.

DE SIGISMVNDO NATO, PRVTHENORUM iureiurando & pace confirmata, ſtipendijs exſolutis, & Regno Boemiæ Polonis oblato. Caput I.

An. 1467. Sigiſmundus Regi natus.

INſequentis anni initio, qui fuit 1467, ipſis Calendis Ianuarij, natus eſt Regi apud Cozinicæ Sigiſmundus filius, pacata Pruſſia, bono quodam omine conficiendarum reliquiarum belli Pruſsici: quod Crucigeri, ſucceſſu temporis, renouarunt. Rex uerò, ad tertiam diem Maij, Petricouiæ Comitia habuit: ibiq; poſt obitum Magiſtri Ludouici, pax reliquorum Procerum, qui Toruni non adfuerunt, ſolenni iureiurando confirmata eſt.

Proceres Pruthenj iurāt.

Conſultatum deinde de exſoluēdis ſtipendijs militum, toto Pruſsico bello meritis, quorum permagnus numerus cum coniugibus & liberis aduenerat: deciſum, cum equitibus quidem octonis florenis in ſingulos annos, cum peditibus uerò quaternis. quæ ſumma ad bis centum & ſeptuaginta millia florenorum perueniebat, eaq; intra duos annos & ſemis exſolui promiſſa.

Stipendia militum exſoluta: &

Aegrè autem milites in eo acquieſcebant, Vuladiſlao Damoborio Caſtellano Naclenſi, homine turbulento & ſeditioſo, inprimis animos eorum ſolicitante: qui dudum Slochouiam intercipere adortus, & ſpe ſua fruſtratus, ex agro arci illi ſubiecto prædas egerat: milites eius arcis præſi-

Damoborius, homo ſeditioſus.

præſidiarios, fide data euocatos, perfidè trucidârat: Naclenſi quoq; territorio pecuniam imperârat: Gneſnenſis Eccleſiæ bona populatus erat: & adulterinum numū cudere inſtituerat: nec in futurum tempus quieturus eſſe uidebatur. Is igitur quamuis clara Topororum familia, patre Inouuladiſlauienſi Palatino ortus, & ſenator Regius eſſet: tamen ſponſores dare iuſſus de quieſcēdo, quum non daret, captus, & Petro Samotulio Caſtellano Poſnanienſi & Præfecto Maioris Poloniæ traditus, Calliſsiumq; ductus, capitali ſupplicio affectus eſt. Ita unius ſupplicio latrocinia, quæ iam increbreſcere cœperant, utcunque repreſſa ſunt.

Capite plexus.

Cazimirus Comitijs Petricouiæ peractis, Nepolomiciam diuertit: ibi Oratores ſuos, reſponſum Pontificis Max. afferentes, audiuit: per quos, confirmatio pacis Pruſsicæ, & relaxatio interdicti, in Pruſſos Regiarum partium promulgati, Rudolpho Legato demandata erat.

Oratores à Pontifice reuerſi cum confirmatione pacis.

Aduenerant quoque Proceres Boemi, Cazimirum orantes, ut is, ſine longiore comperendinatione, aut ipſe Regnum eorum ſuſciperet: aut aliquem de filijs, cum mille equitibus, Regem ſibi mitteret: ſuis uiribus Regnum ſe ipſi uindicaturos eſſe. Gratiæ actæ Boemis Proceribus: de Regno uerò oblato, quod Cazimiro liberiſq; eius iure optimo debetur, reſponſum eſt, Acceptare illud tunc, propter infrequentiam Senatus, cuius cōſilijs & auxilijs uſurus eſſet, rectè non poſſe, differriq; rem ad alia Comitia oportere.

Regnum à Boemis oblatum.

Differtur.

DE FILIORVM REGIS INSTITVTIONE, Nunciorum Terrarum origine, Stephani Palatini iureiurando, & repulſis atq; profligatis cæſiſq; crudeliter Tartaris. Caput II.

Fridericus Regi natus.

SVb id tempus deinde Regina Elizabeta ſextum filium nono partu edidit, cui Friderici nomē inditum

Dlugossus filiorum Regis magister.

est: filijs autem adultioribus, Ioãni Dlugosso cura & institutio mandata erat. Rex Cracouia profectus, Visliciã diuertit, Conuentumq; Minorum Polonorum egit, & subsidium ad exsoluenda stipẽdia postulauit: quod non abnuebat quidem Nobilitas, uerùm sine Maioribus Polonis sciscendum sibi esse, non putauit. Quare placuit binos, è Satrapijs seu Palatinatibus, Legatos ad Comitia Petricouiensia mitti: qui decernendi in commune cum ceteris Regi moderati tributi potestatem haberẽt. Atq; hoc, tunc primùm fieri cœptum, sic inoleuit posterioribus temporibus: ut sine ijs Legatis, seu Nuncijs Terrarum, nulla Comitia legitima haberentur: neq; tributum decerni, ac ne lex quidem ulla ferri posse uideatur. Comitijs institutis Petricouiæ, tractatum est de subsidio in Prussica stipendia conferẽdo. Insequenti anno Cazimirus Rex, sub finem Ianuarij Cracouia discedens, in Russiam contendit: mensemq; unum & semis Leopoli exegit, Stephanum Palatinum Valachiæ exspectans, ut ab eo fidelitatis iuramentũ, ex constituto, acciperet: uerùm ille, multa causificatus, non uenit: iusiurandum tamen Ioanni Muziloni Palatino Podoliæ, & Spitconi Iaroslauio Succamerario Præmisliẽsi, Legatis Regijs ad se missis, dedit: recepitq;, postea se Cameneciam, uel Colomiã, uel Snatinum, ad Regem esse uenturum, modò ut duobus mensibus antè de tempore certior fieret. Per eadem tempora Zauolgẽses Tartari (hoc est, qui ultra Volga siue Rha fluuium habitant) Maniaco Duce, quum Borysthenem transmisissent, tribus agminibus factis, in Lituaniam, Podoliam, & Valachiam sese infuderunt: Voliniamq; impunè depopulati, ad decem millia hominum abegerunt: in Podolia uerò nihil incommodi acceptum, quum ad Trebouulam iustus Polonorum & Russorum exerci-

Nuntiorum Terrarum origo, &c.

Potestas.

De stipendijs exsoluendis.

Stephani Palatini Valachiæ iusiurandum.

Tartari Zauolgẽses, Maniaco Duce,

Voliniam populantur: sed

Ex Podolia repelluntur, &c.

exercitus, Raphaele Iaroslauio Leopoliensi, & Paulo Iasenio Belsensi & Chelmensi, Præfectis ducibus, præstò esset: in Valachia denique à Stephano Palatino ter profligati retrocesserunt, filio Ducis amisso. quem captum, quum à patre minaci Legatione repeteretur, Stephanus præsentibus centum Legatis dissecari, & mox ipsos quoq; Legatos palis suffigi iussit, uno excepto, quẽ truncato naso & auribus, nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit.

In Valachia profligati

Dissecantur & palis suffiguntur.

DE IVREIVRANDO MAGISTRI CRVcigerorum, Iurium confirmatione extorta, & Vladislao Boemorum Rege facto. Caput III.

Comitia deinde Petricouiæ Rex habuit, quę in quadragesimum diem extracta erant: sub quorum tempus aduenit Henricus Plauenius, Magister Crucigerorum Prussicorum recens creatus, cum duobus Cõmendatoribus, ac iusiurandum fidelitatis Regi solenni cerimonia dedit: ac breui postea repentina morte extinctus est. Primis autem diebus anni sequentis 1470, Cazimirus hyemis commoditate usus, Ploscum, Vitepscum, & Smolenscum, (quæ loca totos sexdecim annos non uiserat) plerisq; Lituanis Proceribus comitãtibus, adijt: constitutisq; rebus Lituanicis, primo Vere tandem in Poloniam reuertit: deinde Petricouiam ad XXVIII diem Octobris ire perrexit. Ibi quum subsidium ad exsoluenda stipendia popofcisset (quod erat Comitiorum caput) obiecta est Maiorum Polonorum infrequẽtia: & quòd ad eam diem iura Regni & prærogatiuas Ordinum, à Maioribus suis datas, diplomate suo non confirmasset (recusabat enim id Rex, seu uerius tergiuersabatur, in gratiam Lituanorum: ne recuperare ab eis, quæ detracta

In Comitijs quadraginta dierum,

Magister Crucigerorũ iurat.

An. 1470.

Rex Ploscum, &c. hyeme adit.

Tributum in exsoluenda stipendia nõ,

Nisi post diploma

de Polonorum Regno posſidebāt, cogeretur. Eò namq; ſpectabat diplomatis exactio, & hoc erat eius caput potiſsimū) uerùm ubi ille diploma, quod poſcebatur, conſignatum exhibuit, colonis quidem duodecim groſſorum in iugera, oppidanis autem in domos pro portione, tributum impoſitū eſt. Miſsi ex ijs Comitijs ad Pontificem Regij Legati, Michael Abbas Liſſecenſis ſiue Caluimontanus, & Iacobus Debenius Cancellarius Regni & Præfectus Cracouienſis, ut confirmationem pacis Pruſsicæ, & Regnum Boemicum Vuladislao Regis filio, peterent: ad Georgium Regem ex itinere diuerterent, eumq; cum ſuis hortarentur, ut reſipiſceret ab hæreſi, & in poteſtate Pontificis eſſe uellet, ac de Regni ſui ſucceſſore ſtaret promiſsis. Solutis Comitijs, Rex cum Regina Poſnaniam, uoti à Regina nuncupati apud ædem Corporis Chriſti exſoluendi cauſa, iter fecit: Legati uerò ita, ut iuſsi erant, in Boemiam primùm ad Georgium diuerterunt: qui breui, dum illi uix ex Boemia egreſsi fuiſſent, uitam cum morte commutauit. Poſt eius uerò mortem Boemi Pragæ Comitia, creandi Regis cauſa inſtituerunt: de quibus Cazimirus certior factus, Paulum Balicium, mox Martinum Vurocimouitium, deinde Dobeslaum Curoſuantium, Equites, ad Boemos allegauit, Iuris ſui promiſsiq; ipſorū eos admonentes: req; diu agitata, XXV die Maij Vuladislaus, Polonorū Regis filius, Rex à Boemis renunciatur, quamuis reclamantibus Proceribus: qui Matthiæ Vngarorum Regi, Ioannis Huniadis filio, fauebant. Mox itaq; delecti cōplures Legati, de Primoribus, Nobilitate, & Pragenſi ciuitate, prꝺſtantes uiri, qui Vuladislaum primo quoq; tempore accirent è Polonia: fruſtratus uerò ſua ſpe Matthias, nullo crudelitatis genere à Boemis & Morauis abſtinebat.

Exhibitum, decernitur. — *Legati ad Pontificē, &* — *Ad Georgium Boemorum Regem.* — *Rex cum Regina uota reddunt.* — *Georgio mortuo,* — *Cazimiroq; uigilante,* — *Vuladislaus Rex Boemorum, Matthia neglecto,* — *Accerſitur, &*

His

His ergo de cauſis Vuladislaus, maturare profectionē ſuam in Boemiam rogatus, acceptis à patre ſeptem millibus equitum ac duobus peditum, ductoreq; exercitus Paulo Iaſenio, uiceſima quinta die menſis Iulij Cracouia egreſſus eſt, deductus à patre bidui itinere: fuerūtq; in comitatu eius inſignes, Nicolaus Epiſcopus Camenecenſis, Vincentius Enenſis, & Paulus Laodicenſis (à quibus Pragæ diadema ſolenni ritu accepit) Stanislaus Oſtrorogus Caliſsienſis, Nicolaus Cutenius Lencicienſis Palatini, & Ioannes Dlugoſſus præceptor. Proficiſcenti uerò ſex Duces Sileſiorū ſe adiunxêre: apud Cloſcum autem, obuiam uenientibus Proceribus Boemis & omnium Ordinum permagna multitudine, in leges Boemorum iurauit, pacatamq; Regni poſſeſsionē adijt, Matthia domeſticis incommodis & motibus reuocato.

Maturata profectione in Boemiam, — *Coronatus* — *Iurat.*

DE CAZIMIRO IVNIORE, À REGNO *Vngarico repulſam paſſo.* Caput IIII.

VNgari poſteaquam Vuladislaum Regis filiū, Matthia præterito, Regem à Boemis creatum eſſe acceperūt: miſerunt & ipſi Legatos ad Cazimirū Regem, alterum eius filium Cazimirum propterea Regem ſibi dari petentes, quòd diutius Matthiæ tyrānidem ferre non poſſent: quod ni faciat Cazimirus, uel à Turcis auxilium ſe petituros eſſe: ſumptus autem belli ſe prꝺbituros eſſe, pollicebantur. Non ſpreuit eorum poſtulata Cazimirus Rex: Cazimirum itaq; filium cum non contēnendo exercitu, Petro Dunino duce, in Vngariam miſit: Derſlaum quoq; Rithuanium Palatinum & Præfectum Sendomirienſem, Ioannem Tarnouium Voinicenſem, Stanislaum Vatropcam Sandecenſem, Stanislaum Sidlouecium Zarnouienſium Caſtellanos: & Paulo Iaſenio,

Vngari Cazimirum filium Regē petunt, Matthiæ tyrannidē pertæſi: — *Miſſusq; Cazimirus cum exercitu,*

ex Boemia reuertenti, mandauit, ut è Morauia rectà in Vngariam contenderet, & cum Cazimiro copias suas coniungeret. De his Procerum suorum consilijs factus erat certior Matthias: itaq; nihil sibi reliqui fecit ad festinationem, & quascumque habuit in Morauia & Silesia copias, in Vngariam contraxit: Primoresq; partim terrore, partim ingentibus promissis, ad se reuocauit. quos secuti cæteri, fidem mutarunt. Cazimirus autem adueniens, præterita Cassouia siue Cosicia, apud Nitriam, quæ in ditione Strigoniensis Archiepiscopi erat, stationa habuit: neque quisquam Vngarorum Procerum ad eum uenit. Matthias uerò quum sedecim millia hominum in exercitu haberet, apud Budam occurrens aduentanti Cazimiro, trium milliarium spatio ab eo castra metatus est: nec tamen pugnæ copiam faciebat Polonis. Dum sic utrinque tempus teritur, uenit ad Cazimirum Polonorum Regem Tilemannus Slechthus Canonicus Coloniensis, Cubicularius Pontificis Maximi Sixti quarti, hortans eum ad pacem cum Vngaro faciendam: idq; faciebat, ne Matthias à Turcico bello auerteretur. Non difficilem se Cazimirus Pontifici præbuit, & utriusque partis Proceribus pacis arbitrium permisit: Tilemanno autem in Vngariam proficiscenti Ioannem Vatropcam, cum mandatis ad filium & Vngaros Proceres, comitem adiunxit. Interea uerò mercenarij milites, ob non soluta stipendia, dilabi cœpêre è castris Cazimiri iunioris: quorum discessione Primores exercitus persuaserunt Cazimiro, ut in tutum se reciperet. qui quidem recessus effusæ fugæ fuit simillimus. Meritò autem tunc ea ignominia Polonis Diuinitùs accidisse credita est, quòd proficiscentes in Vngariam, soluta prorsus disciplina militari, omnis generis iniurijs & contumelijs

Matthia Rege in suo negotio uigilante,

Et Procerum uoluntatibus mutatis,

Legato insuper Pontif. interueniente,

Militibusq; dilabentibus,

In tutum se recipit,

Cum merita Polonorum ignominia.

melijs sibi non temperauerunt. Peracerba hæc omnia Cazimiro Regi acciderunt: huc'que & illa cura accedebat, quòd non habebat, unde militibus ex Vngaria reuersis merita stipendia exsolueret. Reditus enim Præfecturarum, ad sumptuosas illas duorum filiorum in Boemiam & Vngariam expeditiones, ita exhauserat, ut ne in quotidianum quidem uictum sumptus ei suppeterent. quo factum est, ut milites quibus non numerabantur stipendia, uias publicas latrocinijs infestarent. Hanc itaque ob causam in Colensi & Corcinensi Conuentibus duodenûm grossorum in iugera tributum constitutum fuit: sacerdotalis uerò Ordo, Gnesnensis, Cracouiensis, Vuladislauiensis, & Posnaniensis diœceseon, haud contemnendo subsidio Regem iuuit, omnibus dimidios reditus (secundum ueterem æstimationem) conferentibus: præter Cracouiensem diœcesim, in qua, propter exquisitiorẽ æstimationem, octonideni grossi in marcas collati sunt. Missus deinde à consiliarijs Regijs Castellanus Sandecensis ad Vngaros Proceres, de pace siue inducijs inter Reges conficiendis: quæ annuæ factæ sunt.

Ad stipendia exsoluenda,

Dum latrocinia crescunt,

Tributum est constitutum.

Induciæ cum Vngaris.

DE BELLO CVM VNGARIS ET pace, siccitate magna & crebris incendijs. Caput V.

ANno 1473, Cazimirus Comitia Petricouiã edixit: uerùm de Minoribus Polonis nemo ferè Procerũ affuit. Offensi etenim erant distributione bonorum superioribus Comitijs, iniquius (quemadmodum ipsis uidebatur) facta: in qua Ioannes Tarnouius Castellanus Voinicìensis, Dobeslaus Cmita Lublinensis, & Stanislaus

An. 1473.

Minores Poloni ad Comitia non ueniunt, offensi iniqua rum tributione.

 laus

laus Vaſtropca Sandecenſis, immeritò prçteriti eſſe exiſtimabantur: ſed hi tamen poſtea deliniti ſunt à Rege.

Aeſtus & ſiccitas in Polonia, &

Hoc etiã anno æſtu & ardore uſqueadeò uexata eſt Polonia, ut aluei fluminum plerorumq; areſcerent: Viſtula etiam apud Toruniam eſſet uadabilis: ſyluæ ſaltusq; radicitùs arderent: ſegetes (uernæ præſertim) ſqualle rent pecudes & iumenta oblitis limo cum herba uorato inteſtinis interirent:

Crebra incendia.

incendia quoq; urbium, oppidorum & uillarum crebra extitère. Stradomia quidem ad uiceſimam ſextam diem Iulij penitus conflagrauit: poſtridie uerò coorto in cœnobio Virginũ apud ſancti Andreæ incendio, tota ea platea, quæ Arcenſis dicitur, & proxima Canonicorum arſit: arx ægrè defenſa. Conflagrarũt etiam Veliſca, Coninum, Balſum, Chelma, Lubomlia: præterea baſilica Lencicienſis, cum uicinis domibus Archiepiſcopi & ſacerdotum: itemq; Mogilnenſe monaſterium.

Matthia populante Submontanos,

Anno uerò ſequenti Matthias Rex Vngarorum exercitum ſex millium hominum, Duce Thoma Tarcio, in Submontanam Poloniæ oram immiſit. Itaq; turmatim Vngari excurrentes, omnia ferro & igni uaſtabant.

A Cazimiro tardè nimis reſiſtẽte,

Inſpectabat ferè hanc Regni ſui uaſtationem Cazimirus Rex, Viſliciæ tum Conuentum agens, ac de bello Vngarico depellendo conſultans: ubi ſenum groſſorum in iugerum cõtributionem impetrauit: militiamq; ſiue expeditionẽ bellicam, quæ libera & arbitraria Nobilitati tunc erat, pro modo facultatum ſiue redituum cuiuſq; fieri debere, decreuit.

[illegible]litateq; ma[illegible] eius parui[illegible]den te,

Apud Opatouecium itaq; conuenire iuſſa Nobilitas ad bellum Vngaricum depellendum, ſegnius conueniebat, mandata lenti Regis paruipendens: expectabatq; Rex Opatouecij, & cunctantes crebris nuncijs dimiſsis, fruſtra conuocabat. Interim autem Poloni & Vngari proceres, nuntijs ultrò citroq; miſsis,

Pax eſt facta:

miſsis, pacem inter ſe fecère his conditionibus: ut munitiones interceptæ & captiui utrinq; redderentur: damnorum datorum neutrobi mentio fieret: Vngaro cum Polono & Boemo ut triennes induciæ eſſent: quas ſi quis Regum uiolare uellet, ſubditi eius ne ei dicto audientes eſſent: quiſquis uerò cõtrà aliquid tentaret, pro hoſte & perduelli haberetur. Hoc uerò facilior fuit Matthias ad æquas conditiones, quòd Tranſyluanienſes à ſe alienatos uidebat, & ad Cazimirum deficere uelle intelligebat: adhæc Mahometes Turcarum Imperator cum ualido exercitu Boſnam inuaſerat, & Iaice arcem acerrimè oppugnabat: ſed repulſus cum ignominia, demerſis in profluente bombardis, abſceſsit. nihilo magis tamen Matthias Rex poſtea quieſcebat:

Matthias tamen Rex nõ quieſcit, & Comorouium perſequitur.

ſed Comorouium, locupletem inprimis hominem, qui Cazimirum Regis Poloni filium receptauerat, ulciſci inſtituit: nullo'que negotio ſeptem arces eius, Poloniç finitimas, in poteſtatem ſuam redegit, ultrò dedente eas ipſo Comorouio, & in Poloniam excedente cum omni familia, acceptis à Matthia tyranno octo millibus florenorum.

DE BELLO CONTRA VNGAROS *à Polonis & Boemis infeliciter geſto, Tartarisq; paucis Ruſsiam uaſtantibus.*

Caput VI.

Vuladislaum contra Vngaros Cazimiro adiuuare incipiente,

AD medium deinde Iunij, Petricouiæ Rex Comitia habuit: ibi affuerunt Oratores Vuladislai Regis Boemorum, Polonorum opem contra Vngarum, Morauiam & Sileſiam infeſtare non ceſſantem, implorantes. Itaque miſſa ſunt filio à Rege uiginti quatuor millia aureorum in ſubſidium belli: contra Sileſios uerò, qui & Poloniam ſubinde uexabant, & Mat-

thiæ partes ſequebantur, placuit rem geri totius Regni expeditione: iuſſæ'que omnes copiæ ad medium menſis Auguſti, ad Meſtouiam conuenire. Rex Conuentu ſoluto Corcinum diuertit, ad bellum ſe apparaturus: interim uerò ei nuntiatur, Podoliam atque Ruſſiam à Tartaris, duce Aidoro Ecigeris filio, populabundis peti: nihil tamen rerum utilium prouidit. Itaque factum eſt, ut à ſeptem millibus Tartarorum, & eorum malę armatorum, omnis tractus circum Cameneciam, Haliciam, Glinianos, Dunaiouiam, & Gologoros, centum ferè milliarium longitudine, latitudine uerò triginta, cædibus & incendijs miſerabiliter, nemine reſiſtente, uaſtaretur, plurimique mortales pecudum in morem, opprimerentur & abigerentur. Dunaiouiam, oppidum ſuum, Gregorius Archiepiſcopus Leopolienſis ſtrenuè tutatus eſt: Pomorzanos uerò Suinca, uir generoſi animi, cum ſex modò ſocijs defendit. Rex ergo ad Sileſicum bellum intentus, ad conſtitutum tempus apud Meſtouiam affuit: ſed copiæs tardius conuenientes, totas ſex ſeptimanas exſpectauit, ita ut commodum belli gerendi tempus præterlaberetur. Ita tunc ſoluta erat omnis diſciplina militaris. Fuit autem & illa moræ cauſa, quòd Nobilitas Cracouienſis orę negabat, ſe ad externam militiam eſſe profecturam, niſi ſibi præſcriptum legibus ſtipendium numeretur: quorum pertinacia ægrè uicta, ſexta demum & uiceſima die Septembris Rex caſtra mouit, aucto etiam exercitu Tartaris & Lituanis, ita ut ad ſexaginta millia armatorum in eo eſſe crederentur. Ingreſſus itaque Oppolienſem tractum, Çruciborgū & Bycinam oppida cepit: tranſmiſſoq; Odra, uadabili tunc propter ſiccitatem, Vratiſlauiam contendit, ubi à Matthia ſe exſpectari acceperat,

Tartari.

Pauci & male armati multa miſerabiliter uaſtant,

Dunaiouo et Pomarzanis ſtrenuè defenſis:

Profectoq; illo ad bellum Sileſicum,

Soluta diſciplina militari,

Magnus Polonorum exercitus

perat. Occurrerunt ei interea Oratores Vngari atque Boemi, inducias poſtulantes: uerùm in congreſſum Vuladislai filij res dilata eſt. nec abhorrebat à pace Cazimirus: ſed Matthias, ad omnem rei bene gerendæ occaſionem attentus, pacis conſilia turbauit. Apud Olauiam Poloni caſtra habebāt: nec ignorabat Matthias, Polonos ſpe pacis componendæ ſecurius ac remiſsius agere: itaque populationi intentos adoritur, & nullo ordine diſcurſantes, partitis copijs, excepit, facile'que in fugam uertit. Accurrunt Tartari è propinquo: redit & fugientibus uirtus in præcordia: inſtauratur prælium. Rex etiam Polonus, re cognita, ſubmittit ſuis in auxilium Comitatū ſuum aulicum cum Paulo Iaſſenio Theſaurario: ipſe uerò cum reliquo exercitu ſubſequi feſtinat. Hoſtes igitur, ubi aſpexêre uires Polonorum augeri, non prius conſtitêre, quàm Vuratislauiam peruenerunt. Ceciderunt eo conflictu de hoſtium exercitu mille, nobiliores ſexaginta capti. Quarta demum & uiceſima die Octobris Vuladislaus Rex Boemorum aduenit: uiginti millia pugnatorum habebat is in exercitu, maxima ex parte peditum. Salutatione & gratulatione mutua facta, Vuratislauiam itum eſt: & in conſpectu urbis ambo exercitus, coniunctis caſtris, aſſedêre: cæterùm deſides ac inertes tempus terere, & nihil in medium conſulere. Communierat caſtra ſua Matthias ad urbem, ut è re nata conſilium capere poſſet: inde tacitus ſpeculabatur, quid Reges inceptarent, cum ſuſpirijs & uulſione capillorum dictitans: Facilè ſe totum Orbem terrarum Imperio ſuo ſubiugaturum eſſe, ſi tantas talesq; haberet copias. Vaſtabantur modò pagi, diſcurſantibus quoquouerſus Polonis Boemisq;: unde tandem duplex malum exercitum inuaſit,

A Matthia ad omnia attento

Fugatur, noſtris rurſus adiutis:

Poſtquā autem cōiunxiſſe Vuladislaus cum patre, &

Deſides atq; inertes tēpus tererent, imò uerò

(Matthia uellente ſibi capillos)

Duplici in-

 peſtis,

commodo exercitum afficerent, pestis, & frumenti penuria. Creuerat autem hæc Polonorum licentia & contemptus Imperij Regij & Magistratuum, ex quo se cum Boemis coniunxerunt. Antè enim aliquid disciplinæ supererat, quum tres homines Equestris Ordinis, ob raptam è templo cum uase argenteo sacrosanctam Eucharistiam, iussu Regio, inspectante uniuerso exercitu, cremati sunt: sed id quoq; iam, deprauantibus nostros Boemis, pro piaculo haberi desierat. Quanquam autem cessabãt humana tunc iudicia: Diuinitùs tamen haud impunita mansêre tam abominanda sacrilegia. Exortum enim fortuitò incendium non exiguam castrorum partem absumpsit, necquicquam opem ferente tanto exercitu. quo incendio plurimi mortales & equi, & quingenti currus, hausti sunt: repertaq; in semiustulatis curribus, uascula sanctorum Religionis Christianæ mysteriorum. Matthias quoq;, ubi uidit tantum illum Polonorum & Boemorum torporem ac inscitiam, despicere eos, quos initiò formidarat, cœpit: missisq; in Poloniam expeditioribus copijs, Siradiensem oram & Maiorem Poloniam infestauit ac uehementer afflixit, nemine repugnante. Arx Medirecia excursione illa in hostium potestatẽ uenit, dedente eam Sendiuoio Burgrabio, nulla necessitate ad id adacto. ob quod facinus is, post finitum bellum, patrimonio mulctatus est à Rege. Hæc quum ita fierent, & pestis famesq́ue in castris Polonorum atque Boemorum inualesceret, de pace inter Reges agi cœptum est: quæ satis æquis conditionibus conuenire potuisset, nisi Elizabetæ, Reginæ Polonæ, fastus & pertinax odium obstitisset. Nam ea Matthiam, affinitate bellum finire cupientem (quòd neque Regio neque Ducali genere ortus esset) generum aspernabatur, & (quòd patrui fratrisq;

Polonorũ moribus conuersatione Boemorum corruptis,

Proptereaq; et Diuinitùs punitis:

Matthias,

Poloniam uastans,

Arcem Medireciã capit,

Pace tamen ad extremũ facta

trisq; sui inimicus esset) auersabatur, ita ut nullis persuasionibus de sentẽtia dimoueri posset (indulgebat autem ei plusculum Cazimirus.) Induciæ tamen triginta mensiũ constitutæ inter Reges, & captiui munitionesq; interceptæ utrinq; redditæ. Venerunt postea statim, finito bello, Oratores Ludouici Ducis Bauarorũ, qui petebant Georgio Ducis filio Heduigim, filiam Cazimiri, in matrimonium: nec abnuit Cazimirus generum.

Triginta mensium.

Heduigis desponsa Georgio Duci Bauarorum.

DE STEPHANO VALACHO CVM TVRcis bellum gerente, Capha urbe capta, & Polonorum trepidatione. Caput VII.

PEr idem tempus Mahometes, Turcarum Imperator, quum Radulonem Palatinũ Transalpinæ Moldauiæ contra Stephanum adiuuisset, tributariumq; fecisset, missis in Moldauiam copijs ingentibus, Stephanum subigere adortus est: uerùm is à Stephano Palatino, qui uix quadraginta, uel (ut alij uolunt) triginta millia habebat, insigni & omni æuo memorabili clade apud Barladum amnem & Racoueciam paludem profligatus est. Centum uiginti millia in eo exercitu fuisse dicuntur: nec prius fugam stitêre Turcæ, quàm Danubium transmiserunt, persequentibus fugientes Valachis, & usq; ad lassitudinem trucidantibus, uel in paludem ac Danubiũ impellentibus. Itaq; ex tanto numero pauci euasêre: quin & ij qui uiui in potestatem hostium uenerant, Stephano iubente omnes, præter paucos insigniores, interfecti sunt. Bassæ quatuor in eo prælio desiderati: signa militaria capta centum & amplius. nec tamen & Valacho incruenta cessit tanta uictoria. Permagnum autem, cùm ad uictoriam, tum ad maiorem hostium stragem, momentum ipsi attulit, quòd omnem circumcirca regionem, in

Mahometes subiecto sibi Radulone,

A Stephano insigniter est uictus,

In magna commeatus penuria: Stephanusq; gratus Deo.

primo ingressu Turcarum, exusserat: unde factum est, ut in magna commeatus & pabuli penuria, Turcæ iuxta ac equi ipsorum debilitarentur. Moderate Stephanus illa sua fortuna usus est, soli Deo uictoriam acceptam referens, ac toto quatriduo deinceps omni, præter panem & aquam, cibo abstinens. Ad Cazimirum uerò cum captiuis & parte manubiarum misit: & quoniam non esse quieturum Mahometem intelligebat, petiuit, ut Rex cũ exercitu propius in Russiam accederet, fidelitatisq; iusiurandum ab eo acciperet. Ad Mahometem etiam cum donis misit questum, ditiones suas à latrunculis è Turcia profectis infestatas esse, eamq; manum à se profligatam: petitumq;, ut reliquos ex eo numero, qui euasissent, ad supplicium sibi dederet: quandoquidem crederet, iniussu eius id factum esse. Quin & ad Pontificem Max. dona misit, opem contra tam potentem Christiani nominis hostem implorans. Non intermisit quoque Stephanus, nuncijs alijs post alios missis, auxilia à Cazimiro petere contra Mahometem, quem Adrianopoli ingentem belli apparatum facere didicerat. Et suadebãt Poloni ac Lituani Proceres, Lublinum ad quintam diem Iulij ad Regem uenientes, ut Valachiam, tãquam propugnaculum terrarum suarum, defenderet: nihil tamen Regem preces Senatus mouebant. ubi Derslaus Rituanius Palatinus Cracouiensis, & Ioãnes Rituanius Castellanus Sendomiriensis & Marsalcus Regni, approbantibus cæteris, grauiter in Regem inuecti sunt, quòd per ipsius, patrisq; & fratris negligentiam & conniuentiam, Polonorum Regnum, quod ipsi florentissimũ accepissent, non solùm ab hostibus, sed etiam ab ingratis socijs, & malè fœderatis Lituanis, quos ipsi in potestate haberent, miserabiliter afflictũ & accisum esset: nihil tamen effectum est

Legatos misit ad Cazimirum & Turcam ipsum & Pontificem,

A Cazimiro nulla auxilia impetrans,

est aliud, quàm ut mitteretur ad Mahometem Orator Martinus Vurocimouicius Dapifer Cracouiensis, postulatum & monitum pro ueteri amicitia, quæ inter Polonorum ac Turcarum Reges constaret, ne ille Valachiæ, quæ in ditione Regis Poloni esset, bellum facere pergeret: aliter, coactum iri Cazimirum, bellum suis illatum summa ui propulsare: si quid Stephanus peccasset, Cazimirum subditum suum ad satisfaciendum adacturum. Interea Mahometes Capham urbem munitissimam maritimam, Genuensiũ ditionis, celeberrimo Imperio nobilem, in potestatem suam redegit, proditione primorum ciuium Italorum, totis quinq; annis instructa: captaq; urbe, Nobilitas cum uxoribus & liberis, & ipsis proditoribus Constantinopolim translata: plebs uerò dimidia parte facultatum multata, in suis sedibus aliquandiu relicta est: postea tamen & ipsa in seruitutem abacta est. una tantùm nauis, quæ centum quinquaginta ephebos Caphensium formosissimos, contumeliæ & libidini Barbari Tyranni destinatos, & luculentam supellectilem, ex præda coactam, uehebat, in Stephani potestatem, dedẽtibus remigibus, uenit. Capha, & arcibus castellisq; circumiacẽtibus potitus Turcicus exercitus, ad Moncastrum siue Bialogrodum nauigauit: eamq; urbem, ad ostia Tyræ siue Nestri fluuij in pontũ Euxinum sese exonerantis sitam, aut expugnauit, aut potius immineri ei cœpit. Stephanus autem (cuius iam Legatos & exploratores 160 Mahometes trucidauerat) imparem se esse hostium uiribus sentiens, in montium & syluarum latebris sese continuit: munitiones uerò, quò distineret hostem, præsidijs firmauit. Hæc quum celeri nuncio in Poloniã perlata essent, pauor ingens & trepidatio mentes hominum inuasit, non secus, ac si ipsa iam Podolia

Sed Legatum tantùm ad Turcam.

Capha urbe capta Mahometes,

Ad Moncastrum accedit:

Stephanus autem congredi non audet, &

Polonia trepidat.

& Rusia uastaretur: placuit tamen Vurocimouicij aduentum exspectare.

DE VISTVLAE INVNDATIONE ET Locustis, Heduigis cum Georgio Duce nuptijs, & Turcis Podoliam ex Valachia attingentibus. Caput VIII.

Vistulae inundatio portentosa. PEr eos dies quum ingens uis imbriũ decidisset, tantum inundauit Vistula, ut Cazimiriam & Stradomum, oppida Cracouiæ contigua, aqua operiret, & ad altaria templorum pertingeret. quod eò portentosius fuit, quòd toto superiori triennio tanta fuerat siccitas, ut non modò apud Ploscum, sed etiam apud Torunum, uadabilis esset pediti Vistula. *Locustae horribiles.* Hoc etiam ferè tempore locustarum uis ingens, Lenciciẽsem oram atq; Masouiam peruagata, non modò segetes atque prata, uerùm etiam arborum frondes depasta est. Cazimirus Corcino Cracouiam egressus cum Regina, *Heduigis, filia Cazimiri,* Heduigim filiã natu maximam, quam Georgio Duci Bauarorum Ludouici filio desponderat, Posnaniam deduxit: & adiunctis ei Calissiensi & Lenciciensi Palatinis, ac cæteris claris uiris & matronis, ad sponsum misit: *Ad sponsum deducta.* dosq; ei triginta duûm millium aureorum fuit. aduenienti autem non modò sponsus cum amicis, uerùm etiam Fridericus Imperator cum Electoribus & mille equitum comitatu, obuiam profectus est. *Legato à Turca reuerso,* Redierat interea à Turcarum Imperatore Mahomete Vurocimouicius: renũciabatq;, apud Varnam, cum ingentibus copijs in Valachiam contendentem, illum se reperisse, expositisq; mandatis Regijs, hoc ab eo responsum accepisse: Illum postulata Regis facturum fuisse, si ea apud Adrianopolim in procinctu accepisset: Transalpinensium ac Tartarorum, sibi uectigaliũ, querelis &

relis &

relis & precibus deesse non posse. Hæc Vurocimouicius referebat: consequebantur autem eum ipsius Stephani nuncij, alij post alios, auxilium petentes, ac ut de Podolia & Rusia Rex esset solicitus, admonentes. *Stephano autem auxilia frustra urgente,* Periculum enim esse, ne Turcæ, peruastata Valachia, in eas oras continuata populatione excurrerẽt. quod quidem ita accidit. *Podoliae etiã fines Turcae attingunt: &* Percursata namq; omni Valachia, Socauia, & Chocimo alijsq; munitionibus frustra tentatis, Podoliȩ fines ij attigerunt, & aliquot uicos ignobiles ac pagos exusserunt. *Cazimirus,* His itaq; cognitis, Cazimirus Rusiam omnem ac Podoliam & Belsensem tractum arma sumere, & cum Iasenio Thesaurario sine mora adesse iubet. *Post damna tamen à suis orae Camenecensi facta,* Rusi autem cum Iasenio, quum diutius apud Cameneciam statiua habuissent, neque transgredi sine Rege fines Regni uellent, neque domos iniussu Regio discedere: non minoribus damnis eam oram affecerant, quàm si hostilis exercitus peruasisset. Noui deinde Conuentus, Minorum quidem Polonorum Corcini, Maiorũ uerò Coli, instituti. Et Corcini quidem Rege per se postulante, quaternorum grossorum tributum iugerale scitum est: Maiores uerò Poloni labefactationem Iuris publici causificati, quòd Matthias Mosinius Præfecturam Maioris Poloniȩ & Palatinatum Calissiensem pariter obtinebat, tributum id renuerunt. *Aduentu suo in Rusiã reprimit Turcas,* Cazimirus Corcino profectus in Rusiam, ad Belsum usq; profectus est, ut fama aduentus sui suos recrearet, Turcas uerò reprimeret: nec mora, excesserunt ij Valachia, quòd etiam classem, quæ supplementum militum & machinas ad expugnandas munitiones portabat, tempestate disiectam amiserant. *Classem disiectam amittentes.*

T DE

DE REGE BOEMORVM FACTO CLIENTE IMPERATORIS, IOANNE DVCE MOSCHORVM MAGNANIMO, & TVRCIS AB VNGARIS INSIGNITER VICTIS.

Caput IX.

Vuladislaus Rex Boemiæ, Cliens Imperatoris. Rex, adorato Crucis ligno, In Lituaniã properat: Propter Ioannem Ducem Moschorum, Post iugum Tartarorum Excussum,

PEr hæc tempora Vuladislaus Rex Boemiæ Viennam adueniens, ab Imperatore solenni ceremonia uexillo accepto, quo se clientem Imperatoris Romani profitebatur, in Boemiam iterum se recepit. Rex autem Cazimirus, ad monasterium Calui Montis profectus, lignum Crucis Christi de more ueneratus est, ac post aliquod deinde tempus in Lituaniam festinauit. Is enim tunc erat rerum Lituanicarum status, ut Regis præsentiam uehementer requireret. Nam Ioãnes Moschorum Dux, subacto Nouogrodo magno, & compluribus arcibus atque castellis finitimæ Rusiæ, quæ Alba dicitur, & magno Lituanorum Duci parebat, uehementer reliquæ Rusiæ & Lituaniæ imminebat. Amplum quidem is Principatum à Maioribus suis acceperat: uerùm Tartaris qui trans Rha siue Volgam fluuium incolunt, obnoxium atque tributarium usqueadeò, ut Legatis atque etiam ueredarijs tributum petentibus, uel alia quauis de causa uenientibus, dum equis ueherentur, Dux ipse pedester obuiam prodiret, & lactis equini (qui potus est Tartaris gratissimus) poculum uenerabundus porrigeret: si qua gutta deinde in iubam equi destillasset, eam lamberet: interpreti, legenti literas Imperatoris, selectam uestem sabellinam substerneret: ipse cum Proceribus, eas legi auditurus, genua flecteret: nec ullum Tyranni imperium detrectaret, etiamsi bellum contra Christianos fœderatos suscipere iussus esset. Hanc igitur tam diram seruitutem Ioannes, uir magni animi & acer, sumptis armis excusserat: Russorum Principes subiugarat:

Nouogrodũ sibi surripientem.

fugarat: Nouogrodum magnum, ciuitatem opulentissimam & amplissimam, ac totius Septentrionis emporio celeberrimam, quæ Alexandri Vitoudi armis adacta, centum millia aureorum numûm Magno Lituanorum Duci pendere erat solita, in deditionem acceperat: trecentos ciuium primores interfecerat, eorumq; facultates omnes abstulerat: reliquis uerò ciuibus tertiã modò facultatum partem reliquerat: denique Archiepiscopi ærarium, auro, gemmis, & omni genere opum, per multos annos congestarum, refertissimum spoliârat: solumq; aurum, argentum, gemmas, uniones, trecentis curribus asportârat. Nam qui cæteram supellectilem portabant, currus fuerant innumerabiles. His igitur malis occursurus Cazimirus, in Lituaniam profectus, quietis consilijs cum feroci Moscho rem composuit: quòd eum tanta accessione diuitiarum & prouinciarum numerosis, & bellandi assiduitate exercitatis copijs abundare intelligeret. Hæc tunc in Lituania. Per id etiam tempus Vngari, Duce Bathoro, ex Turcis, quorum erant centum millia, insignem & omni æuo memorabilem uictoriam reportarunt.

Vngari Turcas insigniter uincunt.

DE MORTE IOANNIS DLVGOSSI ET SIMONIS FRANCISCANI & CAZIMIRI FILIJ, LATROCINIJS PVNITIS, BOEMICISQ; MOTIBVS.

Caput X.

An. 1480. Ioannis Dlugossi mors, &

QVum autem Cazimirus Rex iam grãdæuus, cum uxore & liberis in Lituania uenationibus uacans annos aliquot consumeret: Ioannes Dlugossus Canonicus Cracouiensis, non multo antè designatus Archiepiscopus Leopoliensis, uiuere pariter & Annales Polonicos scribere desijt, uir nobilis de gente Vienauia, uir-

tute & constantia summa, eruditione & facundia (ut illis temporibus) non uulgari, & industria ac dexteritate in rebus gerẽdis singulari præditus. Anno deinde 1482, & sequenti, pestis atrox cunctam Poloniam inuasit: qua etiam absumptus fuit Simon Lipniciensis, Ecclesiastes disertus Bernardiniani Cracouiæ Ordinis, homo plebeius quidẽ & obscuro loco natus, sed probitate & sanctimonia uitæ ita clarus, ut ægroti complures ad sepulchrum eius pristinæ sanitati restituti esse memorentur. Quod quidem de Cazimiro quoq;, Cazimiri Regis filio, non modò constanti fama, sed etiam certis grauibusq; testimonijs affirmatur: qui Simonem hunc intra uertentem annum cõsecutus est, apud Vilnam tabe consumptus, & in basilica eius urbis à patre solenni pompa sepultus, & ipse sanctitatis opinione clarus. Fertur autem is tam castè & continenter uixisse, ut Medicis concubitum suadentibus, si sanus esse uellet: mortem oppetere, quàm legem pietatis Christianę transgredi, maluerit. Ita ille ad æternam beatitudinem comparandam attentus fuit, uel ex uno bello Vngarico expertus, quàm fallax sit & uana mundi istius felicitas. Creuerat interim in Polonia licẽtia hominũ & audacia, cœperantq; nonnulli Nobiliores rapto uiuere. Nec Boemia interim & Praga, præsertim domesticis motibus, quieta fuit, schismaticis & profligatis sacerdotibus in absentes Episcopos, in Cardinales, in Pontificem Max. in Magistratus, in Regem denique inuehentibus, ita ut Rex de uita sua periclitatus, ad Cuthnos montes secedere coactus esset: Senatus uerò ueteris & nouæ Pragæ à furente multitudine contrucidatus est, & monasteria direpta.

An. 1482. — *Simonis Lipliciensis, &* — *Cazimiri filij.* — *In licentia hominum rapto uiuitur.* — *Boemici motus,* — *Ab hæreticis excitati,* — *Regi etiam periculosi.*

DE

DE STEPHANI PALATINI VALACHOrum iureiurando, & cum Turcis certaminibus. Caput XI.

PORrò Cazimirus Rex in Russiam expeditionem fecit, ut à Stephano Palatino pridem promissum fidelitatis iuramẽtum solenni ritu acciperet: Russica & Podolica Nobilitas omnis ipsi præstò fuit: permultiq;, etiam de Polonis & Lituanis, uoluntarij cõfluxêre, equis armisq; bene instructi, ita ut uiginti millium equitum, bello aptorum, comitatus ille numerum expleret. Cum hoc autem exercitu Nestrum seu Tyram amnem, apud Haliciam transmisit: & Colomiam, ad constitutam cum Stephano diem, sese contulit, ac in latè patenti campo castra metatus est: nec multò pòst Stephanus quoque, cum insigni Procerum equitumq; caterua, affuit. Sublime solium in papilione Regis præparatum erat: in eoq; Rex ornatu Regio sedebat, adstãtibus Consiliarijs. Stephanus itaque ubi appropinquauit, solus in papilionem receptus, & à Primoribus Regij Consilij obuiam prodeuntibus ad Regem introductus est, uexillum signo terræ Valachię manu tenens: & adorato (ut mos est gentis) Rege, uexilloq; ad pedes sedentis abiecto, in genua procidit. Interea solutis ex composito funiculis qui papilionem sustinebant, quæ fiebant intus, cunctis longè lateq; patuêre. Ibi tunc Stephanus, nihil ea re motus, solenni cerimonia conceptis uerbis iusiurandum dedit: se cum uniuersa Valachia, in fide & clientela Cazimiri & successorũ eius Regum Poloniæ, semper fore, nec alium quenquam Dominũ, præter ipsum, agniturum esse: contra quosuis hostes ipsum summis uiribus præstò futurũ: pacem denique bellumq; cum nemine, iniussu Regis, esse facturum. Subleuatus deinde à Rege, & ad osculum

Cazimirus in Russiam — *Magno cum comitatu profectus,* — *Apud Colomiam à Stephano,* — *Iusiurãdum accipit:* — *Isq; perhumanè acceptus,*

admotus, mensæq; adhibitus cum tredecim suæ gentis Primoribus, & perhumanè acceptus, deniq; hospitalibus donis ornatus, in Valachiam se recepit, tribus millibus equitum auxiliariorum, ex omni numero delectorum, à Rege acceptis: quibus Ioannes, cognomento Polacus, præfuit. His autem auxilijs fretus Stephanus, particularibus certaminibus uehementer Turcas exercuit, & sæpe non sine strage fudit fugauitq;.

Ac benignè dimissus, Cum equitibus auxiliarijs

Turcas uexat.

DE TARTARIS À IOANNE ALBERTO fortiter uictis, & cum Turcis icto fœdere.

Caput XII.

CAzimirus Cracouię aliquandiu quietus mansit: & Fridericum filium natu minimum, ad Episcopam Cracouiensem, secundum Ioannē Ressouium tunc mortuum, euexit (quod quidem anno Christi 1488. actum est) bellumq; Tartaricum per Ioannem Albertum filium gessit. Infestabāt ij crebris incursionibus, magnisq́ue incommodis afficiebant, Russiam atq; Podoliam, semperq; miserabilem rerum omnium faciem discedentes relinquebant: quibus tandem excitus Cazimirus, quum celeri nuncio didicisset, Podoliæ ac Russiæ Tartaros imminere: Ioannem Albertum filium, anno Christi 1489. cum expeditis copijs cōtra eos misit: cum eoq; se Russica & Podolica Nobilitas coniunxit. Iam Tartari bipartito agmine cum duobus Ducibus reuertebantur: quod dum accepisset Albertus, primum agmen, quod præcedebat & quindecim millibus equitum constabat, magno animo adortus profligauit, prædam & captiuos recuperauit, exuuijsq; hostium cumulauit. ad cæteros deinde, qui insequebantur, contendit, & in inopinatos derepentè impetum fecit: atq; in eorum cæde, qui decem millium fuerunt, quasi in pecudum, ad lassitudinem

Fridericus Episcopus Cracouiensis. An. 1488.

Tartaros crebris incursionibus Podoliam & Russiam infestantes,

Ioannes Albertus An. 1489.

In duplici agmine fudit,

nem usque cum suis uersatus est: ubi etiam alter Tartarorum Dux cecidit. Tunc autem Ioannes Albertus, re bene gesta, clarus charusq; cunctis haberi cœptus, militibus & captiuis reducibus, uirtutem, dexteritatem, & prudentiam eius prædicantibus. Per eadem tempora Cazimirus Rex fœdus icit cum Baiazete Turcarum Imperatore, per Oratorem suum Nicolaum Firleium, gente Leopardium, qui postea Castellanus Cracouiensis & Dux exercitus Polonici fuit, hac lege, ne quid alter alterius ditionibus incommodaret.

Magna cum sua laude.

Fœdus cum Turcis.

DE BELLO ET PACE INTER VVLAdislaum & Ioannem Albertum fratres, propter Regnum Vngaricum.

Caput XIII.

MOrtuus est tū Matthias Vngarorū Rex: & Vngari orbati Rege, in diuersa studia scissi sunt. Pars namq; ad Ioannē Albertū, Cazimiri filiū, Regnum detulit: pars ad fratrē eius Vuladislaū, Boemorū Regem. qui accitus à suis fautoribus, celeriter Budā caput Regni (fauore Beatricis Reginæ, spe noui matrimonij illectæ) occupauit: idq; quū didicisset Ioānes Albertus, accepto à patre exercitu, sub signis in Vngariā ingressus est. Quū autem is, patris Cazimiri iussu, qui eò ipsum incitabat, & affuturū se ei cum ualido exercitu promittebat, proxima quæq; populabundus uexaret: Vuladislaus suorum querelis (quorū agri uastabant) motus, octodecim millia pariter peditū et equitū coadunauit. Vix quatuor millia bellatorū Ioannes Albertus habebat: nihil tamē territus hostilis aduētantis exercitus magnitudine, grauiter ad pugnandū cohortatus suos, in aciē eos eduxit: datoq; utrinq; signo pugnæ, uentū est ad manus. Strenuè profectò se gerebāt Albertiani, primosq; hostiū loco moue-

Matthia Rege mortuo, Regnoq; ad duos fratres delato, A Vuladislao

Ioannes Albertus

Vincitur: &

rant: sed prægrauante multitudine repressi, cessêre tandem. Dux uerò ipse quum frustra aliquandiu restaurare præliũ conatus esset, duobus equis in ardore pugnæ amissis, & tertia grauiter sub uentrem sauciato, uix tandem Aperiassum euasit. Parum autẽ abfuit, quin à duobus Boemis insequentibus caperetur: quum, fracto gladio, quo se tueretur non haberet, ni Crupsius Eques Polonus accurrẽs, suum ipsi gladium porrexisset. quo quidem ille utrumq; hostem trãsfixit. Vuladislaus de euentu pugnæ certior factus, magis de salute fratris lætabatur, quàm de uictoria: itaq; pacem cum eo fecit ijs conditionibus, ut Vngariam deinceps missam faceret, acciperet autem in Silesia certa oppida: quæ omnia ditione teneret unà cum liberis suis maribus, si quos habiturus esset, tantisper, quoad Rex factus non esset: quòd si Vuladislaus, nullis relictis liberis, decederet, Ioãnes Albertus post eum regnaret apud Vngaros. quæ omnia inter fratres cõuenta, conscripta, ac Vuladislai Regis & quindecim Vngarorum signis consignata sunt: hisq; peractis, in Poloniam se Ioannes Albertus recepit.

Post rem gestam fortiter,

Pax inter fratres facta.

DE MVCHA SEDITIOSO, ET morte Regis. Cap. XIIII.

Mucha rusticanus, Cum exercitu infestans Russiam, Conniuente Stephano, Victus & Captus.

PEr hæc tempora rusticanus quidam homo, cognomento Mucha, collecto è Valachis & Russis Pocuciensibus decem millium hominum exercitu, Russiam infestabat, si non concitante, conniuente quidem certè Stephano Palatino Moldauio: quem Nicolaus Chodecius, cognomento Zemelca, uir fortis & rei militaris peritus, cum mercenario milite Polonorum fudit, multitudinemq; illam promiscuam dissipauit. Ipse autem Mucha postea captus à Russis Nobilibus, Cracouiã ad Regem

gem missus est: ibiq; in carcere uitam finiuit. Vilna postea Rex profectus, quũ Trocos unius diei itinere peruenisset, morbo correptus, ubi animaduertit supremũ uitæ diem sibi imminere, testamentum cõdidit: deinde uerò sacrosancta Eucharistia ritè percepta, mense Iunio animã exhalauit, anno Christi 1492. indeq; solenni pompa elatus, in basilica Cracouiensi sepultus est. Nec multo pôst pars urbis ad occidentem Solem uergens, cum ea domo Academiæ, quam Collegium maius uocant, fortuito incendio conflagrauit: diraq; lues & pestis pecudum atq; pecorum Poloniam peruasit. Aliquanto autem ante mortem Regis, post medium Decembrẽ, tres Soles in Meridie uisi sunt: deinde Cometes post occidentem Solem apparuit: prodigia, ut creditum est, mortis Regiæ: qui regnauit annos quadraginta quinque, uixit sexaginta quatuor.

Cazimiri Regis mors, & An. 1492. Cracouiæ incendium, & Pestis. Signa, & Aetas.

LIBER XVIII.

DE IOANNE ALBERTO REGE, PACE cum Turca & Vngaris, Tartarorum excursione ac uictoria, Ducatuq; Plocensi. Caput I.

CAzimiro sepulto, uaria fuêre studia Procerum, in Regis defuncti filios absentes partita: sed tamen frequenti Senatu in aulã Regiam Petricouiæ conueniente, & Friderico Episcopo Cracouiensi filio Regis in Archiepiscopi absentia Comitijs præsidente, 27 die mẽsis Augusti Ioannes Albertus Rex renunciatus est, non magis Procerum suffragijs, quàm populi foris circum comitium

Ioannes Albertus Rex electus

tium ſtantis clamore adiutus. Cracouiam deinde reditum eſt: ibi que de more nouus rex, à Sbigneo Archiepiſcopo ritu ſolenni inunctus, Diadema ſuſcepit: *[Coronatur.]* paulo uerò pòſt, Archiepiſcopo aqua intercute mortuo, Fridericus ab Alexãdo Pontifice Archiepiſcopus Gneſnenſis datus, ita ut idem Epiſcopam Cracouienſem retineret, Cardinalitio quoq; honore cumulatus. *[Fridericus Epiſcopus & Cardinalis factus, inſuper Archiepiſcopus.]* Rex paucos dies Cracouiæ cõmoratus, Maiorem Poloniam obiuit: quò uenerunt ad eum Legati Venetorum & Baiazetis Turcarum Principis, utriq; Regnum ei gratulantes: *[Legati ad Regem, Venetorum & Turcæ:]* Baiazetes uerò pacẽ petebat: cum quo trium annorum inducias pactus Rex, iureiurando utrinq; interpoſito. *[Cum quo induciæ triennes.]* Deinde cum Vuladiſlao fratre Conuentum egit: ubi publicè redintegrata eſt inter Reges fratres germanos beneuolentia, fœdusq; inter Vngaros & Polonos. *[Fœdus cũ Vuladislao & Vngaris.]* Sub finem Septembris Tartari Tauricani ſiue Precopenſes, in Podoliam & Volyniam populabundi excurrerunt. *[Tartari populantes Podoliam & Volyniam,]* qua de re certior factus Rex, aulicum ſuum comitatum ad reprimendos eos miſit: qui quum ſe cum mercenario milite, qui tum paucus erat, coniunxiſſet, Tartarosq; ad Viſnoueciam, caſtellum Volyniæ, aſſecutus eſſet: *[Aulicũ Regis comitatũ]* celerrimè circumuectus, & ſagittis eminus cõfixus, multis claris & fortibus uiris amiſsis, uictoriã hoſti Barbaro præbuit. *[Vincunt.]* Sequẽti anno, qui fuit 1495. Ianuſsius Plocenſium Dux cœlebs inhumanis eſſe deſijt: ſecundum quem Ioannes Albertus Rex tractum Plocenſem, Iure Feudi (ut uocant) ad ſe deuolutum, Regno adiunxit. *[An. 1495. Ducatus Plocenſis, mortuo Ianuſsio, Regno adiunctus.]*

DE BELLO CONTRA TVRCAS INſtituto, & Valachorum Soſauia fruſtra oppugnata. Cap. II.

GLoriæ uerò & Imperij propagandi percupidus Ioannes Albertus, bellum contra Turcas, Chriſtia- *[Ioannes Albertus contra]*

nis

nis omnibus formidabiles hoſtes, apparabat: idq; ſiue pio Reipublicæ Chriſtianæ iuuandæ ſtudio, ſiue ut Vuladiſlai patrui necem uindicaret. *[Turcas bellũ apparat.]* tametſi iactatum eſt uulgò, & creditum, eum Valachiam ſubigere meditantem, fallendi Stephani Palatini gratia, Turcicum bellum præ ſe tuliſſe. Ad hoc igitur bellum Alexandrum fratrem Magnum Ducem Lituanorum, & Ioannem Tifenium Magiſtrum Crucigerorũ Pruſsienſium, è formula fœderis euocauit: Nobilitatem omnem Regni, Maio menſe Leopoli ſibi præſtò eſſe iuſsit: ad Stephanum etiam Palatinum Valachorum Legatos miſit, qui ipſum ad ſocietatem pij belli euocarent, tum Kiliæ & Bialogrodi recuperandi ſpe inuitarent. Creslaus autem Curoſuancius, Cancellarius Regni, & Epiſcopus Vuladislauienſis deſignatus, ſuo & Friderici Cardinalis nomine, Regem admonebat, ut ab inſtituto bello deſiſteret: *[Sacerdotibus fruſtra ipſum à propoſito auocantibus:]* quem Rex, durius increpitum, abire: & ſacerdotem, Sacrorum, non belli, curam gerere, iuſsit: ſe uel ſubuculam ſuam concrematurum eſſe, ſi eam conſilij ſui conſciam eſſe ſciret. Vngari uerò Proceres, quòd Moldauiam bello illo à ſua clientela prorſus abſtractam iri uidebant, ut Stephanum aduerſus Regem Polonum irritarent, per literas & nuncios illum admonuerũt, ut ſibi caueret: *[Stephanus autẽ præmonitus ab Vngaris,]* contra ſe illum exercitum à Rege Polono duci, ut ſe amoto, Sigiſmundum fratrem Moldauiæ præficeret. His ergo monitoribus Stephanus cautius obſeruabat, quid conſilij Ioannes Albertus caperet. *[Et ſingula obſeruans,]* quem ubi comperit, recenſitis copijs motiſq; à Leopoli, non uerſus Cameneciam (quà compendioſior eſt uia ad Kiliam & Bialogrodum) iter inſtituere, ſed ad Pocuciam oram deflectere: miſit ad Regẽ tres Legatos, uiros gentis ſuæ primarios, ſciſcitatũ, Amicus'ne, an hoſtis, Valachiam *[Dum mittit Legationem]*

 peteret:

Superbam et minacem, *Rex Legatos ipſius Leopoli aſſeruat, &* *Soſauiam oppugnat* *Cum magna multitudine* *Fruſtra:* *Stephanoq; ex inſidijs noſtros carpente, &* *Poſt pacem petitam, &* *Regem febri tentatum,* *Induciæ fiũt.*

peteret: ſin ſibi bellum inferret, daturũ operam, ut illum illati pœniteat. Hac tam ſuperba & minaci Legatione cõmotus Rex, Legatos (contra Ius Gentium) comprehenſos Leopolim aſſeruandos miſit: non exſpectatisq; Lituanorũ, Pruſſorum & Maſouiorum auxilijs, cum infeſtis ſignis Moldauiam ingreſſus eſt, & caput gentis Soſauiam petiuit, ſperans, Valachos acerbum Stephani Dominatum pertæſos, ad ſe defecturos eſſe. Cæterùm quũ Soſauia, Stephani pręſidio firmata, uenienti portas clauſiſſet: quaternis caſtris in conſpectu arcis poſitis, oppugnare eã adortus eſt: nec tamen proficiebat quidquã, quãuis abundante multitudine. Nam ad octoginta millia pugnatorũ in exercitu habuiſſe ferebatur, exceptis lixis & aurigis, qui dimidiũ eius numeri expleuiſſe exiſtimati ſunt, quum curruũ ferè eſſent triginta millia. Nec tormenta quidem bellica noſtris defuêre: ſed quantum muri interdiu noſtri deiecerant, totũ hoc noctu Valachi limo fimoq; reficiebant. Itaq; quũ in longum duceret obſidio, Stephanus collecto è ſuis exercitu, in apertum non prodibat, ſed ex inſidijs modò carpebat exercitum Regiũ: cauerat etiam, inſeſsis itineribus, ne cõmeatus noſtris è Ruſsia & Podolia inueheretur. Quare ſpe defectionis Moldauorũ fruſtrati noſtri, fremere in Regem & miſsionem petere inſtituerunt. Accedebat eò, quòd ipſe quoq; Stephanus pacem petebat, Vuladislao Rege Vngarorum deprecatore & pacificatore utens. Facilè quidem Ioannes Albertus, in illo præſertim ſtatu rerum, quum febri etiam tentari cœpiſſet, perſuaderi ſibi paſſus eſt: ſed quũ de conditionibus pacis non conueniret, Induciæ conſtitutę ſunt, per quas liberius de pace ageretur. quibus conſtitutis, iter pronunciatum in certum diem.

DE

DE STRAGE POLONORVM, ET Bucouina ſylua. Caput III.

Poloni nullo ordine eũtes, & iniurias facientes, apud Bucouinam ſyluam *Valachorum inſidijs,* *Stephano cum copijs præſente,* *Cæduntur & rapiuntur* *Crudeliter,*

ITum uerò eſt, quà placuerat, nullo ordine: nec abſtinebant noſtri manus rapinis & iniurijs obuiorum. Quartis iam caſtris, ad Bucòuiam peruentum fuit: ubi ſylua erat fagina, denſa, duûm milliarium ſpatio lata, anguſtam habens & præruptam inter aſpera ſaxa mõteſq; uiam: eam Maiores Poloni, cum impedimentis ſuis præire iuſsi, ſine ullo impedimẽto emenſi ſunt: altera autem die Rex, præmiſsis bombardis & curribus ſuis, cum aulica ſua cohorte ſubſequutus eſt: ponè uerò ſequebantur Minores Poloni & Ruſsi, incompoſiti, inermes, & quaſi in pacato ſecuri. Ad medium ſyluæ impedimenta Regia peruenerant, quum ecce Valachi agreſtes pedites, undiq; ex inſidijs coorti, impetum in ea faciunt. diripiũt currus: & facilè, impulſis arboribus, quas in hoc iam antè ſucciderant, uiam impediunt, ne progredi extrema agmina, nèue regredi prima ad ferendam ſuis opem poſſent. Nec mora, ipſe Stephanus cum ualidis equitum & peditum copijs improuiſus adeſt. tumultuantur noſtri, re inopinata perturbati: & expediunt quidem arma: ſed ſine ſignis, ſine Ducibus, ſine ordine, res agebatur: deſperataq; ſalute, cœlitùs opem indice trepidationis uociferatione inuocabant. Rex autem cognito ſuorum periculo, aulicum equitatum ſuum, armis uiriſq; florẽtem, ſuppetias ire laborãtibus iuſsit: neq; diu ſuſtinuère Valachi impetũ equitatus Regij, uerùm impulſi diſiectiq; terga dedère. Manè uerò recognitis copijs, complures de Nobilitate Polonica & Ruſsica deſiderati ſunt, partim cæſi (inter quos Auerinus Herbortus fortiter pugnans occubuit) partim capti: & Stephanus quidẽ, plus quàm Barbarica crudelitate uſus, quotquot in poteſta-

 tem

tem ſuam redegerat, omnes in conſpectu ſuo trucidari iuſsit. Compoſito deinde agmine, noſtri, motis à Bucouina caſtris, progreſsi ſunt: nec ſanè quieuerunt hoſtes, quin opportunis locis carptim noſtros laceſſerent: ſemper tamen plus incommodi accipientes, quàm inferentes, præterquàm quòd ſexcentos equites Maſouios ad internecionem penè deleuerunt. Secundo hoc prælio ferocior factus Stephanus, ripam Pruti fluminis ad Zarnouecium cum omnibus copijs ſuis inſedit, ut noſtros tranſitu prohiberet. quò cùm perueniſſent noſtri, commiſſa pugna, dimicatum eſt utrinque totis uiribus: ſed uirtute Polonorum repulſi, & non parua ſtrage affecti hoſtes, in auia nemora ſeſe abdidêre.

Atq; uexantur.

Etiam Pruti tranſitũ prohibente Stephano.

DE REGIIS VOLVPTATIBVS, EIVS *perſona indignis.* Caput IIII.

CVm Sniatinum copias Rex reduxiſſet, tranſmiſſo Nepro amne, dimiſit exercitum: ipſe uerò Leopolim lento itinere uectus, tantiſper ibi acquieuit, donec morbo liberatus eſſet. indeque Cracouiam reuerſus, quaſi rem bene geſsiſſet, conuiuijs & compotationibus & choreis impenſius indulſit. Fertur autem, quodam tempore, cùm noctu (uno aut altero fortaſsis miniſtro comitatus) abſque lucerna obambularet, & in ebrios iuuenes incognitus incidiſſet, exorto temerè iurgio uulnus accepiſſe, ex quo laborauerit aliquandiu: ut ita, immemor cõditionis & dignitatis ſuæ, plaga illa, non ſine dolore & rubore, officij ſui diuinitùs admoneretur. nihilo tamen magis utilium rerum ſuis quidquam prouidit, negligens acceptæ in Moldauia ignominiæ: nec memor, quòd Stephanum, animoſum & ferocem hoſtem irritaſſet. quæ res grauium incommodorum, & magni luctus, Polonis atque Ruſsis deinceps cauſſa fuit.

Rex dimiſſo exercitu, morboq; liberatus,

Dat ſe uoluptatibus:

Acceptoq; uulnere,

Stephani irritati oblitus.

DE

DE PODOLIA ET RVSSIA, CRVDELIter à Valachis & Turcis, atque Tartaris uaſtata. Caput V.

STephanus enim acceptam à Ioanne Alberto Rege iniuriam, bellumque ſibi immeritò illatum ulciſci ſatagens, primo uere inſequẽtis anni, qui fuit 1498, cum expeditis ſuorũ Valachorũ Turcarumque ac Tartarorũ copijs, in Podoliã & Ruſsiam inuaſit: & prætergreſſus Leopolim, arcem urbemque munitam, ad Cancugam oppidum, & Vislocũ amnem, longè lateque populabundus excurrit: nemine ad arcendum hoſtem neque parato, neque animato. unde plurimi mortales utriuſque ſexus in miſerabilem ſeruitutem abducti ſunt, ita ut Tracia, Macedonia, Scythia, & Aſia, Ruſsis mancipijs implerentur. Supra centum millia hominum tunc abacta eſſe feruntur, cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis generis præda: Præmislia, Radimnum, Iaroslauia, Præuorſium, cum innumerabilibus pagis direpta atque incenſa. Neque uerò hic malorum finis fuit. Nam Tartari, præda apud Tauricam depoſita, menſe Iulio eaſdem regiones immani excurſione diuexarunt. His itaque incommodis & conuitijs hominum Rex motus, Nobilitati uniuerſæ arma ſumere, & apud Sendomiriam ſibi præſtò eſſe iuſſit. dum uerò ægrè moliuntur & conueniunt noſtri, hoſtes præda onuſti ad ſua ſe recepêre. quo cognito, noſtri quoque domos dilapſi ſunt, cùm nõ multò minore, quàm hoſtes, damno & incõmodo Sendomirienſem tractum affeciſſent.

Stephanus Valachus,

An. 1498.

Cum Turcis & Tartaris Podoliam & Ruſsiam uaſtat,

Multis hominibus in ſeruitutem miſerã abductis:

Idemq; & iterum cùm fieret à Tartaris,

Rex cũ ſuis,

Suis addunt damnum.

DE TVRCIS RVSSIAM RVRSVS VAſtantibus, Diuinitusque punitis. Caput VI.

NEc ita multo pòſt, ſub finem Nouembris, ſeptuaginta millia Turcarum per Valachiã in Ruſsiam

Turcæ rurſus Ruſsiam uaſtantes,

 ſe

ſe effuderunt, omnem eam oram, quæ ad Neſtrum, & ad Haliciam, Zidacouiam, Drohobiciam, & Samboriam eſt, ferro & igni uaſtantes, & prædas agentes. Neq; progrediendi & uaſtandi modum Barbari ullum feciſſent, niſi cœlitùs, Deo miſerante populum ſuum, repreſsi atq; adeò oppreſsi eſſent. Derepentè enim intenſum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, ut circumſepti undique Turcæ neque progredi, neq; regredi poſſent. Ita iumentis pleriſq; omnibus frigore & fame cōſumptis, hominum quoque ſupra quadraginta millia alſiſſe & obriguiſſe memorantur: multiq; reperti poſtea, qui interfectis equis, in uteros eorum exenteratos, calentes etiam tum, ſeſe illatebrauerant, ſed nullo operæpretio. Reliqui uerò, cùm ſe utcunq; explicaſſent, & in Moldauiam euaſiſſent, à Stephano Palatino, Polonorum habitum mentiente, diuexati & cōtrucidati ſunt, ita ut uix decem millia Iſtro tranſmiſſo ſalua euaſerint. Hæc acciderunt anno 1499.

Diuina miſeratione repreſsi, &

Reliqui à Stephano contrucidati.

An. 1499.

DE SIGISMVNDI PRINCIPATV, PACE *cum Valachis & Turcis, Tartarorum excurſionibus per Cometem prædictis, & Ioannis Ducis Moſchorum cupiditate prorogandi Imperij.*

Caput VII.

Sigiſmundi principatus.

SIgiſmundo fratri Vuladislaus Rex Vngarorum Glogouienſem & Opauienſem ditiones in Sileſia conceſſit, ijſdem ferè conditionibus, quibus Ioanni Alberto prius conceſſerat: & Inferiori Superioriq; Sileſiæ eum præfecit. ubi præclaram is operam, ſubiectis & uicinis populis, in extirpandis eius gentis latrocinijs nauauit. Cum Stephano Palatino Valachorum, & filio eius Bogdano, pax etiam tum facta eſt, fœdusq; ictum à Rege Polono: quo profeſſus eſt Stephanus, omnem culpam & iniurias,

Fœdus cum Stephano ictum.

iniurias, à Rege ſibi clementer condonatas, ac dominatum Valachiæ relictum eſſe: & cōtra quoſuis hoſtes, totis uiribus, ſemper præſtò ſe ipſi futurum promiſit. Nec multo pòſt, ipſe etiam Turcarum Imperator Baiazetes inſignem Legationem ad Ioannem Albertū Regem de pace uel inducijs prorogandis miſit, quæ totum annum reſponſum Regis Poloni exſpectauit. Neq; enim explicauit is, quid faceret, propterea quòd ad bellum Turcis inferendum prono erat animo, tum & ab alijs etiam incitabatur: ſed eum domeſticæ difficultates impediebāt, & præſertim inopia ærarij, & quòd gemina Tauricanorum Tartarorum incurſione diſtractus, conſultādi cum Proceribus ſpatium non habuit. Tartari enim ſub meſſis tempus hybernarū frugum, magno impetu, per Volyniam, Ruſsiam, & Poloniam, circum Belſum, Craſniſtauiam, Turobinum, Craſnicū, & Lublinum, ad Viſtulam uſq;, immaniter omnia uexabāt. quo cōmotus Rex, obuiam eis contenderat: ſed cum hoſtem raptim abeuntem conſequi non potuiſſet, Cracouiam redijt. Nec ita multo pòſt Tartari, præda depoſita, menſe Septembri reuerſi, non modò eaſdem oras, ſed Ruſsiæ quoq; Auſtralis, & Lituaniæ partem depopulati ſunt: ac circum Laudiſchutam, Lezeiſcum, Zauichoſtum, Opatouiā, & Breſte Lituanicum, prędis actis, nullo accepto incommodo redierunt. Inſigni calamitate & uaſtitate tunc illę Barbarorum excurſiones Ruſsiam & Poloniam affecère. Portenderat autem hæc mala Cometes, decē & octo diebus ante primam Tartarorum incurſionem cōſpectus. Nec Lituania eo anno, meliori fortuna uſa eſt. Nam Ioānes, Magnus Dux Moſchorū, quamuis Helenam filiam Alexandro Magno Duci Lituanorum in matrimonium collocaſſet, imperij cupidus, Ruſsię totius dominatum, Be-

Baiazeti inducias petiti,

Rex ad bellum Turcis inferendum pronus.

Propter domeſticas difficultates

A Tartaris, &

A Ioanne Duce Moſchorum.

rezina flumine tenus, auito & proauito quodam (ut uideri uolebat) iure à genero repetebat. Coadunato igitur exercitu, cùm alia quædam territoria per deditionē magis, quàm expugnationem, in poteſtatem ſuam redegit, tum Smolēſcenſem oram uaſtauit. His igitur rebus omnibus ac difficultatibus diligenter expenſis, Rex, Comitijs Petricouiæ anno Christi 1501 habitis, quinq; annorum inducias Baiazeti conceſsit, & Legationem magnificè donatam dimiſit.

An. 1501. Quinquennes concedit.

DE PETRI HELIAE INTERITV, & Regis morte. Caput VIII.

VEnerunt quoq; ad ea comitia Oratores Stephani, Palatini Valachorū, Petrum Heliæ (qui ante Stephanum Palatinus fuit) filium profugum ex fœdere depoſcentes, quòd is affectare dominatū diceretur. Quum itaq; de ijs poſtulatis aliquamdiu conſultatum eſſet, dedere quidem inſontem & ſupplicem, durum & immane uidebatur: ſeruare autem æmulum infidi ſocij contra fœdera, quem bello repetiturus eſſe uidebatur, fuit inutile. Quamobrem deditus non eſt Petrus, uerùm Legatis inſpectātibus capite plexus eſt. Sic igitur dimiſsis Stephani Legatis, Rex Toruniā profectus eſt, à Friderico Magiſtro Crucigerorum iuſiurandum exacturus. Dum autem Magiſter, à Rege euocatus, cunctatur: Rex interim apoplexi uitam finiuit. cuius corpus Cracouiam reuectum, in baſilica arcis honorificè ſepultum eſt. Fuit Ioannes Albertus ſtatura proceriore, literarum & præſertim Hiſtoriæ ſtudioſus, liberalitate erga omnes homines, & magnitudine animi non uulgari, aulicum comitatum non infra mille ſexcentos alere ſolitus: regnauitq; annos nouem.

Stephano Petrum ſibi tradi poſcente,

Petrus capite plectitur.

Regis mors, & Sepultura, & Mores, &

Regnum.

LIBER

LIBER XIX.

DE ALEXANDRO REGE, ET FOEderibus cum Lituanis renouatis. Caput I.

COmitia creādi Regis noui gratia, de more, à Friderico Archiepiſcopo Gneſnenſi indicuntur: habitaq; conſultatione, uariantibus aliquandiu Procerum ſtudijs (quæ partim ad Vuladislaum Vngarorum & Boemorū Regem inclinabant, partim Sigiſmundo Glogouienſiū & Opauienſium Duci fauebant) uicit ad extremum eorum ſententia, qui Alexandrum Magnum Ducem Lituanorum, Regem edebant. Commodùm autem aduenerant Lituanorum Proceres, Ioannes Tabor Epiſcopus Vilnenſis, Ioannes Zabrezinius Marſalcus, & Nicolaus Radiuilus Pincerna Ducalis, ad eligendum (ſecundum præſcriptum fœderis) Regem, & iurandum in uerba eius, & renouandum hæc antiqua fœdera: Vt ex Polonis atq; Lituanis unus ſit populus, ſub uno Principe: Rex autem in Polonia creetur, Lituanis etiam Proceribus ſuis locis in eo Conuentu ſuffragia ferentibus: Conſilium unum ſit ambobus populis, & ſocietas, in ſecundis iuxtà ac aduerſis rebus: Moneta quoq; par atq; ſimilis: Fœdera antiquitùs ab utriſq; icta, ita ſeruentur ab ambobus, quoad alteris non incommodabunt: Magiſtratus, Senatores, Præfecti, Nobilitas, & alij quiuis Lituani, iurent in uerba Regis, non ſemel tantùm, ſed quoties à Proceribus Polonis admoniti fuerint: Iura & Prærogatiuæ utriuſq; populi ſimul, & eodem contextu

In Comitijs.

Alexander Dux Lituanorum.

Renouatis fœderibus cū Lituanis,

literarum à nouis Regibus confirmetur: cæterùm Iudicia more antiquo utrobiq; exerceantur: nulla denique occasio utrinque captetur dirimendæ coniunctionis. His igitur actis & constitutis, Alexander Rex renunciatus est: missiq; ad eum Oratores, Principes Senatus, Andreas Rosa Archiepiscopus Leopoliensis, Ioannes Lubrancius Episcopus Posnaniensis, Andreas Samotulius Posnaniensis, & Ioannes Tarnouius, cognomento Sramus, Lublinensis Palatini, iusiurandum ab eo, & Proceribus Lituanis, de seruandis pactis conuentis exegerunt: Regnumq; ei detulerunt. Nec longa mora interposita, maturauit is iter Cracouiam, suscipiendi Diadematis gratia, comitatus mille quadringentis equitibus: atq; à Friderico fratre in basilica Cracouiensi, ritu solenni inunctus & coronatus est. Nec multo pòst Sigismundus Alexandri frater, Dux Glogouiensis & Opauiensis, tum Ioannes Badnarius, Venetorum Legatus, gratulaturi Regnum Alexandro, aduenerunt.

Rex renunciatur: & Facto statim iureiurando, Cracouiæ coronatur. Sigismundus & Veneti gratulantur Regi.

DE REGINA NON CORONATA, FRIderico Gubernatore Regni, Tartaris Podoliam & Russiam uastantibus, inducijsq; cum Turca confirmatis. Caput II.

An. 1502. Regina schismatica non coronatur. Rege in Lituaniam profecto, Fridericus fit Gubernator Regni.

VEnit & Helena Regina, initio sequentis anni, qui fuit 1502. è Lituania: nec tamen Diadema de more Reginarum illi impositum est, propterea quòd Græcorum schismati dedita, ab instituto Ecclesiæ Catholicæ abhorrebat. In Lituaniam deinde Rex cum ea se recepit, Friderico Cardinale, fratre, Vicario & Gubernatore Regni pro se constituto. Acceperat enim, Moschos contra Lituanos bellum reparare. Per idem tempus, Tarta-

Tartari Tauricani, quum Podoliam, Russiam & Sendomiriensem tractum populabũdi peruagati essent: Ressouiam, Iaroslauiam, Radimnũ, Belsum, transmissoq; Vistula, Opatouiam, Lagouiam, & Cunouiam oppida diripuissent & exussissent: ad Pacianouiam usq; peruenêre. indeq; cùm Ioannes Vapouius, aliquanta manu sagittariorum collecta, in aditu eius oppidi ipsis se opposuisset, reuocarunt gradum, prędą omnis generis onusti. Eo ipso etiam anno, induciæ, quæ uiuente adhuc Ioanne Alberto cum Baiazete Turcarum Imperatore dudum constitutæ erant, per Nicolaum Ferleium Dambrouicium, qui tunc Præfectus Lublini erat, confirmatæ sunt.

Tartari Podolia & Russia uastatis, A Ioanne Vapouio repressi, Cum præda reuersi. Induciæ cum Turca confirmatæ.

DE MORTE FRIDERICI, CRESLAI Curosuancij, & Conradi Masouiorum Ducis. Cap. III.

Fridericus mortuus: Eiusq; successores. Creslaus moritur: Eiusq; successores in Episcopa et Cãcellaria.

INsequens annus Friderici Cardinalis morte memorabilis est: qui unum illud tantùm nominis sui monimentum in basilica Cracouiensi, reliquit, quòd thecam caluæ diui Stanislai martyris auream, & multis pretiosis gemmis distinctam, contulit. Huic suffectus, in Metropolitana quidem Gnesnensi sede Andreas Borissouius, cognomẽto Rosa, Archiepiscopus Leopoliensis, Bernardino Vilcico successore accepto: in Cracouiensi uerò, Ioannes Conarius. Mortuus est etiam per eadem tempora Creslaus Curosuancius, Vuladislauiensis Episcopus, & Cancellarius Regni: qui in Episcopa quidem Vincentium Prærembium Episcopum Premisliensem, in munere autem Cancellariæ Ioannem Lascium Prępositum Scarbimiriensem & Canonicũ Cracouiensem successorem accepit: Prærembio uerò in Episcopa Premisliensi Matthias Dreuitius succeſsit, qui & in Procancel-

 larij

larij munere antè successerat. Sub idem tempus, continuatis propè funeribus, Conradus Masouiorum Dux è uiuis excessit, qui Ioannē & Stanislaum filios impuberes, hæredes reliquit: sed hi in Cirnensi tantùm ditione Ius succedendi patri habebant. cum quibus rex amicè in Comitijs Petricouiensibus rem transegit: indulsitq; pueris, ut quibus finibus pater eorum Masouiā tenuisset, ipsi quoque retinerent, & posteris suis, masculis tantùm, relinquerēt: ubi uerò masculi hæredes defecissent, tum demum Rex Polonorum totam Masouiam reciperet, gentemq; suis legibus uiuere permitteret: & puellis (si quæ superessent è Ducum genere) pro dignitate dotem donaret.

Conrado duce Maſ. mortuo,

Cum filijs eius Rex amicè rem transigit.

DE TARTARORVM INCVRSIONE, & Pocuce à Valachis recuperato, morteq; Stephani. Cap. IIII.

HAc æstate, Tauricani Tartari Podoliam & Russiam hostili incursione uexarunt: Stephanus uerò Valachus, immisso in Rusſiam finitimam exercitu, tractum omnē, inter Nestrum amnem & Sarmaticos montes, quem Pocuce uocamus, nemine repugnante, ac ne exspectante quidem quidquam eiusmodi, subegit: ac, ut ipse dictabat, de sua ditione detractum, recepit. Rex itaque crebris nuncijs, è Lituania excitus, Lublini Comitia Procerum habuit: placuitq;, ut milite mercenario res contra Valachos gereretur, & Pocuce repeteretur. In stipendium uerò, decreto Comitiorum, imperata est oppidanis & agrestibus pecunia, usitato more, duodecim grossi ex laneo. Vere igitur proximo anni 1504, Rex exercitū, ex mercenario milite conscriptum, in Rusſiam misit. à quo Moldauia infestata & uexata est, ita ut Stephanus è munitionibus Pocucensibus præsidia deducere

Podolia & Russia à Tartaris uexata, &

A Stephano terra Pocucēsis subacta,

Per militem mercenariū

An. 1504.

Pocuce recuperatur.

cere coactus sit, præsertim cum ipse grauissimo pedum dolore affligeretur. quo ad extremum confectus, extinctus est, uir magnitudine animi, peritia rei militaris, & rebus contra Turcarum, Polonorum Vngarorumq; Reges, & Tartaros feliciter gestis, omni æuo memorabilis: cui Bogdanus filius luscus in Dominatu successit.

Stephanusq; moritur, Magnus Princeps,

Filio Bogdano relicto.

DE REGE PROPTER GLINSCIVM Lituanis offenso, & latrocinijs punitis. Caput V.

ALexāder Rex, in sequētis anni initio, Breste (quò Lituanis conuentum indixerat) contendit, ut eius gentis turbatiores res componeret. Principem gratiæ locum, ex ea gente, apud eum obtinebat Michael Glinscius, Dux Russus, uir elati animi: magnasq; opes in Lituania, & potentiam, atq; clientelas, Russorum præsertim, ille sibi compararat. Aegrè id ferebāt Lituani Proceres: formidabant'que, ne per occasionem is, Alexandri orbitate contempta, Lituaniæ Dominatum inuaderet, & ad Russos transferret. quin etiam iactabatur uulgò, eum Alexandro insidias struere. Non latebant hæc Michaelem, qui apertas cum æmulis suis inimicitias gerebat, & in odium Principis eos adducebat: nec defuit ipsi occasio. Fortè enim Alexander præfecturam Lidensem, Lituano quodam amoto, Andreę Drosdæ, Michaelis consanguineo, contulerat, & ad Primores Lituanorum absens mandata deder t, ut eum in possessionem eius Præfecturæ mitterent: id'que illi, odio Michaelis, ad aduentum Regium reiecerūt. Hinc igitur arrepta occasione, Michael Lituanorū Proceres quasi cōtumaces rebellesq; criminari apud Regem cœpit; eoq; ad extremū Regē perpulit, ut is secretis consi-

An. 1505. Rex iratus Lituanis,

Propter Michaelem Glinſcium,

lijs de nece ipsorum agitaret. Quum autem in media Lituania nil eiusmodi, propter magnas eorum clientelas, tutò aggredi posse uideretur, Breste ad Conuentum eos euocauit: sed suasu Ioannis Lasci Cancellarij Polonici, aliquantisper mitigatus, alijs quidem Præfecturas ademit, alios uerò Senatus ingressu exclusit tantisper, donec se placarent. Habebat Rex iterum Radomiæ Comitia: ueneranteq; illò Lituani Proceres, ut opera Polonorum, Regem sibi reconciliarent: sed non potuêre tamen ij quidquam aliud impetrare, quàm ut Rex, data ipsis repulsa publicè, secretò Polonis polliceretur, se illos in gratiam recepturum esse, cum ad Lituaniam accederet. Dimissis autem Lituanis, reliquum tempus iudicijs & consultationibus de defensione Regni, cõtra subitarias incursiones, datum: ac de Equestribus quibusdam, qui latrocinia exercuerant, sumptum supplicium. Ac Osuchouius quidem, & Missouius gladio percussi: Rufsinouia uerò fœmina, cum ocreis, calcaribus, & cultu corporis uirili (ut erat deprehensa) suspendio necata est. ad defensionem uerò Regni Minores Poloni tributum agrarium, duodenûm grossorum, in stipendium mercenariorum militum sciuêre: Maiores autem id abnuêre.

Ad Brestensem Conuentum eos euocat,

Et mitius, quàm statuerat, punit.

Ex latrocinantibus, inter quos et fœmina, sumptum supplicium:

Tributumq; datũ, & denegatum.

DE REGE PARALYTICO, BOGDANO sororis Regiæ coniugium expetente, & Elisabet piissimæ Reginæ morte.

Caput VI.

NOn multo uerò pòst Alexãder, uigore membrorum in una parte soluto (quem morbũ paralysim Græci uocant) Radomia Cracouiam asportatus est: quò subsequuta est cum Legatio Bogdani, Valachorum Palatini, qua postulabat ille coniugium Elisabetæ sororis Regiæ:

Ad Regem paralyticum,

Bogdani Legatio, de coniugio Elisabetæ expetito.

Regiæ: & quò facilius id impetraret, Thysmeniciam & Cessibissos territoria Regi reddebat. Ipse ne autem ea post mortẽ patris Polonis ademerit (ut memorat Vapouius) an à patre adempta (ut uult Mechouiensis) retinuerit: an uerò, quæ non habuerit quidem in potestate, sed quasi sua repetere posse & uelle uidebatur, donãda sibi esse duxerit, non satis constat: ea certè donabat, quæ ipse retinere non posset. Abnuebat puella & mater Barbaricũ fœdi hominis cõnubiũ: itaq; pro munere quidẽ actæ gratiæ, de coniugio autẽ ambiguum responsum datum. Paucis pòst dieb. Elisabeta Regina, Cazimiri uxor, Cracouiæ extremum uitæ diem clausit, fœmina lectissima, pietate insigni, & munificentia in cultum diuinũ singulari. Eius namque præclara & Regalia donaria extant etiamnum, cùm alibi, tum in basilica Cracouiensi: ubi, honorificentissimo funere, ab Alexandro & Sigismundo filijs elata, in delubro sanctæ Crucis sepulta est. Hoc etiam ipsa uiuens à fundamentis exædificauerat, omniq; apparatu magnificè ornauerat: & censibus ac domo in octo Presbyteros, & nonũ ministrum collatis, dotauerat. In diui quoq; Michaelis templo, in eadem arce sito, totidem Presbyteris, qui cantando, & Sacris operando, assiduè cultui Diuino insisterent, census attribuit.

Elisabeta Reginæ mors, &

Pietatis opera.

DE REGIS DECRETO PRO EPISCOPIS, & bello ac fœdere cum Bogdano Valacho.

Caput VII.

ALexander Rex, ope Medicorum, à morbo liberatus, Calendis Octobribus Lublinum profectus est: & anni sequentis initio, qui fuit 1506, Comitia Polonorum habuit. Certatum ibi ac deceptatũ inter Proceres profani ordinis & Episcopos, de ordine sedendi in Senatu, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant enim

An. 1506.

Proceribus cum Episcopis certantib. de ordine sedendi & ex-

peditionibus bellicis, enim Proceres, ut Episcopi alterũ Regis latus sibi cõcederẽt: alterũ, uel dextrũ sanè, ipsi tenerẽt. deinde uerò urgebãt, ut bona Ecclesijs addicta, perinde ac Nobilitatis, publica belli onera sustinerent. Episcopi autẽ prærogatiuis suis se tuebantur, quòd utriq; lateri Regio assidendi Ius ipsi, & militię uacationẽ Ecclesiastica eorũ bona, antiquitùs haberent. Post longam igitur altercationẽ, Rex tandem cõtrouersiam ita diremit, ut Episcopis & Ecclesijs suæ prærogatiuę saluæ manerent. Constitutũ deinde in illis Comitijs, ut usitatum tributum ab agrestibus & oppidanis, in stipendia militum, qui ad fines Russiæ & Podoliæ defendendos ac depellendum Pocucensi territorio Bogdanum mittebantur, cõferretur. Etenim Bogdanus infesto exercitu Pocuce inuaserat, ac paruo negotio in suam potestatem redegerat. Igitur quatuor millia mercenariorum militum, decreto Comitiorum in Russiam missa, Pocuce sub signis ingressa sunt: profligatisq; Valachis præsidiarijs, territorium omne non multò maiore negotio, quàm erat amissum, recuperarunt: Valachiæ fines deinde incursionibus uexarũt. ubi duo Strussi fratres, adolescentes nobiles & bellicosi, decus Russicæ Nobilitatis, cum ala quinquaginta equitum longius prouecti, à multitudine hostium oppressi sunt. Ac Felix quidem in prælio, fortiter dimicans, cecidit: Georgius uerò, dum fratri laboranti, per medios hostes animosè inuectus, fert opem, suffosso equo ad terrã defluxit: ibiq; captus, & ad Palatinum deductus, cum octo alijs, tyranno inspectante, capite plexus est. sed non inulta mors eorum Valachis mansit. Postridie enim huius diei, nostri hostem uictoria exultantem magna strage ulti sunt: cæsusq; est ibi Præfectus Chocimensis: Copacius uerò, Dux exercitus Valachici, fuga elapsus est. Finitum postea

Rex pro Episcopis decreuit.

Tributo decreto

Contra Bogdanum,

Profligatisq; ex Pocuce Valachis, &

Post amissos fratres Strussos

Magna strage cæsis,

stea bellum icto fœdere, quum Bogdanus tres Oratores ad Regem misisset, petitum rursus Elizabetam in matrimonium, sororem Regis: atque ita conuenerat, ut Bogdano nuberet his legibus, ut is ad Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ ritus, cum aulico suo comitatu, accederet: in Valachia ut templa, sacerdotes, & unus Episcopus, Romani ritus, instituerentur: Romanus Pontifex, Bogdano postulante, matrimoniũ id approbaret: Bogdanus Regijs ditionibus fœderatus ut esset, & cum cæteris Christianis Principibus bellum contra Barbaros susciperet. nec tamen hæc pacta rata fuêre: adactusq; postea bello Bogdanus, Sigismundo Regi illas Alexandri literas reddidit.

Fœdus cum Bogdano factum

Post irritum fuit.

DE TARTARORVM EXCVRSIONE, *ijsdemq; rursus à Glinscio cæsis.*

Caput VIII.

PAulo pòst, mense Maio, quinq; millia expeditorum Tartarorũ è Taurica eruperunt: Podoliã, Russiam atq; Lituaniam, longè lateq; crudeliter uastarunt: preter aliam prædam ingentem, ad centum millia hominum in Barbaricam seruitutem abegerunt: plurimos uicos atq; pagos exusserũt, & in imbecilliorẽ senum ac puerorum multitudinẽ ferro sæuierunt. Languebat tunc Rex: Proceres uerò Lituani, mutuis odijs certãtes, suũ quisq; negotium agebant, nec ullam habebant curam Reipublicæ. Tartari autem tam felici successu illecti, distracta præda quam retulerant, paruo interuallo quieti dato auctis que uiribus, iterum mense Augusto in Lituaniam irruperunt. Scribit Mechouiensis, Regem languidum & iacentem aduentu Tartarorum excitum (quum negarentur Lituani, nisi Rex ipse loco se mouisset, ad arma concursuri esse) necquidquam dissuadentibus

Tartari ex Podolia & Russia ac Lituania præda ingenti abacta,

Regeq; languente, & Lituanis suum negotium agentibus,

Iterum in Lituaniam irruunt: sed

Post uirilem Regis animum,

Medicis, ad castra se uehi iussisse, ne uel in extremo halitu suis deesset: sed Michael Glinscius, non plus septem millibus equitum aggregatis, & præsidio trecentorum equitum Polonorũ ex aulico Regis comitatu adiutus, magna strage Barbaros cõcidit, ita ut uiginti millia Barbarorum cæsa, totidem equi capti fuisse, memorẽtur: magnamq́ non solùm egregij Ducis, uerùm etiam strenui militis, laudem reportauit, tribus equis sub eo cõfossis.

A Glinscio Caeduntur.

DE REGIS MORTE, ET SIGISMVNDO *suscepto.* *Caput IX.*

IAm Alexander Rex, desperata salute & testamento condito, sumptisq́ ritu Christiano sacris mysterijs, animam agebat, quum ei de uictoria suorũ nunciatum est: sublatis igitur in cœlum manibus & oculis lachrymas stillantibus, tacitus, amisso iam usu linguæ, gratias agere Deo uisus est. nec mora, animam exhalauit die 19 mensis Augusti, quadragesimum sextum annum agens, quum non totos quinque annos regnasset in Polonia. Obitum autem eius, paucis antè diebus ad Septemtriones cõspectus Cometes portẽdit: quin & globus igneus clarissimus, quadã nocte, super turrim curiæ senatoriæ Cracouię decidisse uisus est. Fuit Alexander statura mediocri, facie oblõga, capillo subnigro, uiribus corporis atq́ lacertis ualidis: uerũ ingenio hebetiore, atq́ ob id taciturnus. Liberalitate fratres omnes superauit: non sine uoluptate sua fortibus uiris ac militaribus, atque aulicis benignè facere solitus: citharœdis atque tibicinibus impendiò delectatus est. Prodigum potius quàm liberalem fuisse multi existimauêre, ita ut in tempore eum decessisse dicerent, priusquam Poloniam & Lituaniam omnem prodigeret. Porrò dum pompam funeris Alexandri

Rex moribundus. Pro uictoria tacitus agit Deo gratias: eiusq; Aetas & Regnum. Prodigia ante mortem. Effigies. Ingenium ac Mores. Sigismũdus

xandri apparatur, Sigismundus Dux, de morte fratris nuncio accepto, accelerauit iter. Ei autem uenienti primus omnium Procerum Glinscius, cum septingentis equitibus, gratulabundus occurrit: aduenientiq́ longius è cubiculo Sigismundus obuiam progressus, comiter & benignè eum accepit, & in suum cubiculum deduxit. ubi ille non ignarus suspectũ se esse Principi (nam à Proceribus Lituanis, quasi affectaret Principatum, delatus fuit) luculenta oratione seipsum purgauit, & studium obsequiumq́ suum Sigismundo detulit. Frequentes deinde affuêre cæteri Proceres, magnis & splendidis equitum cateruis stipati, Vilnamq́ Sigismũdum Principem deduxêre: neque ita multo pòst funus Regium superba pompa elatum, & in basilicæ delubro, iuxta Cazimiri corpus, sepultum fuit.

Glinscium occurrentem Benignè suscipit.

LIBER XX.

PROOEMIVM.

Exemplar laudabilis Regis atq; boni Principis in Sigismundo nostro ut uideas, Lector, paulò aliter, atq; in superioribus factum est, eum tibi deliniamus. Vale.

DE SIGISMVNDI REGIS EDVCATIONE. *Caput I.*

SIgismundus, Iagellonis Cazimiri filius, ab ineunte primùm pueritia, unà cum alijs fratribus, ab honestissima & religiosissima fœmina Elizabeta, Alberti Cæsaris filia, sanctè ac temperanter educatus est: à Præceptoribus

Sigismundus Rex à matre pia sanctè educatus, Atq; à bonis Magistris institutus.

ptoribus autem uiris eruditis, bonis, grauibus & pijs, ad uirtutem inprimis & pietatem cultumq; diuinum institutus, in literis quoq; non contemnendos progressus ita fecit, ut Latine loquentes & scribentes sine interprete intelligeret, nec incommodè ipse ea lingua uteretur: Germanicam uerò, cuius (propter finitimos, atq; etiam incolas, Germanos) non exiguus est usus apud nos, exactius didicit. Porrò in Diuinis Scripturis ita fuit exercitatus, ut multa inde senior meminisset, ac sæpe eas in ore haberet, ad actiones uitamq; omnem moderandam eis usus: ideoq; timorem Dei, iustitiam, & uirtutes reliquas semper pre oculis habuit. Permultum namq; refert, quibus rebus quis ab ineunte ætate assuefactus fuerit: nec scio an ad uitam sic uel sic degendam longè plus faciat, quo modo quis à puero educatus & institutus, quàm quo modo natus sit. Solent enim plerunq; etiam bonæ & generosæ indoles praua, atq; adeò negligentiore quoque educatione deprauari: uitiosam uerò naturam sæpe bona educatio corrigit.

Linguam tenuit Latinā & Germanicā:

Scripturāq; Sacram, in qua fuit exercitatus,

Ad uitam probè degendam accommodauit.

DE HONORATO SIGISMVNDO APVD Vuladislaum fratrem, & Ducatu eius Silesiensi.

Caput II.

Sic igitur educatus Sigismundus, adolescens singulari indole, modestia, comitate, grauitate, & industria (quæ res maximè illam ætatem commendant) quum ad Vuladislaum fratrem, Vngarorum atq; Boemorum Regem, se contulisset, ea ibi dignatione fuit, ut Vngari & Boemi magis eum propemodum, quàm Regem suum, reuererētur: per eum, quæ cuperent, publicè & priuatim à Rege peterent: eius auctoritate & iudicio libenter starent. Vsqueadeò maiorē uim habet ad tenendos in officio etiam feroces homines, æquitatis, grauitatis, cōstantiæ, &

Sigismundus adolescens uirtutibus magnis ornatus, & Apud Vuladislaum fratrem summo in honore habitus,

tiæ, &

tiæ, & sapientiæ opinio: quàm Regium sceptrum, quàm etiam carcer, bonorum confiscatio, proscriptio, uirgæ deniq; & secures. Itaq; magno omnium fauore, Glogouiensem & Opauiensem Dominatum & summam utriusq; Silesiæ Præfecturam à Vuladislao fratre obtinuit: adeoq; charus ac uenerādus fuit Silesijs, ut hodie etiam eius Imperium grata & iucūda memoria prosequantur.

Dux fit Silesiæ,

Omnibus uenerandus & charus.

DE REGNIS SIGISMVNDO DELATIS, eius cum Imperatoribus amicitia, Russiaq; & Podolia cultioribus factis.

Caput III.

Post Alexandrum uerò fratrem Rex creatus in Polonia, à Suecijs post eiectum Christiernum Regem, itemq; ab Vngaris & Boemis post miserabilem Ludouici Vuladislai filij interitum, ut illa quoq; Regna susciperet, expetitus est. Tantum enim honorem ei summi Principes habuerūt, ut & Maximilianus Cæsar, non minoris animi quàm prudentiæ Princeps, eius gratia fœdus, cum Basilio Magno Moschorum Duce ictum, respueret: & contra Crucigeros Prussienses, quos defendendos susceperat, auxilia illi suo nepotumq; suorum nomine promitteret. Hoc Rege cultior & populosior Russia & Podolia esse cœpit: quum Tartari, prædis & rapto alioqui uiuere soliti, ad nominis eius celebritatem quietiores facti essent. Turcarum uerò bellicosissimus & felicissimus Imperator Solimannus (quod alijs postulantibus negare, aut ad tempus concedere solebat) cum hoc nostro Rege perpetuum fœdus percussit: & Valachis ac Tartaris suis uectigalibus, ne eius ditiones infestarent, edixit: quin & filio eius Sigismūdo Augusto pacem & amicitiam, in gratiam patris promissa, seruauit. Nimirum admirabantur in eo cuncti uirtutem, grauitatem,

Sigismundus à Suecijs & Vngaris atq; Boemis Rex expetitus, &

Apud Maximilianum Cæsarem honoratus,

Russiam & Podoliam cultiorem & populosiorem facit:

Fœdusq; perpetuum cum Solimanno icit,

Summis Rex uirtutibus &

 tem,

tem, & constantiam singularem: reuerebantur etiã non nihil eius fœlicitatem. Neq; enim quisquã, tot annorum spatio, in tanta Orbis terrarum perturbatione, felicius eo regnauit: aut tot ac tam difficilia bella, tam secunda fortuna tantaq; celeritate confecit. *Summè felix.*

DE VICTORIIS EX TARTARIS. Caput IIII.

NAm ut à Tartaris, perpetuis nostris hostibus, incipiam, horum quidem non contemnendos tres exercitus, apud Sluscum, tribus prælijs, Duce Constantino Ostrogio, penè cæcidit: deinde apud Visnoueciam uiginti quatuor millia, quũ se per Rusiam populabunda diffudissent, sexies fusa leuibus & particularibus prælijs, ad extremum tota acie in abeuntes facto impetu, Nicolao Camenecio Palatino Cracouiensi & eodem Constantino Ducibus, profligauit, quum nostri sex millium equitum numerum non excederent. de quibus uix centum eo prælio desiderati sunt: hostium uerò multò minor pars pernici fuga euasit. Nec illæ quidem ignobiles uictoriæ sunt, quæ apud Voronouiam, Ioanne Camenecio: apud Buscum, Stanislao Lanscoronio: apud Zincouiam arcem, Iacobo Secignouio, atque iterum, Palatino Kiouiensi: in Volinia, Constantino & Ostaphæo ter: apud Ocacouiam hostilem arcem, eodem Ostaphæo & Prædislao Lanscoronio Ducibus, quæsitæ: & quæ in Podolia Trebinij, quæq; apud Cameneciam & Verestatinium pagum, & compluribus alijs in locis Nicolai Senaunij uiri fortis & magnanimi Palatini Rusiæ, & fratrũ eius Alexandri & Procopij, ac Bernardi Prætificij Silesij opera partæ sunt: & illæ apud Treboulĩã, Podhaiciam, Medibosum, & multis alijs in locis, leuiores. Tot enim ferè sunt, quot excursiones ea gens rapacissima & famelica,

Tartari uicti apud Sluscum, Visnoueciã, Voronouiam, Buscum, Zincouiam, In Volinia, Apud Ocacouum, In Podolia, Apud Cameneciam & Verestatinium, & Treboutiam, Podhaiciam, Medibosum, &

lica, & uel è flamma (quod dicitur) cibum petere solita, in ditiones Regis Sigismundi fecit. Apud Caniouiam in Lituania memorabilis illa uictoria est, qua uiginti sex millia Tartarorum, eodem illo Constantino Ostrogio, omnium seculorum memoria dignissimo Duce, parua manu profligauit. *Caniouiam.*

DE VALACHIS PROFLIGATIS. Caput V.

IN Valachia autem Bogdanum Palatinum Valachiæ fusum, in uerba sua iurare coegit: & amissam Maiorũ suorum culpa Pocuciam ab eo recepit. Petrum Palatinũ rebellantem, Pocuciamq; rursus inuadentem, primùm cum sex millibus Valachorum ad Guosdeciam arcem, ac mox cum uiginti duobus millibus apud Obertinum pagum, uix à quatuor millibus nostrorum, Duce Ioanne Tarnouio, uiro clarissimo & primario bellatore, insigni & inopinata clade profligauit, accepitq; cum bombardis cætera impedimenta: Palatinus autem ipse saucius uix fuga euasit: quem postea in arce Chocimensi obsessum, & ad extrema redactum, solenne unà cum Proceribus & cuncta Nobilitate sua iusiurandum sibi dare coegit.

Bogdanus Palatinus Valachiæ. Pocuciam reddit: Petrus itidẽ, apud Guosdeciam & Obertinum uictus, In uerba Regis iurare cogitur.

DE GERMANIS IN PRVSSIA VICTIS. Caput VI.

CVm Germanis Prussiam sibi uendicantibus nunquam, nisi prospere, dimicauit: nempe apud Prusmarcum, Seburgum, Gutestadiam, Brunspergam, Resslam, & Rastemburgum, Iacobo Secignouio: apud Pissiam, Stanislao Masouiorum Duce: in sinu Varmiensi, siue Habo lacu nauali prælio à Gdanensibus uicti sunt: bis apud Bartensteinum: sæpius à Prædislao Lanscoronio & Ioanne Zaremba Palatino Calissiensi multis in locis:

Germani Prussiam sibi uendicantes, uicti &

locis: apud Elsbergam ab Alexandro Ilouio: Gdani & Elbingæ (quum eas urbes adorti essent) à ciuibus fusi & profligati: ad extremum tot cladibus & inedia, uigilijs & iugi equitum nostrorum uexatione fracti, & ad paucos redacti, Prussia excessere.

Profligati

Prussia excedere coguntur.

DE CELEBERRIMIS EX GENTE Moschorum uictorijs. Caput VII.

IAm uerò Moschi uel præcipuã gloriæ & uictoriarum materiã Sigismũdo Regi præbuere. Apud Poloscum enim septem millia hostium à Ioanne Boratinio, uiro acri & animoso, interfecta sunt: deinde quum ij Lituaniã non amplius decem & octo milliarijs à Vilna metropoli hyberna excursione depopulati, reuerterentur, mille extremi agminis (quos solos Lituanica Nobilitas, cum aulico Regis comitatu tumultuarie accurrens, assequi potuit) trucidati: alioqꝫ item tempore, magnum suorum numerum, & prædam quam abigebant è Lituania, persequentibus Lituanis amisere. Apud Starodubum autem, Radogostiam, & Smolenscum, ductu Georgij Radiuili Castellani Vilnẽsis, non sine magnis cladibus profligati sunt. Atqꝫ in expugnatione quidem Starodubẽsi præclara extitit opera Andreæ Herborti: qui sulphureũ puluerem per cuniculos agens, ac artificiose succẽdens arcis propugnaculum & quæqꝫ firmissima deiecit, fortiterqꝫ pugnans ibidem occubuit: secutus maiorum suorum uestigia: Fridrosij, qui in pugna Socalięsi occubuit: ac Seuerinorum duorum, unius quidem in Bucouiensi, alterius in Obertinensi bellis cęsorum. Apud Orsam uerò tunc, quum primùm regnare Sigismundus cœpit, ne exspectare quidem nostros, dum Borysthenẽ tranarent, sustinuere Moschi: & quum ad centum millium numerum accederent, ne adoriri quidẽ ter mille nostros mercenarios

Ex Moschis uictoria apud Poloscũ, &c.

Apud Starodubũ, &c.

Apud Orsam semel, cũ

cenarios milites ausi sunt. Magnis autem incõmodis affecti, Mosirum, Turoniã, & alias quasdam munitiones reddiderũt nostris: ac deinde, Ioanne Tarnouio nostros ducẽte, Homiam & Starodubum arces, à nostris partim ui captas, partim in deditionem acceptas, amisere. Denique Orsensis illa celeberrima, & cum omnibus ferè omnium gentium atqꝫ seculorum uictorijs comparanda, uictoria est: qua, Constãtino Ostrogio Principe, & Ioanne Suirzouio Ducibus, octoginta millia Moschorum bellatorum (qui omnem nostrum exercitũ non modò proterere posse uidebantur: uerùm etiam Borysthenem tranare passi, pecudum in modum flagris abigere in Moschouiam destinârant) ingenti strage interfecta sunt, ita ut desideratorum numerus ad quadraginta ferè millia peruenisse, uel certè duo & triginta millia superasse dicatur: Ductores eius exercitus, uiros illustres, omnemqꝫ Senatum gentis, & supra quater mille captiuos, uiuos in potestatem uenisse: direpta castra opulẽtissima: Dux autem ipse Basilius, bellator exercitatus, & contra Tartaros aliosqꝫ finitimos uictoriosus, usqꝫ ad Regiam suam Mosquam profugit: atqꝫ ibi, amplius centum & uiginti milliaribus bene longis à loco conflictus, uix tutò se subsistere posse credidit.

Redditis quibusdam munitionibus.

Apud Orsam iterum summa cum laude & gloria nostrorũ.

Magna uerò clade &

Ignominia Moschorum

Ducisqꝫ Basilij.

DE CLADIBVS QVIBVSDAM NOSTRORVM, & amissa parte Albæ Russiæ. Caput VIII.

POrrò has tot ac tantas uictorias, magna imparitate copiarum quæsitas, nihil mirum est (ut est rerum humanarum conditio uaria & instabilis) si quæ clades interpolarunt: una quidem apud Socalum, à Tartaris temeritate Russicæ Nobilitatis accepta: ubi quatuor fortasse millia nostrorum à quadraginta millibus Tartarorũ, loci opportunitate usorum, defatigata uerius quàm superata,

Clades acceptæ.

Apud Socalum, &

ſuperata,non incruentam hoſtibus uictoriā conceſſere: noſtriq́ mille ducenti deſiderati, & Barbarorum cæſa quatuor millia. altera apud Serethum amnem: ubi tamen non plures ducentis noſtri,à Valachis circumfuſi, oppreſsi ſunt:amiſſa uerò magna pars Albæ Ruſsiæ, Michaelis Glinſcij hominis ambitioſi, & Alexandri Regis gratia inflati proditioni, atque præſidiariorum militum perfidiæ, imputanda eſt.

Apud Serethum:

Et Albæ Ruſsiæ amiſſa pars.

DE SIGISMVNDI, PACIS TEMPORE, claritate. Caput IX.

Sigiſmūdum etiam in pace fuiſſe clariſſimum,
Opes,
Splendor,
Et elegantia,
Leges,
Arces,
Templa,
Vrbes,
Regiones cultæ,
Probant:
Idemq́; Regno adiunxit Zatoriam & Maſouiam,
Pruſsia inſuper ſubiugata & Pomeranis Stolpenſibus.

IN pace etiam idem Rex ſemper fuit clariſsimus. Teſtantur id tantæ opes & facultates noſtrorum, tantus ſplendor(ne dicam luxus)tantaq́ elegantia, cùm in ædificijs & uictu cultuq́ corporis,tum in ſermone & moribus,quanta nūquam,ante hunc Regem, in Polonia fuit: loquuntur leges, diligentius aliquanto conſcriptæ: clamāt tot arces inſtauratæ: tot exornata templa Dei Opt. Max. tam ſplendidè & magnificè exædificata, publicis iuxtà ac priuatis ædificijs,Cracouia,Poſnania,Leopolis, Varſauia,Lublinum,Gdanum,& aliæ quędam urbes atque emporia:probant id deniq́ cultæ & habitatę regiones,Ruſsia,Pruſsia,Lituania: quæ antea & ſylueſtres,& incultæ,aut ſuperiorum temporum cōditione,magnam partem,deſertæ iacuerunt.Atq́ hoc etiam Rege regnante, Zatorienſis ditio & Maſouia, poſt quadringenteſimum annum, ad corpus & compagem Poloniæ redierunt:Pruſsia recuſatum diu & excuſſum iugum accepit: Pomerani Stolpenſes ad intermiſſam aliquandiu huius Regni ſocietatem & clientelam, iureiurando adacti, uenêre.

DE

DE CONIVGIBVS SIGISMVNDI & liberis. Cap. X.

Coniux prior Sigiſmundi
Barbara,
Fœmina ſanctiſsima,

QVod autem ad coniugia Sigiſmundi Regis attinet (quæ nō exigua fœlicitatis humanæ pars eſt) priorē quidem Barbaram,Stephani Comitis Scepuſienſis Tranſyluanienſiū Palatini filiam,duxit uxorem,Ioannis poſtea Regis Vngarorū ſororem, fœminā ſanctiſsimā & pientiſsimā:quæ maximā illam Orſenſem de Moſchis uictoriā, aſsiduis nocturnis ac diurnis precibus, cū lachrymis & profuſa in egenos beneficētia aſperioreq́ cultu corporis & ieiunio coniunctis, à Deo impetraſſe exiſtimata eſt: ſed hac immaturè intra tertium annum amiſſa,alterā ſuaſu Maximiliani Cæſaris duxit Bonam Sphortiam, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanenſium Ducis & Iſabellæ Aragoniæ filiam:quæ triginta ferè annos cum Sigiſmundo nupta, tanti fecit maritum Regem, ut extremis aliquot annis ægrotantem, & uiribus planè deſtitutum, non coniugali charitate, ſed ancillari penè miniſterio,ſine omni faſtidio curaret.quo factum eſt, ut plurimum ei uiciſsim Rex amantiſsimus indulgeret.Quam uerò filiā,Heduigim nomine,ex Barbara ſuſceperat:eam Ioachimo, Marchioni Brandeburgenſi & Electori Romani Imperij, matrimonio iunxit: & nepotibus ex ea,uiuens adhuc, auctus eſt:Bona uerò filias ei quatuor genuit,Iſabellam,quæ Ioanni Vngarorum Regi:Sophiam,quæ Duci Brunsficenſi:Annam & Catarinam, quæ Regi Sueciæ nuptæ ſunt: & unum filium Sigiſmundum Auguſtum,qui nunc,poſt mortem patris,feliciter in Polonia regnat.

Intra tertiū annum mortua:
Altera uerò Bona Sphortia,
Ferè 30 annos cum ipſo agens,
Eiq́; ægro officioſiſsimè miniſtrans.
Ex utraque cōiuge liberi.

 DE

DE REGNO SIGISMVNDI FELICITER & iuste administrato, belloq́ non appetito. Cap. XI.

Regnat Sigism. feliciter 41 annos, Iuste omnia administrãs, Consilio magnus, Bellum non appetens,

REgnauit etiam feliciter Sigismundus supra unũ & quadraginta annos, legum Polonarum in tribuendo cuique iure suo peritissimus, consilio magno praeditus: bella autem nunquam appetiuit, nec, nisi necessaria & graui iniuria prouocatus, suscepit. quare quum & Valachos (ob rupta crebro foedera) subiugare posset, noluit: ne uel illi, desperatione adducti, Turcis sese dederent: uel redacta in Prouinciae formam Valachia, & amoto quasi obice, ipse difficilimum cum potentissimis Turcarum tyrannis bellum de finibus gerere cogeretur. non, quòd a pia contra Barbaros, ac deuotos Christiani nominis hostes, expeditione abhorreret: sed quòd suas illorumq; uires iusta lance metiretur. Sic enim iudicabat, neq; suum esse, neq; unius plane cuiusquam Principis, tam ualidum hostem (qui Asiae, Aphricae, & Europae magnam partem ditione teneret: florentissimum Graeciae Imperium euertisset: Caramanos, Cilicas, Syros, Aegyptios, & nescio quas praeterea Gentes, una aestate subiugasset: denique latissime dominanti Persarũ Regi grauis esset) debellare: cõiũgẽda esse Christianis Principibus arma, si hostẽ illũ a ceruicib. suis uellent depellere. Quũ ergo animaduerteret, caeteros Principes feralibus odijs inter se digladiari, ac totũ pene Orbem Christianũ plus quam ciuilibus bellis ardere, omni honesta ratione semper Turcicum bellum declinauit.

Bellumq; cũ Turcis declinans prudenter.

DE VIRTVTIBVS SIGISMVNDI, ET morte. Cap. XII.

Sigismundi uirtutes,

POrrò aequabilitate animi, in utraque fortuna, tanta fuit, ut neq; secundis rebus difflueret, neq; aduersis frangeretur: a superbia & fastu semper alienus, aditu & affatu facilem se praebuit. Aestus etiam, frigoris, inediae, & laboris patientissimus erat, quippe qui ab ineunte aetate mollicìei delicijs'que minime assuefactus esset, crassioribus cibis & pannis, & caprinis pellibus innutritus. Morbos autem, & alia uitae incommoda, admodum aequo animo ferebat. Publica suorum incõmoda depellere, damnaq; uindicare, non libenter neglexit: priuatas uerò suas iniurias, obtrectationes, conuitia, & maledicta insolentiorum hominum ita contempsit, ut nunquam uindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiam in huiusmodi homines restrictior. Iam uerò temperantia & moderatio tanta in eo semper fuit, ut nihil ab eo cupidius, nihil insolentius, nihil dissolutius & flagitiosius unquam dictum aut factum fuerit. Sobrietatem praeterea idem Rex maximi fecit: ab infantia ad senectutem usque, patris aui'que instituto, plane abstemius & aquae potor fuit: ingrauescente uerò aetate, Medicorum suasu, uinum bibere didicit: sed ita tamen, ut nunquam eum quisquam ebrium uiderit. Nihil magni sine consilio Senatus fecit, aut statuit: ac nonnunquam de sententia, consensu Senatus adductus, decessit, ne pertinax uideretur. Iustitiam uerò apprime coluit: & hostibus supplicibus libentissime ueniam dedit: ideoque Magistrum Albertum Marchionem Brandeburgensem, sororis suae filium, debellatum retinere ea quae ante bellum habuerat, & partim Iure belli amiserat, partim amissurus esse uidebatur, omnia iussit: & honore auxit, Magistri appellatione in Ducis nomen commutata: haereditarium'que insuper ei, fratribus'que eius Cazimiro & Georgio, in mares duntaxat liberos, illum Principatum constituit. Pietate denique erga

Animi Aequabilitas, Humilitas, Affabilitas, Patientia & uoluptatum contemptus, Aliorũ defensio, Suarum neglectus iniuriarum, Temperantia et moderatio, Sobrietas, Consilium, Iustitia, Benignitas, & Pietas.

erga Deum fuit eximia: Vilnensemq; basilicam, & Rupense siue Scalcense fanum apud Cracouiã, & alia multa, delubrumq; pulcherrimũ & sumptuosissimum basilicæ Cracouiensis ipse exædificauit atq; adiunxit, cum instituto iugiter & concinnè Deum colentiũ sacerdotum collegio: eidemq; quoq; basilicæ Cracouiensi multa donaria ampla cõtulit: religioseq; Sacris & Cultui Diuino operam dedit, nulla neq; temporis neq; loci incommoditate neq; occupationibus retractus: in precibus assiduus: festorum dierum ieiuniorumq; obseruantissimus: in egenos sacerdotes, mendicosq; & religiosos, liberalis
Mors eius. & beneficus: moribundus autem sacra Christi mysteria ritu Christiano expetiuit, & uenerabundus accepit, seq; totum Deo religiosis uerbis & suspirijs commendauit. Natus anno Domini 1467, prima die Ianuarij: electus 1506, octaua Decembris: coronatus 1507, uigesima quarta Ianuarij: mortuus prima Aprilis, anno Domini 1548.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM, TOTO HOC OPERE PRAECIPVE memorabilium, INDEX.

Numeri paginarum à 210 usque ad 290. centenis additis corrigendi sunt.

A

De Abrahami Sbanscij hæretici motibus repreßis 262
Academia Cracouiensis 207
S. Adalbertus Pragensis episcopus 20
ad D. Adalberti reliquias peregrinatio 66
Adleida Miecislao nubit 83
Adleida Boleslai Criuousti uxor 57
Adleida altera Cazimiri secundi, regis uxor 167
Adleida sterilis Cazimirum parit 63
Adleida Vngaris Christianismum persuadet 18
Adleida Cazimiri filia 96
S. Aegidius 46
ad D. Aegidij sepulturam peregrinatio 66
Aeneas Syluius pontifex 301
æstus magnus 320
Affabilitas 367
Albæ Rußiæ pars amissa 364
Albertus Cæsar 263
Albertus Aduocatus proditor 152
Albertus Iastrembecius Archiepiscopus Gnesnensis 233
Albertus Coscelecius Palatinus Brestensis 162
Albertus Palatinus Sendomiriensis occumbit 168
Alexander Heliæ filius 286
Alexander Lituanorum dux cum Lituanis fœdera renouat 347 rex renunciatur, factoq; iureiurãdo Cracouiæ coronatur 348 cum filijs Conradi ducis Masouiæ defuncti amicè transigit 350 in Lituaniã proficiscens Fridericũ fratrem uicarium & gubernatorem regni constituit 348
Alexandri regis decretum pro episcopis, et bello ac fœdere cum Bogdano Valacho 353 & deinceps
de Alexandri regis morte, & prodigijs hanc antegreßis 356 item effigies, ingenium ac mores eiusdem. ibid.
ad Alexandrum regem paralyticum Bogdani legatio, coniugium sororis expetens 352
de Alexandro rege propter Glinscium Lituanis offenso 351
Alexandro rege languente, Tartari iterũ in Lituaniam irruunt 355
Alexander Palatinus Moldauorum susceptus 291
Alexander Palatinus Valachiæ 208
ab Alexandro Valacho Vuladislaus rex iusiurandum accipit 209
Amurates Turcarum Imperator 261 Bielogradum obsidet 270
Amurati Turcarum Imp. induciæ dantur decennales 274

Anastasia Boleslai Crispi uxor 81
Andreas Vngarus exul 28
Andreas rex Belam uincit 37
Andreas Bninius episcopus 262
Andreas Lascar 226
Andreas Tencinius 140
Andream Tencinium Cracouienses ciues trucidant 302
Andreouiense monasterium 79
Andreouicensis cœnobita 107
animi æquabilitas 367
Anna Vilelmi filia fit uxor Vuladislai regis 206
Anna Cazimiri, Vuladislai Lotici filij, uxor 155
Aquæ infectæ 141
aquarum inundationes prodigio præsignatæ 61
aquilæ Stanislai martyris corpus defendunt 43
ab Astrologo Vuladislai regis mors prædicta 251
Ara S. Geruasij & Protasij cōstructa 105
archiepiscopæ & episcopæ, nouem 18
auriculæ præcisæ 119

B

Bagarodzica canticum 214
Baiazetes Imp. Turcarum missis legatis à Polonis inducias petit 345
Balduinus de Noris Marsalcus Cypri 147
baptismi susceptio 17
Barbara Sigismundi regis coniunx 365
barbarorum crudelitas 155
Barisca unus de uicarijs basilicæ Cracouiensis 171
basilica Vilnensis 202
de Basilica Cracouiensi 148
basilicæ Chelmensis & Kiouiensis 254
basilica Vuladislauiensis condita 180
Basiliense Concilium 251
Basilius Moschorum dux 363
Basilius Vitoudi hostis 210
Bela Vngarus exul 28 in Vngariam reductus 36 Andreæ regis ualido exercitu uincitur 37
Belæ uirtus eiusq; præmium 28 filij in Vngariam reducti 38
bellum Boemicum 48
bellum contra Turcas 270
bellum cum Miecislao gestum 97 Germanorum cum Cæsare Friderico 82 Pruthenicum 95 Germanicum 55 infelix cū Prussis fidei desertoribus 84 Miecislai cum Russis, Boemis & Pomeranis 27 Pannonicum & Morauicum 7 contra Russos 25 Prussicum 297 cum Halicicnsibus & Vngaris gestum 94 cū Crucigeris & Silesijs 162 insigne cum Crucigeris gestum 210
de Bello contra Vngaros à Polonis & Boemis infœliciter gesto 321 & deinc. contra Turcas suscepto 274 cum Suitrigellone gesto 244 inter Vuladislaū & Ioannem fratres, propter regnum Vngaricum 335
bella Europæ 124 Lituanica 136 Prussica & Pomeranica 46 & deinceps
de Bellis Vngarico & Prussicis 36 & deinceps. Russicis 105
Benedistus eius nominis duodecimus 165
beneficentia Piasti principis 14
benignitas 367
Bialogrodum Pomeranorum oppidum captum & conseruatum 51
Bidgostia 157
Biecense territorium episcopo Cracouiensi adimitur 153
Bielogradum à Turcis obsidetur 270

Boemicum bellum 27. 48
Boemici motus ab hæreticis excitati 332
Boemi Poloniam infestant 30 Sigismundum regem expetunt 359 Vuladislao regi Poloniæ regnū deferunt 229 à Polonis repulsi 36 utrique Poloniæ præficiuntur 146
Boemorum fœdifragus dux 73 hæreticorum legatio 245 contra Vngaros infelix bellum 321 & deinceps
cum Boemorum hæreticorum ducibus de religione agitur 242
Boemos Vuladislaus Lotiçus uexat 145
à Boemis Cazimiro Poloniæ regi regnum oblatum 313
Bogdanus 287
Bogdanus Luscus Stephani Valachi F. 351 Pocuciam reddit 361
Bogdani Valachorū principis legatio pro coniugio Elisabethæ sororis regiæ 352
contra Bogdanum Valachum tributum decernitur 354
cum Bogdano fœdus factum 355
Bogussa Iudex 149
de Boleslao primo 19
Boleslai uitæ finis, & qualiter regnauerit 44 res gestæ in pace 26 successor eius in regno & testamentum. ibid.
Boleslaus II 35 Kiouiensibus utitur uoluptatibus 39 crudelitatem summam exercet 40 iustitiam negligit, & publicè fit adulter 41 à Stanislao episcopo arguitur, ibid. anathemate percutitur 43 Præmisliam capit 37 Prussos rebellātes arte domat 36 filios Belæ in Vngariā reducit 38 Izaslaum iterū restituit. ibid. Russos deuincit 39
Boleslai secundi uxor 37
Boleslaus Pudicus 107 Lituanos Iazygas prælio superat, & Christianam fidem suscipere cogit 129 à Cōrado patruo, Masouiorum duce, in monasterium intruditur 112
Boleslai Pudici mors prodigio portenditur 134
de Boleslai Pudici laudabili imperio 124
Boleslai Pudici pro suorum salute precatio 130 continentia 114
in Boleslaum Pudicum coniuratio, eiusq; coniurationis causæ 132
contra Boleslaum Pudicum pugnās Conradus Masouiæ dux à paucis cum magno exercitu uincitur 121
Boleslaus Crispus natus 65 princeps 79
Boleslai Crispi uxor 81 mors 87
contra Boleslaum Caluum principē factū Conradus dux Masouiæ expeditionem facit 120
de Boleslao Caluo Poloniæ duce principatu exuto 122
Boleslaus Criuoustus Boemis bellum infert 59 Prussos & Pomeranos uincit 61 cum Henrico Cæsare affinitatem confirmat 53
Boleslai Criuousti uirtutes & uxor, bellumq; cum Morauis & Pomeranis gestum 51 & deinceps. nominis celebritas 54 constitutio de partiendo principatu 73
de Boleslai Criuousti extremis ante mortē actis, eiusq; uitæ moribus 71 & deinc. pietate, peregrinationibusq; 65 et inde.
Boleslai Cri. propter Sbigneum fratrem cæsum pœnitentia 65
Boleslaus dux Plocensis 142
Boleslai ducis mors 296
Boleslao duci Opoliensi Cracouia proditur 152

Boleslaus Maſouiæ dux Poloniæ rex ſalutatur 282
Boleslaus Miecislao natus 18
Boleslaus Vuladislai F. 48
bombarda inuenta 188
Bona Sphortia Sigiſmundi regis altera coniunx 365
in Bonis feudalibus nullus ſucceßioni locus 305
Bozenta Cracouienſis epiſcopus 170
Branſcum arx 210
apud Bucouiam ſyluam Poloni cæduntur & rapiuntur 341
Bucum oppidum 126
Buda ab Vuladislao tertio in ſuam poteſtatem redacta 166
apud Budam comitia 188
Bugus amnis 224
Bulgaria Turcis erepta 272
Burgabrij arcis muri 204
Bydgoſtia 211
Bythomienſia metalla euaneſcūt, propter interfectos ſacerdotes 178

C

CApha urbs capta 306.327
Calißienſe ptochodochium 145
Calißienſis eccleſia collegiata 101
Caninus campus 56
Carambeius Turcarum dux 272
Carmenecium munitum 306
Caroli Imperatoris nuptiæ 176
Carolo Vngariæ Eliſabetha Vuladislai Loctici filia in uxorem datur 154
Caſtellanus Cracouienſis 61
Cazimiria 169
Cazimirus Vuladislao ex Heduigi uxore natus 152 carens liberis ſucceſſorem regni conſtituit 166 cum Vngaris fœdera & pacta confirmat. ibid. in Poloniam reducitur 32 reip. uulnera curat. ibid. ducis Ruſſorum uxorem ſibi accipit. ibid. Maslaum cum Slonenſib. & Prußis uincit 33 religionem cum rep. curat 34 inſtaurator pacificus cognominatur 35 artium ſtudioſus 30 curæ principis Vuladislai cōmendatur 73 Boleslai Criſpi curæ commendatus 79
Cazimiri humilitas 31 erga monachos Cluniacenſes liberalitas 34 liberi 35 mors ibid.
Cazimirus Scecinenſium dux 217
Cazimirus ex Adleida ſterili natus 63
Cazimiri Conradi Maſouiæ ducis F. in fratrem tyrannis 123
Cazimiri principis Criuouſti F. pietas & mors 95 & deinceps
Cazimirus rex 29 in Rußiam expeditionem facit 333 aduentu ſuo in Rußiā Turcas reprimit 329 à Sbigneo epiſcopo grauißimè redargutus 289 contributionem ad bellum Prußicum petens 300 non facilè eam impetrat 301 Lituanos exitum belli Pruſſici & de Podolia cogitantes, reprimit 306 iniuriam à profeßis piam militiā uindicat 307 cum Crucigeris pacem init 310 ad Marieburgum inuitatur 308 Choiniciam adoritur 309 Stargrado & Slochouia potitur. ibid. lignum crucis adorat 330 in Lituaniā properat. ibid. in duces Maſouios acerbior à Sbigneo cardinali obiurgatur 291 filio Vuladislao auctus 297 Marieburgum accipit 298 Elizabetham Alberti Cæſaris filiā in uxorē ducit 293
de Cazimiri regis morte 337
Cazimiri fœliciter in Prußia res geſtæ 307

de Cazimiri regis filiorū inſtitutione 314
Cazimiri regis ad bellum Sileſicum profectio 322
Cazimiro regi Pruthenı iurāt 312 Boemi regnum offerunt. ibid. Sigiſmundus naſcitur 311 Pruthenı ſe dedunt 293
ad Cazimirū regē Crucigeri deſciſcūt 205
de Cazimiro rege iuſiurandum recuſante 286 & 287
à Cazimiro rege iuſiurandum mira Procerum magnanimitate extortū 292.293
Cazimirus ſecundus templū corporis Chriſti condit, & Cazimiriam cum monaſterio 169
Cazimirus ſecūdus Rußiā recuperat 167. Leopolim capit ibid.
Cazimirus ſecundus Magnus 164 cur ita dictus 179
de Cazimiri ſecundi morte, regno, ac uita 178 & deinceps
Cazimiri ſecundi deſiderium & exequiæ 182 tertiæ nuptiæ 174 filiæ & ius ſuccedendi remiſſum 178 pœnitentia & abſolutio 172
plura de Cazimiri ſecundi incorrigibilibus libidinibus 170
de Cazimiri ſecundi altera uxore, ac libidinibus, bello iterum cum Tartaris & Boemis 167 & deinceps
inter Cazimirum ſecundum & Crucigeros pax facta, cuius conditionibus Crucigeri non ſatisfaciunt 165
de Cazimiro iuniore à regno Vngarico repulſam paſſo 317 & deinceps.
Cazimirus minimus natu F. Boleslai Criuouſti 86
Cazimiri Vuladislai fortitudo 163
Cazimirus à patre Vuladislao Poloniæ Maiori præficitur 158
Cazimirus Vuladislai tertij frater 265 rex eligitur 280
Cazimirus Vuladislai Loctici F. Lituanorum ducis filiam uxorē accipit 154
à Cazimiro Criuouſti filio reſp. optimè correcta 93
de Cazimiro Lituaniæ gubernatore 269
Cechus Polonorū Boemorūq; princeps 1
Ceſtochouienſe monaſterium à latronibus quibuſdam diripitur 243
Chelmenſis ora diuexata 244
Chmelicum pagus 117
Choinicia oppidum obſidetur 249
Choinicienſes ſeſe dedere coacti 310
Chorabala nobilis captiuus 181
Choſteok 11
Chriſtina Vuladislai uxor 57 impia & crudelis 74
Chriſtianæ religionis propagatio in Lituania 201
Chriſtianiſmus ab Vngaris ſuſcipitur 18
Chriſti corpus ablatum & iterum repertum 169 eius templum Poſnaniæ 208
Ciecislaus Domitianus 118
Ciolcus Burgrauius cū paucis multos uincit 244
Cirleninus pagus 126
clauus crucis Chriſti 231
Clemens ſextus Pontifex Maximus 172
Cleparienſe templum 95
clerici unà cum ſubditis à iuriſdictione ſeculari liberantur 108
cæcus natus, poſtea mirabiliter illuminatur 16
Cœnæ Chriſti dies 126
cœnobium Franciſcanorum Cracouiæ 115 uirginum Poſnaniæ 145 Miechouienſe & Zuerinecenſe 82
Ciolcus Poſnanienſis epiſcopus Cracouiā com-

commigrare cogitur 262
cometes 130 mala à Tartaris portendens 106 pernox Regiæ mortis prænuncius 251 Cazimiri mortem præcedit 35
comitia Budensia 188
concilium Constantiense 226 Basiliense 252
Conradus Cirnensium Masouiorum dux 139. 140
Conradus Masouiæ dux cõtra Boleslaum Caluum à Suentopelco auxilia impetrat 120 per uim princeps factus, statim sua iniusticia principatum iterum amittit 121 contra Boleslaum Pudicum pugnans cũ magno exercitu à paucis uincitur. ibid. fratres Crucigeros contra Prussorum uim aduocat 111 Boleslaum Pudicum cum matre in monasterium intrudit 112
Conradi ducis Masouiorũ in Canonicum scelus & satisfactio 115
de Conradi ducis Masouiorum morte 350
Conradi Masouiæ ducis irriti conatus, itẽ eiusdem mors atq; filij 123
Conradus Nemcius Silesius 220
Conradus Cazimiri F 96
Conradi Cæsaris bellũ cũ Germanis 80
Constantinopolitani à Turcis oppreßi 126
Constantinus Ostrogius dux 360
Coprounicense monasterium 96
cum Coributo Vitoudi fratre de religione agitur 242
Costenum oppidum cum arce capitur 163
Couale arx 156
Cracouiæ incendium, pestis, signa 337
Cracouia regni sedes 4
Cracouia duci Opoliensi prodita 152
Cracouiensis tractus legati 300
Cracouiensis Academia 207
Cracouiensis episcopatus canonica electio labefactata 305
Cracouiensis ecclesia 65
Cracouiensis ecclesia cathedralis cum arce conflagrat 148
Cracouienses ciues 303
Cracouiense cœnobium Franciscanorum 115
Cracus princeps 4
Craci nomen celebre 4 eiusdem mors & tumulus 5
Crisanouicense monasterium 135
de Creslai Curosuancij morte 349 eius successores in episcopa et Cancellaria. ibid.
Criuousti nomen 72
Crucigeri insigniter uicti pacẽ petũt 300 ad defectionem solicitãtes, per dolium concisi 302 uicti ad Cazimirum regem desciscunt 205 pacem negligentes Poloniam grauißimè uexant 158 Prußiam uastant 157 Cuiauiam populantur 162 affligunt Lituaniam 208 cum Masouijs uicti 156 malè in auxilium acciti 149
de Crucigerorum ditione cum auxilio Boemorum uastata 249
Crucigerorum duo milia cæsa 304 magistri iusiurandum 315
de Crucigerorũ in Lituaniam incursione 200
Crucigerorum Liuoniensium scelus 152
Prußiensium iniquitas 151
in Crucigeros noua expeditio 225
Crucigeris Pomerania donatur 157
à Crucigeris Poloni profligati 295
cum Crucigeris Prußiensibus et Liuoniensibus Vuladislai tertij fœdus 259
cũ Crucigeris diu optata pax cõfecta 310
cum Crucigeris pax facta certis conditionibus, ab ipsis tamen non seruatis 165
de Crucigeris iterum ac tertiò fusis 220
cum Crucigeris insigne bellum gestum 210
de Crucigeris afflictis 130 contra Prussorum uim aduocatis 111
Crusuicia urbs militi in prædam data 50
Crusuiciam regia transfertur 11
Crusuiciensis cathedra Vuladislauiã translata 87
crucis Christi portio à Lituanis restituta 181
Cuiauia 107
Cuiauiam depopulantur Rußi 129 item Crucigeri 162
Culmensis tractus 156 à Prußis uastatus 85
de Cursore Lesco secundo 8
de Cypriorum regis legatione 147

D

DAmbrauca Miecislai fit uxor 17
Danica expeditio 63
Daniel Russorum dux ac ueluti Monarcha 129.166
decimæ 18
Demetrius Goraius Thesaurarius 198
Dersauia dolo capta 151
Derslaus Rituanius 255.260
Despota Rascia 271
Dipoldus Kikericius 216
Dlugossus filiorum regis Cazimiri magister 314
Dobessus iuuenis ordinis equestris 75
Dobrinensis arx 157 mons 307
Dobrinum urbs 211
Dobrogostus Samotulius Castellanus 220
Dominici diei reuerentia 25
Dunaiouia oppidum 322

E

ECclesia Vuladislauiensis condita 180
Ecclesia collegiata à Sigismundo Vitoudi fratre constructa 248 Calißiensis 101
Ecclesia Kelcensis constructa 87
Ecclesiarum immunitates 113
Ecclesiasticorum immunitas & iurisdictio 134
Elbinga in potestatẽ Polonorũ uenit 218
electio principis factionibus plena 13
Elisabethæ cõiugium ad Vuladislaum tertium defertur 263
de Elisabethæ muliebri dominatu 183
Elisabethæ reginæ coronatio 227
de Elisabethæ uoluptatibus 185
propter Elisabetham reginam tumultus, & de eius morte 228
Elisabetha Cazimiri coniunx filium Cazimirum parit 299
Elisabetha Vuladislai tertij cõiunx filium nondum quadrimestrem coronat 266
Elisabetha Vuladislai Lochici F. 154
Elisabetha Cazimiri regis neptis 176
Elizabetham, Alberti Cæsaris filiam, Cazimirus rex in uxorem ducit 293
Elizabethæ Alexandri regis sororis coniugium Bogdanus Valachorum Palatinus expetit 352 eius mors & pietatis opera 353
de Episcopatu Cracouiensi contentio orta 305
pro Episcopis Alexãdri regis certamẽ 354
de Equite uiolento & rapace horribilis historia 132
Euangelij recitandi mos apud Polonos 19

eucharistia ante initum prælium sumpta 137 item ante electionem magistratus 281
eucharistiæ profanatores puniti 214 sumptionem uictoria secuta 59
Eudoxia Miecislai uxor 81
Europæ bella 124
excommunicatio neglecta 138
excommunicationis fulmen, ob incestas nuptias 228
de Expeditione in Prussiam decreta & remissa 306
de Expeditionibus bellicis certamen 353

F

Fames 153 triennis 109 grauis Cazimiri regis beneficentia mitigata 176
Ferco Ostrogius Russorum dux 148
de Feudalium bonorum successione 305
S. Floriani reliquiæ 95
fœdus cum Crucigeris factum 259
fortunæ prosperæ in aduersam mutatio 141
Franciscanorum cœnobium Cracouiæ 115
Fridericus Cazimiro regi natus 313
Fridericus Cæsar 82
Fridericus episcopus Cracouiensis 334 et Cardinalis, factus etiã archiepiscopus 338 Alexandro fratre in Lituaniã proficiscẽte, fit uicarius et gubernator regni 348
de Friderici Cardinalis morte, eiusq; successoribus 349
Fulco Cracouiensis episcopus 105
furta crebra 284
futurorum præscientia 72

G

in Gdanum proditione captum, Crucigerorum Prussiensium tyrannis 151
de Gdano à Marchionibus accepto 149
Gedeon Cracouiensis episcopus 88
Georgio duci Bauarorũ Heduigis Cazimiri filia desponsa 325
Georgij Boemorum regis legati 299
ad Georgium Boemorũ regem legati 316
cum Georgio Boemorum rege Cazimirus rex Poloniæ fœdus confirmat 304
Germaniæ ferè totius in Polonos conspiratio 217
de Germanis in Prussia uictis 361
Germanicum bellum 55 cum Conrado Cæsare 80 cum Friderico Cæsare 82
S. Geruasio ara constructa 105
Geysa cum Vngaris Christianam fidem suscipit 18
Glogouia oppugnata 54
Gnesna 2 uastata 66
Gnesnæ comitia habita 30
Gnesnam regia transfertur 11
Gnesnense ptochodochium 126
Gneuossius Daleuicius Succamerarius Cracouiensis 198
Golubum oppidum captum 204
Gouoricius Palatinus Sendomiriensis 102
greges uirorum & mulierum sub prætextu pietatis impij pœnis coercentur 171
Gregorius septimus Romanus põtifex 44
Grimislaua Iaroslai Russorum ducis filia 107 cum filio suo Boleslao Pudico in monasterium intruditur 112
Gruneualdus pagus 215

H

Haliciense bellum 94
Haliciensium fraus 69
hastati equites 298
Heduigis Cazimiri mater fit monacha 164

Heduigis

Heduigis Cazimiri filia natu maxima 328
de Heduigis Vuladislai filiæ sponsalibus 229
Heduigis Cazimiri regis filia Georgio duci Bauarorum desponsa 325
Heduigis Ludouici regis filiæ mores & forma 196 in reginam electio 191
de Heduigis Ludouici filiæ coronatione, & mariti eligendi deliberatione 195
S. Heduigis Hẽrici Barbati uxor 109.114
S. Heduigis mors atq; sanctitas 123 uirilis fortitudo 120
Heduigis tertia Cazimiri secũdi uxor 174
Heduigis filia Elisabetha 205 eius forma, mores. ibid. sanctitas 206
Helena Lesci Albi mater 97.99
Helena regina schismatica 348
Helias Alexãdri Palatini Valachiæ F. 251 motus ciet in Valachia 258
Heliæ mors 285
inter Heliam & Stephanum fratres pax 259
Henricus Cæsar contra Boleslaum bellum gerit 53
inter Henricum Cæsarem & Boleslaum Criuoustum affinitas confirmatur 57
Henrici pietas 81
Henricus Barbarus 109.113 eius mors & sepultura 114
Henricus dux Vuratislauiensis Boleslaum principatu exuit 142 ipsum uerò Vuladislaus Locticus 143
Henricus Vuratislauiensium dux lethaliter uulneratus 111 eius in episcopum impietas & iniuria 138
Henricus Plauenius Magister Crucigerorum 220
Henricus episcopus Gnesnensis 108
Henricus dux Glogouiensis 148
Henricus dux occumbit 86
Henricus Ketlicius consultor pessimus 88
de Henrico Pio eiusq; exercitu numeroso ad internecionem usq; cæso 119
Henrichouiense monasterium 110
Hermannus Liuoniensium magister 222
historia horribilis de uiolento & rapace equite 132
Honoldus Italus episcopus 87
hospitale extructum 108
hyems acris & aspera 109

I

S. Iacinctus 108 eius mors 127
Iagellonis in Polonia Maiore res gestæ 200
Iagello Magnus Lituanorum dux 196
de Iagellonis Vuladislai baptizati & coronati nuptijs 198 & deinceps
Iagellonis in Lituania gesta 201
Ianicus Vuratislauiensis episcopus 79
Ianislaus Gnesnensis archiepiscopus 79
Ianussius Plocensis dux 338
de Iaropelci fraudibus 68
Iaroslaus Stotnicius Gnesnensis archiepiscopus 180
Iaroslai archiepisc. mors 183 opera. ibid. sepultura 184
Iascus Kmita præfectus Cracouiensis 185
Iaxæ pietas 81
Iazygæ 136 delentur 137
Ieiunij quadragesimalis uiolatio punita 48
de Ieiunio quadragesimali relaxato 124
incendia crebra 284
induciæ cum Turcis confirmatæ 349
infans eodem quo nascitur die distinctè et articulatè loquitur 134
Innocentius Pontif. maximus 124
imprecatio murium 11

 inter-

interregnum 13
inundatio aquarum 109
Ioannes Albertus rex eligitur 337 coronatur 338 Plocensem ducatum regno adiungit 338 contra ius gentium legatos comprehendit 340 Tartaros fortiter uincit 334 Cazimiro reginatus 302 Baiazeti Turcarum Imper. quinquennales inducias concedit 346
de Ioan. Alberti regis morte, sepultura, moribus, regno 346 regijs uoluptatibus eius persona indignis 342
Ioan. Alberti regis aulicum comitatū Tartari Podoliam & Volyniam populantes uincunt 338
ad Ioan. Albertum regem Venetorum & Turcæ legati 338
inter Ioannem Albertum eiusq; fratrē Vuladislaum bellum propter regnum Vngaricum 335
Ioannis Huniadis auspicijs Barbari tribus uicibus magnis cladibus affecti 271 nominis celebritas 267
Ioannes Brezius legatus regius contra ius gentium uiolatur 244
Ioannes Caiapla Iurisperitus Vuladislauiensis & Plocensis Canonicus 115
Ioannes Czarncouius Succamerarius Posnaniensis 236
Ioannes Ostrouicius cognomento Nassianus 221
Ioannis Grothi episcopi Cracouiensis magnanimi mors 170
Ioannes Capistranus episcopus 292 & deinceps
Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouiensis 232
Ioannes Safranecius episcopus Vuladislauiensis 250
Ioannes Lausannensis episcopus 225
Ioannes Vapouius Tartaros reprimit 349
Ioannes Marchio 149
Ioannes Pontifex Max. Alexandri quinti successor 223
Ioannes Tencinius 192
Ioannes Scicius Doliuius 220
de Ioannis Dlugossi Canonici Cracouiensis morte 331
Ioãnes Amor Tarnouius Castellanus Sandecensis 303
Ioannes dux Moschorum 330. 345
Ioannes Boemorum rex 156.168
Ioannis Vulodici Sulcimei mira patientia 261
Iolenta Kingæ uxoris Boleslai principis, soror 135
Iudæorum iniuria 307
de Iudæorum prærogatiuis 180
Iuditha patientissima Vuladislai uxor 45
Iulianus Cæsarinus legatus pontificis 270
Iuo episcopus 107
Iuonis episcopi mira beneficentia 109
de Iurisiurandi recusati incommodis 286
iureiurando purgatio facta 233
à Iurisdictione seculari Clerici liberantur 108
Izaslaus in ducatum Russiæ restituitur 37

K

KAidanus Tartarorum dux 117
Kelcensis ecclesia constructa 87
Kinga Boleslai Pudici principis uxor 114
Kingæ mors & sanctitas diuinitùs comprobata 144 pro suis precatio 130 uirilis animus & uita cum sorore Iolenta 135
Kingæ oranti uisio oblata 131
Kiouum captum 39

de

de Kiouensibus uoluptatibus. ibid. & deinceps
Kiouiam Tartari populantur 227

L

LAbenciorum nomen 64
Ladislaus rex Boemiæ 294
Ladislaus nondum quadrimestris à matre Elisabetha coronatur 266
Lagouiense territorium 46
Lampertus episcopus Cracouiensis 45
Landense monasterium 101
latrocinia crebra 284 repressa 207
de Latrocinantibus pœna sumpta 352
Lechus Polonorū Boemorumq; princeps 1
Lechi secundi fratricidium, & quæ sit pœna secuta 5
Lechi imperium quale 2 eiusdem potestas ibid.
Lechitæ quos Latini uocent 1
Leo dux Russorum 135
Leopolis Russiæ metropolis 167
Leopoliensis ecclesia Metropolitana 175
de Lescone primo 7
Lesci secundi principatus qualis 9 eiusdem uirtutes. ibid. quandiu tenuerit principatum 10
de Lesco secundo 8
Lesci tertij principatus 10
Lescus quartus, princeps 16
Lescus Albus Cazimiri F. 96.97 oblatum sibi principatum recusat 102 Polonorum fit princeps 105
Lesci Albi in Deum gratitudo ibid. res gestæ in pace 106 uxor 107
de Lesco Albo à Suentopelco interempto 110
Lescus Boleslai Crispi F. 87
Lescus Niger princeps 135.136
Lesco princeps Lituanos uincit 136
Lesci fortuna mutata, & mors 141. 142
contra Lescum coniuratio 139
Leuenta Vngarus exul 28
leges Vislicienses 169
ligni crucis portio à Lituanis restituta 181
Lipnum oppidum 211
Lituania à Crucigeris peruastata 208
in Lituaniam Moschi cum Tartaris excursio 269 item Crucigerorum 200
in Lituania Christiana religio propagata 201
Lituani cum Prussis multa crudeliter uastant 134
Lituani Masouiam uastant 129.193 hos Boleslaus Pudicus uincit, & religionē Christianam suscipere cogit. ibid. per Vngarorum perfidiā Volinia potiuntur 190 portionē crucis Christi miraculo coacti restituunt 181
Lituanorum legatio repudiata 291
de Lituanorū per Polonos proditores excursionibus 171
Lituanorum in Sendomiriā excursio 185 fœdus cum Polonis renouatum 224 in Lublinensem oram excursio 133
inter Lituanos & Polonos per affinitatē pax facta 154
de Lituanis cū duce Belzēsiū repressis 186
de Lituanis bello Prussico de Podolia cogitantibus 306
Lituanis Alexander rex propter Glinscinum offensus 351 eos punit 352 ius nobilitatis concessum 225
à Lituanis paucis magnum datur damnum 144
Liuoniensium Crucigerorum scelus 152
locustæ horribiles 328
locustarum magna uis 164
Lubensum oppidum 34

Lublini templū S. Michaelis extruitur 137
in Lublinẽsem orã Lituani excurrunt 133
Lublinensem oram in Polonia Tartari uastant 116 cum ingenti Russorum, Tartarorum, & Lituanorū exercitu Leo princeps inuadit 135 Lituani cum Iazygibus depopulantur 136
Ludouicus respuit coronari à maioribus Polonis 183 languere se sentiens successorẽ regni designat Mariam filiam cum Sigismundo, & moritur 189
Ludouici regis duæ filiæ 184 Poloniæ administratio qualis 182
Ludouicus Cæsar 166
Ludouicus Vngarorum rex 170 à Cazimiro successor designatur 181
Luscum Russorum proditione à Suitrigellone occupatur 265
de Lusco Lituanis à Suitrigellone tradito 288
Luterberga oppidum 114

M

Miecislaus cognomento Cosisco 113 magicæ artis præsidio potita uictoria 119
ante Magistratus electionem eucharistia sumpta 281
Magnus præfectus Masouiæ 57
Maniacus Tartarorum Zauolgensium dux 314
Mahumetes Turcarum Imp. à Stephano Valacho insigniter uictus 325
Marchia Brandenburgensis uastata 155
S. Marci ordinis Medicantium monasterium 135
Margarita Virboslai Comitis uxor 131
Maria Ludouici regis filia 189
Mariæ templum construitur 108
Marieburgum 298 deditum 302
Marieburgi obsidio 118
Marquardus Salisbachius Commendator Brandeburgensis 217
Martinus Vurocimouicius uexillifer Cracouiensis 216
Martinus Labisinius Palatinus Brestensis 220
Martinus archiepiscopus Gnesnensis 52
Maslaus dominatum sibi in Masouia arripit 30 eius interitus 33
Masouia 107 Regno Polon. adiuncta 173. 364 à Prusis uastata 85 item à Rusis 129 recuperata 34
Masouiæ dominatū Maslaus affectat 30
in Matrimonio Boleslai Criuousti & Sbislauæ, Romani pontificis dispensatio 51
Matthias Vngarorum rex 316.317.318 Poloniam uastat, & arcem Medireciam capit 324 Submontanos populās 320 Comorutum persequitur 321
à Matthia Vng. rege magnus Polonorum exercitus fugatur 323
Matthias Golanceuius episcopus Vuladislauiensis 156.180
Maximilianus Cæsar Sigismundum honorat 359
Mednicensis episcopatus cum 12 parochijs institutus 225
Medirecia arx à Matthia Vngarorum rege capta 324 recuperatur 49
Michael Glinscius dux Russus 351
Michaelem Glinsciū gratulabundū occurrentem Sigismundus dux benignè suscipit 357
à Michaele Glinscio Tartari in Lituaniã irruentes cæduntur 356
Michael Cochmeister dux 220.221
S. Michaelis tẽplū Lublini constructū 137

Miecislaus Haliciensis dux 94
Miecislaus Boleslai pientissimi regis F. in demortui patris locum surrogatur 26
Miecislaus Christianam religionem propagat 17
Miecislai uxor 81 educatio 17 principatus qualis 18
Miecislai Boleslai F. principatus & res gestæ 27
Miecislao nubit Adleida 83 nascitur filius Boleslaus 18
Miecislaus Zemomisli F. cæcus natus, postea mirabiliter illuminatur, & uocatus Miecislaus futurorum bonorum omen fuit 16
Miecislaus senex 66
cum Miecislao sene Lesci Albi bellum 97
de Miecislao sene 87.93.98.& 100
Miechouiense cœnobium 82
ministerij uis & efficacia 18
apud Missam eucharistia sumpta 59
dum Missam facit Adalbertus Pragensis episc. à Prutenis interficitur 20
Mogilnense cœnobium 108
de Moldauicis motibus 285
monachæ singularis astus 155
monachi duo sancti 19
monachi Cluniacenses 34
monasteria à Tartaris uastata atque direpta 127
Morauia à Tartaris uastata 118
Morauicum bellum 7
Morauos Boleslaus Criuoustus uastat 51
Moschus cum Tartaris excursionem in Lituaniam facit 269
ex Moschorum gente Sigismundi regis uictoriæ celeberrimæ 362
contra Moschos Vitoudi expeditio 210
de Mucha rustico seditioso 336

N

Nacli oppugnatio 47.58
Nicolaus Henrichouius 110
Nicolaus Palatinus 100
Nicolaus Michalouius præfectus Cracouiensis 249
Nicolaus Dreuicius custos Sendomiriensis 140
Nicolaus Curouius archiepiscopus Gnesnensis 213
nix ingens agros reddit fertiles 164.173
Nouum oppidum in Prusia deditum 309
de Nunciorum terrarum origine 314

O

ab Odrouanzorum iniurijs Rusi liberantur 307
Opatouia oppidum 113
Opisso legatus Apostolicus 129
Opoliensis tractus à Tartaris uastatus 128
de Ordine sedendi in senatu certamen 353
apud Orsam Moschi uicti 362.363
Osuẽcimensem tractū Derslaus Rituanius uexat 159
Otto Miecislai senis filius 102
Ouenscense monasterium 126

P

Pabiacensis comitatus 46
de Palatinis XII. 7
Pacossum arx 162
Pannonicum bellum 7
Papouia diruta 299
partus mirabilis 131
Paulus episcopus Varmiensis 308
Pauli Iasenij insigne factum 204
Paschæ obseruatio 47
Pelca Cracouiensis episcopus 105
peregrinationes ad sanctos 65 & inde.
pestis 153.230 cõtẽpta 269 declinata 250

grauißima 175 triennis 109
Petrus Mezirecius Starncouius 220
Petrus Cancellarius Pomeraniæ 149
Petrus Ianinus 171
Petrus archiepiscopus Gnesnensis 87.115
Petrus Danus comes Scrinnensis 75
Petrus Palatinus 202. 285 uictus in uerba Sigismundi regis iurare cogitur 361
Petro Palatino Cracouiensi Rußi Sendomir. tractum populantes, uincuntur ac cæduntur 130
de Petri Heliæ F. interitu 346
Petricus in testem suscitatus 42
Piasti posteritas 15 mors. ibid. principatus 14 mirabilis electio ibid.
Pius secundus pontifex 301
Plocensis ducatus mortuo Ianußio, regno adiungitur 338
Ploniny sylua 175
Pocucia à Bogdano Palatino Valachiæ reddita 361
Podolia denuò à Tartaris uexata 350 Suitrigelloni callidè prærepta 240 à Tartaris uastata 172
Podoliam Nobilib. uacuam prædãtur pro suo arbitrio Turci 287 populantes Tartari profligantur 291 Sigismundus rex cultiorem facit 359
de Podolia crudeliter à Valachis & Turcis atq; Tartaris uastata 343
ex Podolia Tartari Zauolgenses repulsi 314
de Podolia à Suitrigellone uexata 242
Podoliorum insignis à Tartaris clades 260
pœna à muribus 214
Polonia maior à Miecislao sene occupata. 93
Polonia domesticis pressa malis 30 à Rußis atq; Tartaris miserè uastata 127 populosior & cultior facta 155 à Sigismundo Vng. rege uastata 222 item à Matthia Vngarorum rege 324
de Poloniæ regno ad Cazimirum delato, & post frequentes dilationes & dißimulationes suscepto 280
Poloniæ Maioris expeditio decreta 308
Poloniæ regnum abrogatur 44
Poloniæ regno Zatoria, Masouia & Prussia adiuncta 364 utriq; Boemi præficiuntur 146
Poloniam Rußi depopulantur 45 Tartari cum Rußis uastantes ingentem hominum prædam abigunt 141
in Polonia quæ portenta & prodigia anno Christi 1269 extiterint 131
de Polonia à Crucigeris authore Vincentio Samotulio grauißimè uexata 158 maiore recuperata 152
in Polonia noui præfecti 186
Polonicæ reip. administratio sub Vuladislao tertio adhuc puero 257
Poloni minores contra Russos bellum gerunt 146
Poloni omnes absumpti 175 aduersa fortuna usi 298 occumbunt 86
Polonorum cõtra Vngaros infelix bellum 321 & deinceps. mos sub initium pronunciandi euangelium 19 fœdus cum Lituanis renouatum 224
de Polonorum cladibus quibusdam sub Sigismũdo rege 363 & deinceps. à Tartaris clade 298 & deinceps. apud Bouinam syluam strage 341
Polonorum mores Boemorum conuersatione corrupti 324 nominis origo 1
Polonis ieiunium XL. relaxatur 124

Polonos Adelbertus Pragẽsis episc. fidem docet 20
in Polonos tota ferè Germania conspirat 217
de Polonis à Crucigeris profligatis 95
à Polonis Fridericus Cæsar uexatur 83
Pomarzeni strenuè pugnantes 322
Pomerania Crucigeris donatur 157 omnis ab Vuladislao rege ferro igniq; uastata 222 à Magistro Crucigerorum dolo malo empta 152
Pomerani fiunt Christiani 53 Stulpenses 364
Pomerani à Boleslao Criuousto expugnati 51.61
Pomeranorum bellum 27
Pomeranos Magnus Masouiæ præfectus opprimit 57
de Popelo secundo, eiusq; parricidio, & parricidij pœna 11 & deinceps
portenta in Polonia 131
Posnaniæ templum construitur, quod dicatur corpori Christi 208
Posnaniæ cœnobium uirginum instituitur 145 obsidio 76
Posnaniense monasterium Dominicanorum 126
Præmislia urbs occupata 37
Præmislus maioris Poloniæ princeps 144
Præmislus in principem eligitur, & Lescus uocatur 8
Præmisli stratagema in bello cum Pannonibus & Morauis 2
de Præmisli ducis Posnaniensis pietate insigni 126
Præmisli principatus qualis, & quàm fuerit diuturnus 8
precum uis & efficacia 46
precibus obtenta uictoria 131
Prendota Galca Odrouanzus 169
principis electio fortunæ commissa 8
principatus iniustitia perditur 121
Procucensis tractus à Stephano Valacho subactus, & à Polonis recuperatus 350
proditionis pœna 69
S. Protasio extruitur ara 105
Prußia uastata 60 uenenosis uermibus infestata 141 à Crucigeris uastata 157 à Polonis subiugata 364
in Prußiam uniuersalis expeditio decernitur 306
in Prußia Germani à Sigismundo rege uicti 361
Prußicum bellum 296
Prußi Massouiam & Culmensem tractum uastant 85 in clientelam suscepti 293 à Cazimiro rege uicti 33 à Magno oppreßi 57 secundò à Boleslao Criuousto deuicti 61 fidei desertores & infœlix cum eis bellum 84
Prussorum libertates 295
contra Prussorum uim Crucigeri aduocantur 111
de Prussorum cum Crucigeris motibus 293
Prußos rebellantes arte Boleslaus rex domat 36
Prutheni S. Adalbertum Pragensem episcopi trucidant 20 Polonis iurant 312 Crucigerorum iniurijs permoti, Cazimiro Poloniæ regi se dedunt 293

Pruthenicum bellum 95
Pſaltarum ſiue Pſalteriſtarum collegium 204
Puchala Polonorum dux 122
de Pueris duobus miraculoſis 134
pueri 36 uno partu editi 131
Pultuſcum oppidum 154

Q

Quadrageſimale ieiunium 124.126
Quinzinum oppidum captum 302

R

Racianzum arx 157
Radinum arx capta 219
Radoſſus epiſcopus 65
Rathnum arx regia proditione capta 244
Ratiborienſis ora à Tartaris uaſtata 119
regia Gneſnam & Cruſuiciā translata 11
de Religione cum Coributo cæteriſq; hæreticorum ducibus agitur 242
Ritigerus expetens Vendæ coniugiū 5 bellum fruſtra mouet 6 occumbit. ibid.
Rixa Præmisli F. 145
Rixa Cazimiri regis mater 29
Rixam Venceslaus Polonorum Boemorūq; rex ducit in uxorem 146
Romanus Petri F. 208
Romanus Ruſſorum crudelis dux 104
Romanus eiectus atq; necatus 285
Ropinum oppidum 211
Rudolphus Lauantinenſis epiſcopus 310
Rudolphi Lauant. epiſcopi ſtudium & integritas, regiſq; Cazimiri in eum gratitudo 311
Rußia uaſtata 69.136 à Tartaris 116.350 à Turcis 287.343 & deinceps
Rußiæ Albæ pars amiſſa 364
Rußiam Sigiſmūdus rex cultiorē facit 359
in Rußiam Cazimiri regis expeditio 333
Rußiam Cazimirus ſecundus Magnus recuperat, ſubactam in formam prouinciæ redigit 167
de Rußia crudeliter à Valachis & Turcis atq; Tartaris uaſtata 343
in Rußia epiſcopi aucti 186
Rußica bella 27.36.105
Rußi Poloniam diuexant 30 rebelles 69 Maſouiam & magnam partem Cuiauiæ uaſtant 129 à Boleslao deuicti 39 diuino præſidio uicti 130 Poloniam depopulantur 45 ab iniuria Odrouanzorum liberati 307
Rußi Smolenſcij 216
Rußorum miſerabilis clades 141 & inde. à Tartaris clades inſignis 260
contra Ruſſos bellum 25 Polonorum minorum 146
Ruſſos cum catholicis coniungi uetitum 202
ruſtici ex Prußia uaſtata in Poloniam deducti 60

S

Sacerdos Boemus 251
propter Sacerdotes interfectos metalla euaneſcunt 178
à Sacerdotibus uxores & concubinæ abiguntur 109
ſal Bochnenſe inuentum 124
Salomea 107
Salomeæ uiduæ ſanctitas 131
Samagicia Chriſtiana facta 125
Sbigneus epiſcopus profuſam Vuladislai regis liberalitatem reprehendit 244 ſalutis regis animæ ſtudioſus, peccata eius arguit 252
Sbignei epiſcopi amor, mors, mores, funus, &c. 254
in Sbigneum Cracouienſem epiſcopum Coributus cum cæteris hæreticorum ducib.

ducibus fremunt 242
de Sbigneo epiſcopo, Vuladislao regi propter Boemos hæreticos ſe opponente 246 contra mortem intrepido 247
Sbigneus Brezius Marſchalkus 210
Sbignei contra Vuladislaum patrem impietas 50
Sbigneo impulſore Henricus Cæſar contra Boleslaum bellum gerit 53
Sbigneus Oleſnicius 216 Cracouienſis epiſcopus 233
Sbigneus Cardinalis factus 267 Cazimirum regem obiurgat 291
Sbignei cardinalis mors 296 mores & teſtamentum ibid.
Sbigneus proditor fit exul 53
Sbigneus Boleslai clementia abuſus interficitur 60
Sbislaua Boleslai Criuouſti coniunx 51
Scarbimirus palatinus Cracouienſis 60
Scarbimiria 116
Scepuſienſis tractus à Sigiſmūdo rege Vuladislao oppigneratur 224
ſcriptura ſacra ad uitam probè agendam accommodata 358
Secechus dux 48
Sendiuoius Subinius 195
Sendiuoius Oſtrouicius Palatinus Poſnanienſis 220
Sendiuoij legati 194
Sendomiria expugnata 116 incenſa 127 eius rei anniuerſaria celebritas 128
Sendomirienſem oram Rußi magna ui populabundi inuadunt 130 Tartari cū Rußis uaſtant 127
Senenius Gneſnenſis præpoſitus 301
apud Serethum amnem Polonorum clades 364
ſiccitas magna 320
Sigiſmundus rex Germanos in Prußia uincit 361 Valachos profligat 361 à Polonis repellitur 190 & deinceps
de Sigiſmundi regis coniugibus 365 educatione 357 celeberrimis ex gente Moſchorum uictorijs 362 uirtutibus & morte 366 & deinceps. regno feliciter & iuſtè adminiſtrato, belloq; non appetito 366 principatu 344 pacis tempore claritate 364
Sigiſmundi regis uictoriæ contra Tartaros 360
Sigiſmundo quæ regna oblata, & de eius cum Imperatoribus amicitia, reliquiſq; egregijs facinorib. 359 & deinceps
de Sigiſmundo honorato apud Vuladislaū fratrem, eiuſq; ducatu Sileſienſi 358 & deinceps
ſub Sigiſmundo rege clades quædam Polonorum 363 & deinceps
Sigiſmundus Cæſar 233
inter Sigiſmundum Cæſarem & Vuladiſlaum tertium Poloniæ regem pax tentata 261
Sigiſmundi Cæſaris mors 259
Sigiſmundus Lituaniæ dux 255 auarè & crudeliter dominans interficitur 265
Sigiſmundus dux Glinſcium occurrentem benignè ſuſcipit 357
Sigiſmundus Vitoudi frater Starodubenſium dux 247 & deinceps
Sigiſmundus Vngarorum rex 208 à Crucigeris conductus Poloniam uaſtat 222
Sigiſmundi Vng. regis cum Vuladislao rege Polonorum reconciliatio 224
cum Sigiſmūdo Vng. rege Vuladislaus Poloniæ rex pacem renouat 230
Sigiſmundus Marchio Brandeburgenſis 189

Silesia à Tartaris uastata 118 item ab Vuladislao Loctico 145
Silesiam qui possederint 84
contra Silesios bellum 203
cum Silesijs Vuladislai bellum 162
Simon Plocensis episcopus 57
de Simonis Franciscani latrocinijs punitis 332
Skirgello Trocensium dux 202 eius æmulatio 202
Slochouia à Polonis recuperata 309
Slonenses à Cazimiro rege uicti 33
Slupia oppidum 213
apud Socalum Poloni clade affecti 363
Solcouiense monasterium 96
cum Solimano Imp. Sigismundus rex perpetuum fœdus icit 359
Sophia altera Vuladislai regis uxor 46
Sophia Vuladislai regis Poloniæ quarta uxor 229 adulterij insimulata 232 eius coronatio 230
Spicimirum uicum Pomerani inuadunt 52
Spitco Melstinius 255 Sbignei episcopi bona inuadit 259
de Spitconis hæretici motibus repreßis 262
S. Stanislaus in Diuorum numerum relatus 124 per uisum apparet 217 eius miracula 125 reliquiæ leuatæ. ibid.
Stanislai martyris corpus dissectum, & ab aquilis defensum, post biduum coalescit 43
Starigradum oppidum Cazimiro regi deditum 309
Starodubum arx 210
apud Starodubum Polonorũ de Moschis uictoria 362
Stephanus Palatinus Cracouiensis 91
Stephanus Valachus Pocucensem terram subigit 350 moritur filio Bogdano relicto 351 cum Turcis & Tartaris Podoliam & Rußiam uastat 343
Stephani Palatini Valachiæ iuramentum 314. 333
à Stephano Valacho Poloni cæduntur ac rapiuntur 341
de Stephano Valacho cum Turcis bellum gerente 325
cum Stephano Valacho fœdus ictum 344
Stephanus Stephani Vaiuodæ F. 174
Stephanus Alexandri Palatini Valachiæ F. 251
ad D. Stephani sepulchrum peregrinatio 66
duo Strußi fratres 354
Suarno dux Russorum 130
Suece arx 151
Suecij Sigismundo regnum offerunt 359
Suentopelcus Pomeranis præfectus 59. 107 perfidus 62. 110 suæ perfidiæ dat pœnas ibid.
à Suentopelco Conradus dux Masouiæ ad Principatum reducitur 120 & deinceps
Suentochna Boleslai soror 36
Suitrigello inuadit Podoliam 242 Luscum Russorum proditione occupat 265 à Sigismundo Vitoudi fratre Starodubensium duce uictus 248 in bello uictus fugit 244 moriens Luscum Lituanis tradit 288
Suitrigellonis improbitas 208 perfidia 209
de Suitrigellonis in Lituania arroganti principatu 239

INDEX.

Suitrigelloni Podolia callidè prærepta 240
de Suitrigellone cum Crucigeris profligato 258

T

TAmerlanes Scytharum Imperator 205
Tartari Podoliam & Volyniam inuadentes, aulicum regis comitatum uincunt 338 Ratiborensem oram uastant post Morauiam & Vngariam 119. 120 Podoliam populantes profligati 90 Podoliam uastant 172 Kiouiam populantur 227 Vistulæ transitu arcentur 168 pauci & malè armati multa miserabiliter uastant 322 Podoliam infestantes, Polonos ad internecionem delent 299 Cracouiam incendunt, Silesiam item & Morauiam uastant 118 Poloniam uastant 127 Russos & Podolios insigni clade afficiunt 260 Rußiam uastant, itemq; Lublinensem oram in Polonia 116 Podolia & Rußia uastatis, à Ioanne Vapouio reprimuntur 349
Tartarorum ad Vuladislaum Poloniæ regem honorifica legatio 224
de Tartarorum excursione, ijsq; à Glinscio cæsis 355 & deinceps
Tartarorum miserabilis clades 141 & deinceps. excursio in Podoliam & Rußiam 350
contra Tartaros Vitoudi expeditiones 204 Sigismundi regis uictoriæ 360
de Tartaris à Ioanne Alberto fortiter uictis 334 Zauolgensibus profligatis, & repulsis crudeliterq; cæsis 314 & deinceps
tedæ cum catenis comparatæ 217
Templariorum ordo deletus 152
terræmotus 98. 127
Theutones 141 in Poloniam & Rußiam inducti 173 cum Venda fœdus ineunt 6
Theodoretus Russorum dux 248
Theodoricus Aldenburgius 166
Theodoricus Bucacius Podoliæ præfectus 285
Thomas Vuratislauiensis episcopus 138. 139
Tinecia arx 34
Trebnicense monasterium 109
Triumuiratus 188
Turci cohibiti 226 Constantinopolitanos opprimunt. ibid. ab Vngaris insigniter uicti 331
contra Turcas Vuladislai tertij & Huniadis bellum 270. 274
cum Turcis induciæ confirmatæ 349 fœdus 335
de Turcis Rußiam uastantibus diuinitusq; punitis 343 & deinceps

V

VAgrouecense cœnobium 101
Valachica expeditio 174
in Valachia Helias motus ciet 258
Valachi ex Pocuce profligantur 354
Varmia oppidum capitur 302
uaticinium per puerum semestrem editum 134
uectigal regium & Poradlne 184
Venceslaus Masouiæ dux 156

Venceslaus Polonorum atque Boemorum rex 146 eius mors 147
Venda uirgo princeps 5
Vendæ triumphus atq; tumulus 6
Venetorum ad Vuladislaum regem Poloniæ legatio 223
de Vermibus Prußicis 141
Verincus Cracouiensis consul 177
Vernerus episcopus Bolesta 87
Verneri corpus claret miraculis 87
uexilla in ecclesia suspensa 223
Vicinus malus 161
Vilelmus dux Austriorum 196
de Vilelmi in Cracouiam aduentu 198
Vilnensis basilica locupletata 202
Vincentius episcopus 107
Vincentius Cadlubcus 105
Vincentius Samotulius 158.162
Vislicia 116
Vislicienses leges 169
Vissogradum arx 157.267
Vistulæ inundatio portentosa 328
S. Vitalis templum 180
Vitoudi æmulatio 202 ambitio 233
Vitoudi arte Vuladislaus rex in Lituaniã euocatus 237 mors 239 contra Tartaros expeditiones 204 contra Moschos expeditio 210
contra Vitoudum bellum 203
uitulus duo capita & septem pedes habẽs 132
Vuladislauiam transfertur Crusuicensis cathedra 87
Vngaria à Tartaris uastata 120
de Vngariæ regno ab Vuladislao tertio suscepto 263
Vngaricum bellum 36
propter Vngaricum regnum bellum inter fratres 335
Vngari Matthiæ tyrannidem pertæsi Cazimirum filium regem petunt 317 Turcas insigniter uincunt 331 Sigismundo regnum offerunt 359 per Adalbertum Pragensem episc. Christiana religione imbuuntur 20
de Vngarorum uiolentia 185
per Vngarorum perfidiam auro corruptorum Lituani Volinia potiuntur 190
Vngarorum legati in uincula coniecti 265
contra Vngaros Polonorum & Boemorum infelix bellum 321 & deinceps
cum Vngaris Cazimirus secundus fœdera & pacta confirmat 166
Voldemarus Marchio 149
de Volinia ab Vngaris prodita 190
Volodor Præmisliensium dux 63 perfidus 64
Vratislauiæ synodus coacta 124
Vuladislaus rex Turcos ab Vngaria cohibet 226 Samagiciam ad religionem conuertit 225 cum Sigismundo Vng. rege pacem renouat 230 templum corporis Christi Posnaniæ condit 208 regnum Vngariæ contemnit ibid.
Vuladislai nuptiæ 62.227.229 bellũ cum Crucigeris 210 & deinceps. profusa liberalitas 244 eaq; à Sbigneo episcopo reprehensa 245
Vuladislao pecunia ab ecclesiasticis denegata 229 ex Sophia quarta uxore filius nascitur 230 clauus crucis Christi donatur 231 frangitur crus. ibid. à Boemis regnum defertur 228
inter Vuladislaum & fratrem eius bellum propter regnum Vngaricum 335
in Vuladislaum regem horrendum fulmen ob incestas nuptias 228
ad Vuladislaum regem Tartarorum legatio 224 item Venetorum 223 regnũ Poloniæ defertur 45
Vuladislaum Fridericus Cæsar reducere conatur 82
de Vuladislao in Lituaniam arte Vitoudi euocato 237
à Vuladislao uota persoluta 222
Vuladislai mors 50.
Vuladislai filij regis mors 254 ab Astrologo per sacerdotem Boemorum prædicta 251
Vuladislaum filium regẽ Sbigneus episcopus de peccatis suis arguit 252
de Vuladislao filio rege designato 245
Vuladislaus secundus, princeps 73 Posnaniam obsidet 76
de Vuladislai secundi nuptijs 206
Vuladislai secundi suorumq; exilium 78 in fratres iniuria, deq; uxore eius Christina impia & crudeli 74
Vuladislaus tertius Poloniæ rex 255 Amurati Turcarum Imper. postulanti magna cum sua gloria inducias dat decennales 274 Budam in suam potestatem redigit 266 cum Huniade Turcas aliquoties uincit 270
Vuladislai tertij fœdus cũ Crucigeris Prussiensibus & Liuoniensibus 259 coronatio 257 bellũ contra Turcas 274 in quo fortiter occumbit 278
post Vuladislai tertij interitum regnũ ad Cazimirum defertur 280
de Vuladislai tertij in Vngariam profectione 264 eoq; ab Vngaris in regem suum coronato 265
Vuladislai tertij regnum, ætas, forma, more, sanctus interitus 278 & deinceps
Vuladislao tertio totus Christianus orbis gratulatur de uictoria à Turcis reportata 272 & deinceps
Vuladislao tertio ex Polonia auxilia missa contra Vngaros rebelles 267
Vuladislao tertio confirmatio regni facta amotis prouisoribus 261
inter Vuladislaum tertium & Sigismundum Cæsarem pax tentata ibid.
ab Vuladislao tertio Vngariæ regnum suscipitur 263
sub Vuladislao tertio impubere qua ratione resp. administrata 257
Vuladislaus Locticus 142.143 Masoniã & Marchiam Brandeburg. uastat 155
Vuladislai Loctici mors & sepultura 163 bellum cum Crucigeris & Silesijs 162 coronatio 153
de Vuladislao Loctico rege electo & repudiato 145 iterum in regem creato 147
Vuladislaus Cazimiri Polonorum regis F. Boemorum rex accersitur 316 coronatur 317 iurat ibid.
Vuladislai Boem. regis infœlix contra Vngaros bellum 321
de Vuladislao rege Boemorum Imp. cliente facto 330
Vuladislaus Lasconogus Miecislai senis F. 102 principatum à Lesco Albo recusatum suscipit 103
Vuladislaus Damoborius Castellanus Naclensis, homo seditiosus 312 capite plectitur 313
Vuladislaus Opoliensis Poloniæ administrator datus, repudiatur 187
Vuladislao duci Opoliensi principatus defertur 133 quas ditiones Ludouicus Poloniæ rex donarit 182
contra Vuladislaũ ducem Opol. bellũ 204
de Vuladislao monacho 184

Vuladislauiensis ecclesia condita 180
Vulodimirus Palatinus Cracouiensis 116
Vuratislauiense oppidum 118
uxores barbaricæ dimissæ 17
uxores ut par pari maritis suis retulerint 40
Vuislicia 68
Vulostouicius Comes Xiafensis 69
Vuseborius Palatinus Sendomiriensis 75

Z

Zagoscensis parochia 81
Zatoria regno Poloniæ adiuncta 364
Zauicostum arx 116
Zembocia 40
de Zemomislo principe 16
Zemouitus à fratre Cazimiro in uincula coniectus 123
Zemouito duce, Masouia ad regni societatem accedit 173
de Zemouito principe 15
Zindramus Mascouicius 214
Zlotoria urbs 211
Zuerinecense cœnobium 82 à Iaxa conditum. ibid.

FINIS.

Hist. Polon.

a, general